This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

NYPL RESEARCH LIBRARIES
3 3433 07591414 7

ORATORES ATTICI

ET QUOS SIC VOCANT

SOPHISTÆ

OPERA ET STUDIO

GULIELMI STEPHANI DOBSON A.M.

REGIÆ SOCIETATIS LITERARUM SOCII

TOMUS QUINTUS

DEMOSTHENES

ASTOR LIBRARY NEW-YORK



LONDINI

EXCUDIT J. F. DOVE

(APUD QUEM ETIAM VENEUNT)

A. S. MDCCCXXVIII.

NEW YORK
PUBLIC
LIBRARY

DEMOSTHENIS

QUÆ EXSTANT OMNIA

INDICIBUS LOCUPLETISSIMIS

CONTINUA INTERPRETATIONE LATINA

VARIETATE LECTIONIS

SCHOLIIS TUM ULPIANEIS TUM ANONYMIS

ANNOTATIONIBUS VARIORUM

H. WOLFII OBSOPŒI TAYLORI MARKLANDI JURINI MOUNTENEII STOCKII HARLESII
F.A. WOLFII SPALDINGII AUGERI RÜDIGERI WUNDERLICHII BREMII
ALIORUMQUE ET SUIS

ILLUSTRAVIT

GULIELMUS STEPHANUS DOBSON A.M.

REGIÆ SOCIETATIS LITERARUM SOCIUS

ACCEDUNT ANIMADVERSIONES

REISKII DOUNÆI WEISKII AMERSFOORDTII

ET NUNC PRIMUM PUBLICI JURIS FACTÆ

THOMÆ STANLEII VEL POTIUS JACOBI DUPORTI

NECNON ADVERSARIA

PETRI PAULI DOBREE

GRÆCARUM LITERARUM APUD CANTABRIGIENSES

NUPER PROFESSORIS REGII

TOMUS PRIMUS

PRÆFATIONES ETC. ET DEMOSTHENIS PHILIPPICÆ ET SUASORIÆ

LONDINI

PROSTANT APUD J. F. DOVE

A. S. MDCCCXXVIII.

PRÆFATIO EDITORIS.

NUMINE Dei Opt. Max. absoluto opere, mihi tandem restat, Lectores candidi, ut et benevolentiam vestram conciliem, et rationem, quam secutus sim, exponam, vosque de omni re faciam certiores. Sciatis profecto annos multos esse, cum istos labores subivi, literarum amore magis impulsus, quam quo arbitrarer me ad hanc rem satis. Quod si totius operis consilium, si studium meum, operamque ac diligentiam, usui vestro impensam, excusseritis, benevolentiæ spero vestræ, quam sanctissime nobis colendam puto, me satisfacturum.

Ut autem a præcipuis ordiamur, primus veniat in medium Textus: quem a me sic intelligetis e diversis fontibus derivatum, ut Auctoribus passim nostris, quantum valerem quantumque possem, consulerem. H. Wolfio enim, aut vero Reiskio, permulta mutanti, sed ita, ut ea, quæ corrigere vult, plurimis quidem depravare videatur, adhærescere verebar: et Textum sive Lutetianum sive Felicianeum hoc diei Typographo rursus recoquendum dedisse, morosum (ut videbatur) et difficilem potius Editorem, quam providum diligentemque, sapuisset. His de causis feci continuo multos participes Textus novæ Editionis, Bekkerum puta, Taylorum, F. A. Wolfium, Spaldingium, ut e Tabulis Contentorum optime intelligetur: in cæteris meo remigio

rem gessi; est autem adhibita in ea re ipsa summa a me moderatio; quanquam fatendum in Suasoriis esse actum paulo liberius. Unum obiter notandum, nempe Taylori socordiam in expurgando textu Wolfiano Reiskium, Anglicorum criticorum prorsus omnium acrem vituperatorem, jure increpuisse; et de subtilitatibus, quotquot occurrunt, grammaticis novaque sua accentiuncularum ratione me velle adeatis ipsum Bekkerum. Textui porro ubique apposita est Lectio Reiskiana. Ergo hoc primum.

Sequitur illud, ut de Annotationum serie commemorem. Primum igitur, omnibus omnino Notis, quas in Editione sua Reiskius hic illic protulit, usus sum; deinde, quas præstiterunt recentiores, commiscui; postremo Petitum, Heraldum, Salmasium, philologos alios, ideo perquisivi, ut Exceptiones potissimum causæque privatæ magis utibiles evaderent. Jam vero Reiskii, H. Wolfii in Olynthiacam primam, Dounæi, Weiskii, Amersfoordtii, Thomæ Stanleii, vel potius Jacobi Duporti (V. infra), Animadversiones, cum essent prolixiores quam quæ Textui subjici possent, seorsum ederem necesse erat: hæ quintum volumen sibi vindicant.

Deinde Scholia: quorum alia sub nomine Ulpiani venditantur, alia prorsus anonyma sunt. In Ulpianeis H. Wolfium sum secutus, ita tamen ut Lectiones Variantes, tum MSS., tum Aldinæ Lutetianæque, Textui apponerentur: Anonyma vero, e marginibus diversorum MSS. exscripta, in unum corpus coegi; et in plurimis quidem locis, eo quod in Ulpianeis jampridem prostant, Lectionis Varietates tantum exhibui.

Extremum illud est, cui multi partes secundas forsitan tribuant, Interpretatio Latina. In Philippicis

deque Corona Adversariis Stockium, in cæteris bonum Wolfium, interpretem habetis: Versionem tamen passim ad novam Editionem velim intelligatis accommodari.

De Varietate Lectionis et Indicibus, qui in complementum operis accedunt, hæc dicta sunto. Variantes Lectiones cum labore operoso denuo digessi, et incuriam Taylori, pæne in singulis paginis, sæpius castigavi: collationes præterea MSS., hinc illinc petitas, in veterem caudicem inserui; et vellem certe mihi licuisset nuperam Editionem Immanuelis Bekkeri de voluntate usurpasse. Hunc vero nactus locum, facultatem non dimittam, quin dicam Parisiensem Codicem, a nobis p 9. signatum, nihilo minus delicias Bekkeri esse, quam Augustanum primum delicias (uti eum nuncupabat F. A. Wolfius) Reiskii. Indicibus denique numeros centenis in locis supplevi, in millibus eosdem correxi. Atque hæc hactenus.

De Prælectionibus, e Stanleii MSS. exscriptis, monebo, et finem faciam. Nullus itaque dubito, quin Jacobi Duporti sint, inque Stanleii scrinia pari modo ac Prælectiones ejusdem Theophrasticæ irrepserint: in his enim ad illas refert, et contra: omnem etiam utrobique aucupat occasionem disserendi de bellis civilibus (quorum temporibus vixit) et tumultu intestino. Exemplis parco, quæ multa facilius quivis detexerit. Illud unum addam, me doctissimo Blomfieldio, notas Æschyleas Stanleio abjudicanti, lubentissime assentiri; miror tamen pigritiam V. D., qui Vitam Duporti nuperrime conscripsit, quod MSS. Stanleianos agitare omittebat, cum in ipso Prælectionum Theophrasticarum limine Demosthenicas alluserit Duportus.

Nec vero memoriæ parum tenacis me incusabit Jacobus Baileius, antiquus non solum amicus, verum

		Pag.
Φιλιππικὸς Α.	(Textus Bekkeri est) . .	91
Περὶ Εἰρήνης	———————— . .	136
Φιλιππικὸς Β.	———————— . .	151
Περὶ Ἁλοννήσου		165
Περὶ τῶν ἐν Χερρονήσῳ	(Textus Bekkeri est) .	178
Φιλιππικὸς Γ.	———————— .	201
Φιλιππικὸς Δ.		226
Πρὸς τὴν Φιλίππου Ἐπιστολὴν . . .		249
Ἐπιστολὴ Φιλίππου		256
Περὶ Συντάξεως		267
Περὶ Συμμοριῶν		280
Περὶ Ῥοδίων Ἐλευθερίας		298
Ὑπὲρ Μεγαλοπολιτῶν		309
Περὶ Συνθηκῶν πρὸς Ἀλέξανδρον . . .		319

DEDICATIONES

ATQUE

PRÆFATIONES

DEMOSTHENIS EDITORUM.

ALDI MANUTII

PRÆFATIO

AD

DEMOSTHENEM SUUM.

ALDUS PIUS MANUTIUS

Romanus Danieli Clario Parmensi

S. P. D.

Summum locum in oratoria tenere apud Græcos Demosthenem, et in poetica Homerum, nemo est, qui ambigat, sic apud Latinos M. Tullium in oratoria esse facile principem, in poetica vero Mantuanum poetam. Quod ita mihi verum esse videtur, ut non modo non futurum unquam putem, qui hos superet, adæquetve, sed ne accedat quidem propius. Et quanquam duo hæc admirabilium ingeniorum paria successu adeo felici suos elucubrarunt libros, et tradiderunt posteris, ut æternos reliquerint: non tamen eodem successu aut vitam vixerunt, aut oppetierunt mortem. Nam Poetæ et quietiorem egerunt vitam, et sua morte mortui sunt: oratores vero in summis semper vixerunt molestiis, et tandem crudeliter occubuerunt: quippe qui rebuspubl. regendis incubuere: in quibus, si rudis es, et ineptus, abjectus vivis et inglorius, atque publicorum munerum omnino expers: sin vero aptus, ac paulo, quam cæteri, ingeniosior, adtrahis ad te ærumnas, ὡς κακίας νέφος, adisque plerumque periculum capitis, quemadmodum accidisse Demostheni et M. Tullio legimus. Verum ex duobus his infelicior Demosthenes fuit. Nam et cum vitiis quibusdam natus est, quæ industria non mediocri tolli oportuit. Unde Valerius Max. Alterum Demosthenem natura, alterum industria fecit, et puer admodum privatus patre, sub infidis et avaris tutoribus educatus est, quos, male administrata tutela, in jus vocare coactus, non sine labore immodico, ac periculo, deperdita etiam ablatorum parte, evicit. De eo sic in ejus vita Libanius: ὀρφανὸς δὲ καταλειφθεὶς ὑπὸ τοῦ πατρὸς κομιδῇ νέος· ἦν μὲν, ὡς φασιν, ἀσθενὴς τῷ σώματι καὶ νοσώδης· ὥστε μηδὲ εἰς παλαίστραν φοιτῆσαι, καθάπερ πάντες οἱ τῶν Ἀθηναίων παῖδες εἰώθεσαν· ὅθεν καὶ ἀνδρωθεὶς, ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν εἰς μαλακίαν ἐσκώπτετο, καὶ βάραλος ἐπωνυμίαν ἔχων·

hoc est, ut et græcarum literarum rudes intelligant. Privatus autem patre admodum juvenis, fertur imbecilli fuisse corpore, et valetudinario adeo, ut neque ad palæstram accederet: quemadmodum omnibus Atheniensium pueris moris erat. Quapropter vir factus ab inimicis in molliciem mordebatur, appellabaturque cognomento Batalus; et paulo inferius: *εἰς ἄνδρας ἐγγραφεὶς, εὐθὺς ἀγῶνα κατὰ τῶν ἐπιτρόπων ἐνεστήσατο, κακῶς διῳκηκότων τὴν οὐσίαν αὐτοῦ. καὶ εἶλε μὲν αὐτοὺς, οὐ μὴν ἠδυνήθη πάντα ἀπολαβεῖν, ὅσα ἀπολώλεκε·* id est, cum primum adscitus est inter viros, statim tutoribus, male ipsius facultatibus administratis, diem dixit, et evicit quidem eos, sed non omnia potuit, quæ amiserat, recuperare. Et in eadem: *ἔτι κἀκείνων μνημονευτέον, ὅτι τραυλὸς μὲν ἦν τὴν γλῶτταν ἐκ φύσεως· τὸ δὲ πνεῦμα ἀτονώτερος.* hoc est, ad hæc et illa commemoranda, Demosthenem et lingua balbum et imbecillis fuisse lateribus. Idem in eadem: *καὶ γὰρ δειλὸς ἦν τὸ πρῶτον πρὸς τοὺς τοῦ δήμου θορύβους καὶ εὐκατάπληκτος, ὥστε εὐθὺς ἐξίστασθαι· διά τε τοῦτό φασιν αὐτὸν ἄνεμον ῥαγδαῖον τηροῦντα καὶ κινουμένην σφοδρῶς τὴν θάλατταν παρὰ τοὺς αἰγιαλοὺς βαδίζοντα λέγειν, καὶ τῷ τῆς θαλάττης ἤχῳ συνεθίζεσθαι φέρειν τὰς τοῦ δήμου καταβοάς·* hoc est, et enim primo timidus ad concionum strepitus fuit, ut statim deficeret et consternabundus. propterea vero aiunt ipsum vehementem ventum, commotumque admodum mare observando ad littora accedere, et recitare, sonituque maris populi clamores ferre consuevisse. Idem in eadem: *παρειλήφαμεν δὲ κἀκεῖνο, ὡς καὶ ξίφος ποτὲ ἐκ τῆς ὀροφῆς ἀπήρτησε, καὶ ἱστάμενος ὑπὸ τούτου ἔλεγεν. ἐποίει δὲ τοῦτο δι' αἰτίαν τοιαύτην· ἐν τῷ λέγειν ἀπρεπῶς τὸν ὦμον εἰώθει κινεῖν· ὑπερεκρέμασεν οὖν τοῦ ὤμου τὸ ξίφος ἐν χρῷ, καὶ οὕτω τῷ δέει τῆς πληγῆς ἠδυνήθη κατασχεῖν ἑαυτὸν ἐπὶ τοῦ πρέποντος σχήματος:* hoc est, accepimus vero et illud, suspensum ab eo fuisse ensem de recto, atque sub ipso stetisse, cum recitaret. Quod hanc ob causam fecisse dicitur: Inter dicendum movere indecenter humerum assolebat: suspendit igitur ensem ad cutem humero imminentem: atque ita metu plagæ in decenti se forma continuit. Præterea cum maxime in patria floreret, nunc invidia civium, nunc Philippi Alexandrique Macedonum maximorum regum persecutione nunquam quievit, imo a Philippo in pugna victus magna cum ignominia fugit. Tum bis exulavit, primo in Ægina, et Trœzene, L. etiam talentis ab Areopagitis damnatur Alexandro rege, secundo autem Antipatro imperante capitis a populo damnatur, autore Demade, in Neptuni templum, quod erat in Calaurea insula, non tam salutis gratia, quam ut inde quotidie patriam prospiceret, e Trœzeniorum urbe confugit, inibique hausto veneno, cum a satellitibus traheretur, excessit e vita. Quemadmodum in ejus vita Plutarchus meminit. Operæ precium autem visum est, quædam ex ejus epistola ad magistratus populumque Athenien-

sium hic inserere, sunt enim hujusmodi. (hoc est) Sed de his cum multa possim scribere prætermitto. Nullius enim me conscium esse culpæ, ad utilitatem quidem imbecillum esse experientia didici, ad majorem vero mœstitiam inferendam, vehementissimum omnium. Quoniam autem omnibus accusatis reconciliati estis, id quod bene factum dixerim, et mihi velim reconciliemi, viri Athenienses: nam vos neque ulla adfeci injuria, Deos testor et heroas, mihi autem testis est omnis anteacta vita, cui magis justum est ut fidem habeatis, quam culpæ mihi nunc injuria illatæ, neque ego pessimus, minimeve eorum fide dignus videbor, qui calumnia sunt circumventi. Atqui discessus meus immerito vos mihi reddit iratos; neque enim spe vestri destitutus discessi; neque alio animum applicuerim meum, sed primum quia ignominiam carceris moleste animo ferebam: deinde quoniam propter ætatem imbecillo corpore miseriam perferre non poteram. Item non existimabam, nolle vos vacare me vituperio, quod nullo vobis emolumento fuit, me vero perdidit. Ad hæc in vobis, nullis aliis animum fuisse meum, multis signis poteritis perspicere. Nam et urbem petii, non in qua res maximas essem ipse acturus, sed in quam et majores nostros profectos esse cognoveram, quo tempore illis de Persarum rege periculum imminebat: et cujus plurimam erga vos benivolentiam esse perspexeram, hæc autem est Trœzeniorum civitas, cui opto, ut Dei potissimum, ob ipsius erga vos benivolentiam, et collatum in me benificium, sint omnes benivoli, tum ipse, servatus a vobis, queam referre gratiam. Cœterum cum in hac nonnulli, ut mihi gratificarentur, increpare nos conarentur, idque mei animi ignoratione ego eos pro viribus, ut bene dicerent, ut meum erat, admonui, qua potissimum causa puto eos omnes admiratos publice me honorasse. Sed cum viderem, benivolentiam quidem hominum magnam, sed vires in præsentia imbecillas, in Neptuni templum profectus, in Calaurea insula me contineo, non solum tutelæ gratia, quam mihi esse spero ob reverentiam numinis (neque enim certe scio, nam quæ in aliorum arbitrio et voluntate posita sunt, tenuem ac incertam præbent periclitanti tutelam), sed etiam quia patriam prospicio inde quotidie: erga quam tantæ mihi conscius sum benivolentiæ, quantam consequi opto a vobis. Quapropter, viri Athenienses, ne diutius hisce detinear malis, ea mihi decernite, quæ olim aliis, tum ne quid indignum vobis mihi eveniat: tum etiam ne supplex aliis esse cogar, nam nec vobis quidem id decori fuerit. Quod si redeundi vobiscum in gratiam nulla mihi sit spes reliqua, mori me esset melius. Videtis, quantis semper in malis versatus fuerit miser. Quare non miror a satyro scriptum, Diis ille adversis genitus, fatoque siuistro. Quid quod illo etiam tot jam secula mortuo, suum adhuc fortuna, licet semper varia sit, atque instabilis, servare tenorem videtur? Nam abhinc fere tri-

emnium desideranti tibi orationes Demosthenis, brevi me informatas mea cura publicaturum recepi. Sed tot id mihi tentanti acciderunt impedimenta, ut persæpe excudi cœptas intermiserim, Carteromacho etiam nostro demirante, illudque Juvenalis sæpe repetente, Diis ille adversis genitus fatoque sinistro, cum etiam admodum quam pauca earum orationum exempla imprimenda curaverim, idque coactus, quod in nullo ante accidit volumine excuso in thermis nostris. Quorum omnium est mihi optimus testis Angelus Chabrielus patricius Venetus, excellentis vir ingenii, et in utraque lingua doctissimus, Demosthenisque studiosissimus, qui a me hoc opus quotidiano fere, ut ait ille, convicio, ut jam excudendum curarem, efflagitabat. Quanquam et illud servasse videtur fortuna, ut, quemadmodum felix ille semper fuit eloquentia, et æternitate scriptorum suorum, ita nescio, quomodo pulcherrimus hic liber omnium, quos imprimendos vel latine vel græce curavimus, exit in publicum ex ædibus nostris. Quamobrem si serius ad te venit, quam et tu volebas, et ipse desiderabam, non mihi velim imputes, sed Demosthenis infortunio, quem summo cum labore et industria fecisse, quæ fecit, omnia, legimus. Rursus pulcherrimis characteribus et perquam decenti forma, habituque, nec non castigatissimus, exit in manus hominum, ὡς κατὰ τὴν παλιγγενεσίαν, non tamen industriæ nostræ, sed assiduis curis adscribas, quam illius gratiæ, et felicitati, quam semper in suis habuit lucubrationibus. Has vero Demosthenis orationes, Clari doctissime, nomini tuo nuncupatas, ex Neacademia nostra emittimus, ob multas causas, sed præcipua est singularis benivolentia in te mea, ob miram probitatem tuam, et doctrinam, bonarumque literarum cognitionem. Tum quia in inclyta ista urbe alumna virorum nobilium Epidauro, cui nunc Rhacusæ est nomen, et latinas, et græcas literas profiteris, instituisque juventutem istam eloquentiæ studiosam arte dicendi, quod duce Demosthene, et te interprete, quam facillime consequetur. Id quod eo etiam feci libentius, quoniam si cuipiam reipublicæ Demosthenis orationes die nocteque volvendos accurate existimo, isti existimo. Nam etsi viros omni virtute præditos, et prudentissimos habet, quales vidi ipse Venetiis Danielem Restium secundum apud Venetos fungentem legationis officio, et Petrum Mentium Restii collegam, tamen præceptis quam optimis oratorum omnium Demosthenis facile principis, quanta tyrannis, et Philippis habenda sit fides, non obscure cognoscet. Nam cum aliis plurimis rempublicam Atheniensium admonet divinus orator cavendum esse a tyrannis, qui sint natura rerum publicarum inimicissimi, ut lupi ovium, tum his verbis in prima pro Olynthiis oratione: καὶ ὅλως ἄπιστον οἶμαι ταῖς πολιτείαις ἡ τυραννὶς ἄλλως τε κἂν ὅμορον χώραν ἔχωσι. hoc est: et omnino tyrannis infida res est rebuspubl. præsertim si vicinam illi regionem habuerint, et in se-

cunda contra Philippum: οὐ γὰρ ἀσφαλεῖς ταῖς πολιτείαις αἱ πρὸς τοὺς τυράννους αὗται λίαν ὁμιλίαι. hoc est, non enim tutæ sunt rebuspubl. nimiæ hæ cum tyrannis consuetudines. Et paulo post: ἔν δέ τι κοινὸν ἡ φύσις τῶν εὐφρονούντων ἐν ἑαυτῇ κέκτηται φυλακτήριον, ὃ πᾶσι μέν ἐστιν ἀγαθὸν, καὶ σωτήριον, μάλιστα δὲ τοῖς πλήθεσι πρὸς τοὺς τυράννους· τί οὖν ἐστι τοῦτο; ἀπιστία. ταύτην φυλάττετε, ταύτης ἀντέχεσθε. ἐὰν ταύτην σώζητε, οὐδὲν δεινὸν μὴ πάθητε· τί οὖν ζητεῖτε ἔφην, ἐλευθερίαν. εἶτ' οὐχ ὁρᾶτε φίλιππον ἀλλοτριωτάτας ταύτῃ καὶ τὰς προσηγορίας ἔχοντα; βασιλεὺς γὰρ καὶ τύραννος ἅπας ἐχθρὸς ἐλευθερίᾳ καὶ νόμοις ἐναντίος. hoc est, commune vero quoddam natura prudentum possidet in se tutamen, quod bonum omnibus est, et salutare, maxime autem populis adversus tyrannos: quodnam igitur illud est? incredulitas, hanc custodite, hanc complectimini: si hanc servaritis, nihil adversi patiemini. Quid igitur quæritis, inquam? Libertatem. Nonne videtis Philippum alienissimas ab ea vel appellationes habentem? omnis enim rex et tyrannus inimicus est libertati, et contrarius legibus. Habes igitur tandem, mi Clari ab Aldo tuo, quas jamdiu desiderasti Demosthenis orationes, habet urbs Epidaurus quem debeat librum ad suam utilitatem nocturna versare manu, versare diurna, habent et cæteræ respubl. quemadmodum prudenter se regere, gubernareque atque a tyrannis reddere tutas queant, habet studiosissimus quisque, a quo una cum græca lingua, et eloquentiam optime discere, et utilissimum in sua republica præstare se possit. Vale. Venetiis mense Octobr. M. D. IV.

ERASMI ROTERODAMI

AD HERVAGIANAM PRIMAM PRÆFATIO.

Des. Erasmus Rot. Ornatissimo Adolescenti Joanni Georgio Paungartnero

S D

Ut antehac pessime de studiis merebantur isti, qui præsentis lucelli cupiditate maledicis ac futilibus libellis implebant orbem: ita bonorum omnium favore digni sunt, qui curam omnem atque industriam huc conferunt, ut vetustos multorumque seculorum consentientibus suffragiis probatos autores nobis revocent, idque cum dignitate. Demosthenem autem inter Græcos rhetores sic esse primum, ut vix invenias, quem cum illo possis conferre, magnus eruditorum omnium consensus est. Neque non recte præceptum est illud, ab optimis auspicandum esse. Eoque quondam apud Latinos e probatissimis poetarum pueri discebant literarum elementa. Nec id dissimulat Horatius ita de suis poematibus vaticinans, Hoc quo-

que te manet, ut pueros elementa docentem Occupet in vicis Sosiorum balba senectus. Plurimum enim refert, qui succus rudem etiamnum ingenii testulam imbuat. Utiliter quidem primam Latini sermonis institutionem a selectis poetis auspicabantur, quod hi præter virtutes oratorias, habent aliquid proprii nitoris ac jucunditatis, qua velut esca, dulcibus magis quam salubribus gaudens ætas alliciatur ad studiorum amorem. Itaque quisquis Latinos poetas intelligit, rectius intelliget oratores. Apud Græcos diversa ratio est. Tantum enim discriminis est inter poetarum et oratorum dictionem, ut credas illos diversa lingua loqui. Eoque fit, ut qui a poetis fecerunt institutionis rudimentum, quum ad oratorum lectionem sese contulerint, subinde velut in peregrino sermone restitent, et licet quid quæque vox declaret, non ignorent, tamen sensum non percipiant. In causa est schematum, troporum et idiomatum proprietas, in quibus haud ita multum opitulantur Lexica. Hac quidem in parte præclaram operam τοῖς φιλογλώττοις navavit Guilhelmus Budæus. Verum ut puerilibus ingeniis Romanæ Linguæ non statim accommodus est M. Tullius, qui, Fabio judice, nulli valde placet, nisi qui jam egregie profecerit: ita Græcarum literarum peritiam ambientibus non arbitror admodum convenire Demosthenem, qui plus artis habet in recessu, quam prima fronte præ se ferat. Hic enim, quod honorifico joco dixit Demades, scripsit ad aquam, nec nisi a sobriis ac vigilantibus potest intelligi. Proinde quod de M. Tullio scripsit Quintus Fabius, pari jure de Demosthene dici potest: is se sciat in arte dicendi profecisse, cui Demosthenes valde placere cœperit. Quemadmodum tabula magno artificio depicta nemo magnopere delectatur artis imperitus, ita Demosthenis divinum illud et quod facundissimi quique semper in eo mirati sunt, τὸ δεινὸν, non sentitur, nisi et rhetoricis præceptionibus exercitatis, et historiarum cognitione instructis. Itaque patiar, ut puer quidem degustet Demosthenem, sed ad eum serio redeat, jam factus oculatior, quo perspiciat illam vere atticam venerem, illud excussum judicium, illa summo artificio contorta enthymemata, postremo vim illam omnibus admirabilem, vix ulli imitabilem. Elegans interim fuerit exercitatio, quod a veteribus nonnullis factum est in Homero ac Virgilio, si quis idem faciat in Demosthene et M. Tullio, ut ex collatione locorum deprehendat, quid hic ab illo sit mutuatus, et ubi noster sit Græco par, ubi superior, ubi ab exemplari nonnihil degeneret imitatio. Vix alia res æque conducit ad parandum judicium. Non hic sumpturus sum operam in laudando Demosthene, ad quem pro dignitate prædicandum opus esset eloquentia Demosthenica: imo nulla potius opus est eloquentia ad eum laudandum, quem uno ore in cœlum ferunt omnes: nec tibi calcar addere studebo, Georgi charissime, quem conspicio in hoc pulcherrimo stadio tuapte sponte

haud segniter currentem. Quæres unde mihi cognitus cursus tuus, qui te nunquam viderim. Optimam tui partem vidi, adolescens fortunatissime, adeo ἐναργῶς te mihi suo penicillo depinxit Viglius Zuichemus, haud vulgaris artifex, cui domestica consuetudine penitus cognitus ac perspectus es. Quin tute mihi teipsum tuis ad me literis sic expressisti, ut si coram adesses, plus videre nequeam. Illic exosculatus sum istam felicem indolem tuam, qui, vix egressus annum decimum sextum, scribas epistolas primum bene latinas, deinde quod pluris facio, sensibus argutis, et apte sibi connexis. Quid autem collaudem istum ingenuum ac liberalem pudorem, quid singularem istam in me pietatem, quam tota spirat epistola? Et hic agnosco germanæ germanam ornatissimi viri Joannis Paungartneri prolem. Janpridem enim mihi cum eo viro ictum est amicitiæ fœdus, quam ego sane rem inter præcipuas felicitates meas numero. Quid enim illo candidius, aut amabilius? In hujus fœderis consortium temet tuo jure inseris, mi Georgi. In hoc enim possessionum genus, et fas est, et æquum est, vivo etiamnum patri hæredem existare. Ut tali parente multo beatior es, quam paternis opibus: ita istis egregiis animi dotibus, quas tibi partim largita est propicii numinis benignitas, partim industria tua tibi paris, longe verius ac splendidius locuples fueris, quam majorum tuorum quamlibet amplis facultatibus. Accipe igitur Demosthenem, qui nunc prodit ceu positis novus exuviis nitidusque juventa, simul et mutuæ meæ in te pietatis μνημόσυνον et studiorum tuorum incitamentum futurus. Multum debemus Aldo, qui nobis primus oratorum principem dedit, plus debemus Hervagio, qui non parum addidit illi, tum dignitatis, tum etiam commoditatis, haud mediocribus impendiis parique vigilantia, ut jam merito possint omnes admirabundi dicere, οὗτός ἐστιν ὁ ἐκεῖνος Δημοσθένης. Posthac igitur expectabimus abs te epistolas, semitullianas ac semidemosthenicas. Vale. Datum Friburgi Brisgoæ, postridie cal. Augusti. Anno M. D. XXXII.

I. BERN. FELICIANI

PRÆFATIONES AD SUUM DEMOSTHENEM.

Illustri ac Reverendo Abbati clivæ Mariæ Vangaditiæ Francisco Lauretano Jo. Bernardus Felicianus

S.

Cum superioribus diebus, Abbas clarissime, Demosthenis, oratorum omnium facile principis, orationes collectis quibusdam antiquis codicibus recognoscendas suscepissem, quo ad studiosorum utilitatem castigatiores aliquantulo excuderentur, memini ex te audivisse, cum nonnulli docti viri apud te essent, quorum consuetudine sum-

mopere delectaris, ex hujusce rei occasione sermonem de eloquentia incidisse. ita ut alii supra modum eam extollerent, omnibusque et artibus et scientiis anteponendam arbitrarentur. alii non modo id non approbarent, verum etiam eam vituperarent, et ut suspectam vitandam omnino censerent. Id autem licet absurdum, novum tamen mihi esse minime videbatur. Cum enim mecum considero multos ex gravissimis simul atque antiquissimis auctoribus, qui eloquentiam vel laudare, vel vituperare studuerunt, eos comperio vel plura, quam par erat, ei attribuisse, vel plura detraxisse, quam res ipsa postulabat, atque ita utrosque, dum ejus vel præstantiam nimis admirantur, vel abusum nimis devitandum censent, multis de tota re non recte sentiendi ansam præbuisse. Nam qui eam commendant, fere uno consensu omnes bonorum omnium humanorum causam ei adscribunt. eam congregasse a principio homines, cum in sylvis ferarum more vitam traducerent atque ad urbes condendas induxisse. eam leges instituisse, sine quibus communis vita esse nulla posset. eam mansuetos e feris, civiles e rusticis homines reddidisse. eam demum esse, qua sola a bestiis differamus. Quod cum dicunt, non male illi quidem se gerere censendi sunt, si vel loquuti pro occasione, vel eloquentiæ nomine sapientiam omnem complexi esse intelligantur. Re enim vera non oratio est, sed ratio et intelligentia, quæ a brutis hominem distinguat. nec eloquentia est, sed sapientia et prudentia, quæ dispersos ac vagantes homines in unum collegerit, ac vitam humanam omnem et urbibus condendis, et legibus instituendis excoluerit. Sermo enim postea tanquam minister, et eloquentia tanquam ancilla subsequuta necessario est. Sed si ita absolute quæ dicunt, accipiamus, quam recte id fiat, alii viderint. Mihi certe persuaderi non potest, quo pacto recte illi sentiant, qui horum scriptorum auctoritate permoti in eam opinionem venerunt, ut nulli rei, nisi facundiæ, studendum esse credant, nullosque esse, qui scire quippiam possint, nisi etiam dicendi peritia præditi fuerint. Adde, quod hi quoque omnes eos scriptores, qui non ita eleganti stilo de præclarissimis rebus et verissimis monumenta posteris reliquerunt, vel tanquam indoctos et imperitos abjiciendos censent, quasi verborum lepore et fucis rerum cognitio et peritia metienda sit; vel licet earum scientiarum, quas tradunt, de quibusque disserunt, etiam peritissimos fuisse confiteantur, tanquam barbaros tamen et ineptos negligendos putant, plurisque faciendum asserunt eum, qui de quibuslibet vel levissimis rebus eleganter et copiose tractarit, quam qui de gravissimis, et maxime seriis generique humano utilissimis infacunde et jejune disputarit, remque hanc non secus, atque in artificum ac statuariorum operibus spectandam esse aiunt, in quibus forma longe majorem, quam materia, laudem et gloriam sine controversia mereatur. Ac propterea assiduum barbaris bellum indi-

rere, ita enim appellant omnes eos, qui cultum orationis et lenocinia non persequuntur, licet veritatis subtilissimi et acutissimi indagatores alioqui sint. ut si quando in sanctissimos theologos et doctissimos philosophos incidant, eos omnino abhorreant, et quasi inculto sermone nihil vere et recte explicari potuerit, sed omnia perversa et salsa dici necesse sit, statim rejiciunt, ac damnant. neque vident, si formæ eloquentiam comparare voluerimus, statuariorum exemplum minime hic esse accommodatum. quippe quum materia extrinsecus artifici huic suppeditetur, scriptor ipse sibi eam plerumque faciat, et materia artifici propter formam exhibeatur, in rerum explicatione et dissertatione forma ob materiam illustrandam et patefaciendam adhibeatur, ut videlicet, quod animo concepimus, id eloquendo ita exprimamus, ut alteri innotescat. Quocirca si modo facere id volunt, longe meliorem et accommodatiorem veritati comparationem sumere a nummis possent, quibus forma materiæ causa imprimi consuevit, quo signo fit, ut quid et quanti valeat materia, cognoscentes ea ad necessarias res uti facile possimus. Qui igitur nummum vel plumbeum, vel alioqui adulterinum, sibi carum propterea habet, quia signum in eo artificiose factum admiratur, neque eum, etsi maxime legitimus sit, maximeque ipse indigeat, ad vitæ usus impendere vult, is nummo abutitur, utilitatemque ejus, ob quam signum illi inditum est, nullum percipit. At nobis ita faciendum non est, sed sicut qui vel necessaria, vel divitias, sibi comparare vult, omnes vel quam pessime signatos nummos, modo boni sint, non veretur admittere. Sic nos, qui intelligentia indigemus, committere non debemus, ut vel barbare admodum scriptos libros, si bonarum rerum scientiam polliceantur, ullo modo repudiandos, vel quam dissertissime compositos, si de inutilibus et vanis rebus tractant, magni faciendos censeamus, quin etiam, si de seriis et utilibus maxime disserant, non temere admittendos putemus, ne, quemadmodum illorum oculos monetæ forma ita præstringebat, ut uti ea in necessarios etiam sumtus non paterentur, sic animum nostrum ornatus orationis et dicendi elegantia extrinsecus adeo occupatum detineat, ut ad sensa ipsa consideranda penetrare non sinat. Nam si neglectis rebus, id quod facimus, non tam, cum eas prorsus non discimus, quam cum non ab iis discimus, qui eas docent, sed ab iis, qui eas tantummodo eloquuntur, sermoni excolendo vacare voluerimus, verendum est, ne, dum in ea re cæteris hominibus præstare conamur, qua homines brutis antecellere credimus, picis et psittacis similiores evadamus. Si recte quidem fortasse ad imitationem loquamur, quod ratione carentibus etiam animalibus aliquando contingit, sapiamus autem, quod proprium hominis est, parum recte. At vero qui eloquentiam vituperant, ut cætera omittam, artem ejus inter adulationum species reponunt, atque id esse animæ dicunt, quod corpori est obsonatrix.

Sicut enim illa variis condimentorum illecebris gustum fallit, nec permittit, ut ciborum naturalis et sincerus sapor percipiatur, ita hanc variis verborum lenociniis turpibus et injustis rebus honestatis et justitiæ specie obducta judiciorum rectitudinem omnem distorquere ac pervertere. Ut qui his assentiantur, contra quam priores illi faciebant, nihil admittere sine suspicione velint, quod aliquod in se vel mediocre eloquentiæ ornamentum ac lumen præ se ferre videatur, eloquentiamque omnium pene malorum in causa esse hominibus arbitrentur. quippe cum ea prava ex se sit, non nisi prave uti quispiam possit. Nam si ad veras res, quas in animo habemus, exprimendas, non ad fingendas falsas et fucandas ea uti vellemus, satis unumquemque in ea re, quam bene novit, esse eloquentem posse. sed miror, si hæc revera, et non ad hominum petulantiam, quibuscum loquebatur, exagitandam diceret Socrates, quippe qui eam turpem sane doctrinam gloriose profiterentur, qua causa inferior dicendo superior efficeretur, cur medicinam laudaret, cum ipsa, quæ ad salutem hominum inventa est, ad perniciem nonnulli interdum abutantur. non enim quod electionis et hominis vitium est, arti est attribuendum. Nam eloquendi et dicendi ars, quæ rhetorica est, cum instrumentum sit, ac similis dialecticæ, laudabilis ac vitæ humanæ perquam necessaria facultas, quæ non secus atque illa non aliquam definitam ac certam materiam habet, in qua versetur, sed in unaquaque re probabilitatem indagat, atque invenit, tam destruitur ac tollitur, si in ejus rei præstantiam transmutetur, cui applicatur, quam si ejus qui ea utitur, pravitas ipsi adscribatur. Quemadmodum enim dialectica si decipiendi proposito distorqueatur, dialectica non amplius est, sed sophistica et captiosa, cujus non in arte, sed in abutentis voluntate, vitium est: sic rhetorica, quæ fallit ac decipit, licet nomen aliud distinctum non habeat, sed Rhetorica etiam ipsa appelletur, Rhetorica tamen non est, sed captiosa, et falsa Rhetorica, vitio utentis perversa. Quæ merito quidem vituperatur, modo cum id fit, hominum pravitatem tunc, non artem, reprehendi non ignoremus. Ars enim ipsa ad imperitos homines, eosque omnes, qui in subtilibus rationibus percipiendis non sunt exercitati, docendos persuadendosque necessaria admodum est. Quod enim dialectice inter philosophos, id inter civiles munus rhetoricæ est. Nam si in civitatibus hæc non esset, quæ, an utile aliquid esset, aut inutile, inter consultores, an justum, aut injustum, apud judices, an honestum, aut turpe, apud spectatores ostenderet, confusa omnis vitæ traductio, atque administratio haberetur. Cum enim pro sua quisque opinione facile decipi possit, et segnes natura ad discenda bona homines sint, tum etiamsi sciverint, facile affectu aliquo ita depraventur, ut ad non agenda bona procliviores evadant, ille, qui hac facultate est præditus, tria hujusmodi gerendarum rerum impedimenta

ex animis hominum aufert, tribus ad persuadendum idoneis modis adhibitis. Ne enim plerique, an utile sit, quod agendum videtur, an justum, quod judicandum est, an honestum, quod est approbandum, ignorent, iis orator eloquentiæ artifex rationibus, non subtilibus illis quidem, sed ad civilium hominum captum accommodatis, docendo in tribus causarum generibus veritatem manifestat. ne item ad discendum segnes sese exhibeant homines, delectando allicit, ne quamvis verum sciant, vitio tamen depravati aliud facere velint, movendo afficit, atque ita ad agendum quodammodo compellit. Nam si quis hæc tanquam suspectas artes, et violentas machinas evitandas censet, is auditorum inscitiam si vult, damnare potest, qui nullo alio modo intellecturi erant, eum vero, qui ad illorum imbecillitatem orationem suam accommodat, nisi laudare certe non debet. Tantam siquidem auctoritatem, dignitatem et excellentiam apud omnes obtinet, ut, sicut vituperandus nullo modo est, ita laude et gloria ex sese adeo abundet, ut laudibus extrinsecus petitis minime indigeat. Nam quamvis aliis scientiis et disciplinis instructus ad persuadendum accedat, propria tamen laude esse contentus potest. Sicut orator hic noster, qui clarissimus inter omnes hoc in genere est, quem præ manibus habemus, licet aliis disciplinis fuisset eruditus, et ex Platonis schola multa præclara didicisset, et Thucydidi, scriptori Atheniensi, tantum studium adhibuisset, ut octies sibi ejus historias describendas putarit, nullius eorum gloriam sibi videtur affectasse, nisi ejus rei, quæ hujus tantummodo artis sine dubio propria est. Cum enim quinque hæc partes habeat, inventionem, dispositionem, elocutionem, memoriam et pronunciationem, ab Andronico histrione interrogatus, quid in Rhetorica primum esse existimaret, pronunciationem dixit, et secundo, et tertio idem respondit, quoad desiit ille interrogare, ut non tam præcipuam, quam solam rhetoricæ propriam partem pronunciationem esse significaret. propterea videlicet quum cæteræ omnes ita aliarum rerum cognitionem interdum innexam habent aliisque omnibus etiam philosophicis disputationibus communes sunt, ut aliarum, si quis recte non advertat, videri scientiarum possint, hæc sola sine ulla controversia non alteri, quam huic arti, adscribi queat, atque iccirco tantam operam sibi ei adhibendam duxit, ut non tam orationes ejus et scripta, quam industria et exercitatio in ore omnium sit, et apud omnes celebretur. Quis enim est, qui meditationes ejus in cubiculo subterraneo non admiretur, cum inæqualem tonsuram etiam capiti adhibuisset, ne sibi aliquando inde exeundum esset, atque ita studium intermitteretur. Quis lecti ejus angustiam non decantat, qua id consequi procurabat, ut incommoda cubatione occasio ei surgendi tempestivius exhiberetur? Quis id non celebrat, cum se antelucanis fabrorum vigiliis superari ægre ferebat? Quem illa ejus diligentia non movet, cum ad Phale-

ricum profectus ad undarum fragores calculis etiam in ore sumtis pronunciare orationes assuescebat, quo postea et clarius verba proferret, et tumultibus populi non exturbaretur? Quid, cum gladiis de tecto suspensis, ita pene, ut humeros attingerent, domi se ad dicendum exercebat, ne gestu humeri incomposito actionem corrumperet, nonne animos hominum capit? Hanc igitur pronunciationem, cui præcipue sibi incumbendum censuit hic auctor, cujusque præcipue gloriam videtur appetivisse, præcipuum quoque in ejus orationibus locum obtinere existimandum est, ut cum eas legimus, non modo cæteris aliorum omnium anteponamus, sed quia pronunciationem auctoris animo concipimus, ipsas se ipsis quoque esse admirabiliores judicemus, et plus, quam legamus, intelligamus, et licet vox ejus non audiatur, semper tamen adversarii ejus voce illa aures nostræ personent, quid si ipsum audiremus? ut non immerito Macedonum rex Philippus, contra quem acriter semper invehebatur, cum ei recitatæ orationes aliquæ ejus essent, neque se alium quempiam, quam ipsum, in bello adversum se consultorem fuisse electurum dixerit. orationesque ipsas ob vim actionis, quam præ se ferebant, cum Isocratis quasdam athletis e palæstra similes sibi videri asseruisset, militibus comparavit, quippe cum ita urgeant rem semper, ita instent, ita vero certamine, et non umbratili semper utantur, ut terrere veritate ipsa et cogere videantur. Tametsi mihi quidem etiam, dum lego Demosthenem, arrogans illa Gorgiæ, et Protagoræ, aliorumque veterum sophistarum professio non admodum absurda apparet, qui discipulis suis pollicebantur se eos esse arte sua civilium agendarumque rerum peritos esse effecturos. nam si id intelligere volebant, si quis recte præcepta artis fuisset secutus, atque ex eorum præfinitione in civitatibus opportune deliberationes, et judicia, vel etiam demonstrationes pertractasset, eum non mediocrem civilem peritiam in orationibus suis præ se laturum, quis non videt, ut omittam interim inventionis acumen, dispositionis apta momenta, elocutionis diluciditatem, et gravitatem, ac demum actionis summam vim, qua tanquam spiritu quodam reliqua omnia noster hic orator animavit, tantam in scriptis ejus ad vitæ humanæ actionem pertinentium sententiarum copiam inesse, ut sapientissimi philosophi munere fungi videatur? tantam morum civitatum, et rerum publicarum administrationis peritiam, unde salus ipsis compararetur, unde periculum et pernicies impendeat, ut ex ejus lectione, si quis diligenter advertat, tam, pene dixerim, ad res agendas instructus unusquisque possit discedere, quam ex quovis accuratissimo historico? Sed hæc hactenus, ne ineptus existimer, si laudes ejus dicendo illustrare videar velle, qui dicendo omnium pene laudes obscuravit. Hæc enim ea de causa dicta a me sunt, ut eloquentiam sicut propria laude fraudandam non esse, ita sua tantum posse esse

contentam ostenderem. et egregium hunc oratorem etiamsi non aliunde, quam ex arte eloquentiæ, gloriam ei attribuamus, ex ea adeo clarum ac celebrem apud omnes esse, ut aliam laudem, quamvis adeptus sit, non multum tamen desiderarit. Cum igitur, præsul optime, hic tibi non immerito adeo placeat, ut in aliorum etiam graviorum studiorum occupationibus lectionem ejus tibi nunquam intermittendam censueris, posteaquam excusus jam est, eum tibi dicandum duxi, ut sub ejus nomine in manus hominum prodiret, qui illius esset studiosissimus. Tum etiam, ut, cum ego in eo excudendo operam nonnullam impenderim, labore hoc qualicunque tibi oblato, observantiæ in te meæ, qua multis de causis jam diu te prosequor, significandæ occasio mihi in præsentia daretur. Nam præterquam, quod vestra ista familia tum morum integritate ac virtutum splendore, tum imperatorum, quorum copia maxime floruit, gloria et rerum gestarum amplitudine, tum Leonardi, avi tui, Principis optimi, præstantia, ac dignitate illustrata adeo clara ac celebris semper fuit, ut conciliare sibi animos omnium facile potuerit, atque ob id ipse etiam communi nomine propenso erga eam animo semper fuerim, privata tamen causa atque illa quidem tam gravis benevolentiæ mihi accessit, ut nunquam eam ex animo meo quoad vixero ulla deletura oblivio sit, Antonius, omnibus quidem, qui illum noverunt, non sine præfatione nominandus frater tuus. qui cum adolescentiæ annos nondum excessisset, et abbas electus tanta ingenii perspicacia esset præditus, tanto scientiarum, et literarum præcipue sacrarum amore inflammatus, tanta in negotiis tractandis prudentia instructus, ut ex ista familia prodiisse, quasi præcipuum germen agnosceretur, et sacerdotii istius præsul dignissimus jam haberetur, me, a quo summopere observabatur, maxima prosequebatur benevolentia, atque inter eos delegerat, quibuscum sæpenumero versaretur, ac de literarum studiis colloqueretur. ut temperare a dolore interdum vix possim, cum memoria repeto, quam repente morte præventus ex hominum consuetudine maxima omnium cum jactura et mœrore sublatus fuerit. in tantam enim spem omnes induxerat, ut nemo esset, qui dubitaret, quin, ubi maturior ætas accessisset, et eruditionis et sanctitatis nostris temporibus singulare exemplum esset futurus. Nam ex ejus obitu licet boni omnes jacturam maximam fecisse censendi sint, speque omni, quam summam de eo habebant, frustrati jacuerint, ego non tam moleste tuli, quod ejus sanctissima consuetudine tam repente caruerim, etsi id mihi contigit molestissimum, quam quod, cum ex ejus familiaritate specimen quasi quoddam et probitatis et amicitiæ concepissem, ubi ipse decessit, ita animum desponderim, ut, quia, quod simile ei esset, non facile reperiebatur, probitatem amplius hujusmodi ullam inventurum me esse diffiderem. Nunc vero, cum tu, clarissime Francisce, qui

in locum ejus successisti, et ingenio, et studiis plane eum referas, eandemque morum probitatem præ te feras, ut non tam dignitatis, quam propositi, atque animi etiam ejus successor fuisse videaris, nihil vereor, quin eam exspectationem, quam ille de se apud omnes concitaverat, sustinere ac tueri etiam magnifice possis. Suscipies igitur in præsentia Demosthenem, ac quoties eum in manus sumes, frequenter autem id facturum te esse non dubito, non tam summum oratorem, quam maximum etiam amoris in te mei judicium sumere te existimabis. Vale.

Studiosis S.

Cum Demosthenis orationes ad commodum vestrum parva hac forma excuderentur, in tres patres eas dividendas censuimus, ne, si uno volumine omnes fuissent comprehensæ, in tantam magnitudinem excresceret liber, ut vana omnis utilitas fieret, quam ex forma hac eratis habituri. Apte autem incidit, ut absque ulla nisi parva admodum veteris ordinis mutatione facta divisio sit. Nam in prima parte deliberativæ omnes positæ sunt, eo quo prius erant ordine collocatæ. atque id merito quidem, propterea quod par erat, ut consultandi, et deliberandi Rhetoricæ species, quæ prima et gravissima, maximeque ad civitates regendas necessaria est, primum etiam in ordine locum obtineret. His et deliberativa exordia, et duas demonstrativas orationes subjunximus, quæ in finem libri in veteri impressione rejecta fuerant, illa, quia ad idem genus spectabant, has, quia, cum adeo paucæ essent, ut nullum volumen conficere per sese possent, sed alicui ex aliis tanquam appendix annectendæ essent, ei annecti commode posse videbantur, quod minimum omnium erat futurum. Secunda pars judicialibus iis tantum dicata est, quæ vel de decretis et legibus præter leges latis, vel de legationibus male actis, vel hujusmodi aliis publicis causis scriptæ sunt. Tertia cæteras omnes complexa est, quæ ad tutelas, hæreditates, mercaturas, atque id genus privata commercia attinent. Hæc enim tertium, quemadmodum publica secundum, locum sibi merito vendicant. nam sicut privata publicis, ita judicia esse inferiora deliberationibus debent. quippe cum judicia sint, quæ non tam ea, quæ ex legibus, quam quæ ex deliberationibus constituta sunt, si recte gerantur, honoribus, si male, pœnis cives afficiant. Tres autem hæ partes diversas lectiones, quæ in contextu asterisco notatæ sunt, suas quæque in calce repositas habet. Errata vero, quæ inter excudendum contigere, in calce tertiæ omnia omnium partium restituenda curavimus. Valete.

ΠΑΥΛΟΣ ΑΛΔΟΥ ΜΑΝΟΥΚΙΟΣ

τῷ αἰδεσιμωτάτῳ πατρὶ, Λευδοουΐκῳ Βεκατελλίῳ, τῷ Ῥαβέλλου ἐπισκύπῳ, ἀποστολικῷ Ἐνετῖησι ληγάτῳ, χαίρειν.

Οσον μὲν ὁ πατὴρ ὁ ἐμὸς εἰς τὴν χαλκογραφικὴν ταυτηνὶ τέχνην συνεισήνεγκεν, σχεδὸν οἶμαι πάντας εἰδέναι. παραλαβὼν γὰρ αὐτὴν ἐλλειπῶς ἔτι καὶ πονήρως φερομένην, οὕτω σφόδρα φιλοπονησάμενος ἐπηύξησέ τε καὶ μετεκόσμησεν, ὥστε μηδεμίαν τό γε ἐς αὐτὸν ἧκον, τοῖς ἐπιγιγνομένοις ὑπερβολὴν καταλιπεῖν. ἐγὼ δὲ καὶ πάλαι μὲν προεθυμούμην τοῖς τοῦ πατρὸς ἐγχειρήμασιν ἐπεξελθεῖν, μηδὲ καταδεέστερον ἐμαυτὸν παρασχεῖν τῶν ἐκείνῳ πεπραγμένων, ὑπό γε μὴν παντοδαπῶν ἀσχολιῶν καὶ ὧν μετὰ χεῖρας ἔχω ξυγγραμμάτων περισπώμενος, ἔτι δὲ περιουσίαν χρημάτων οὐκ ἔχων, ῥᾳθύμην τέως ἡσυχίαν ἄγων, κατολιγωρεῖσθαι μᾶλλον, ἢ τοῖς ὑπὲρ δύναμιν ἐγχειρῶν οὐδὲ πολλοῦ δεῖ τῆς ἐσομένης ἄξια διαπραξάμενος δόξαι προσδοκίας. καίτοι πολλοί μοι προσίοντες ὁσημέραι τῶν φίλων ἐπιπλήττειν ἐπεχείρουν, ὡς ἄρα αἰσχρὸν, εἰ μεγίστας καὶ καλλίστας ἔχων παρὰ τοῦ πατρὸς τὰς ἀφορμὰς ὑπὸ ῥᾳθυμίας ἐθελοκακοίμην, καὶ περιορῴην ἐμαυτὸν ὑφ' ὧν ἥκιστα ἐχρῆν παρενδοκιμούμενον, καὶ τὴν τέχνην ταῖς τῶν ἄλλων πλεονεξίαις διαφθειρομένην, ἐξὸν κατ' ἴχνη χωροῦντα τοῖς ἐκείνου ἐπιτηδεύμασιν, ἀείμνηστον εἰς τὸν ἔπειτα χρόνον μνημεῖον ἐμαυτῷ παρασκευάσαι. οὗτοι τοίνυν καίπερ εὐνοϊκῶς ἔχειν δοκοῦντες, οὐκ ἐλάνθανον λόγῳ ξυμπροθυμούμενοι μόνον, ἔργῳ δ' οὐδὲ κατὰ μικρὸν ἂν τὴν τυχοῦσαν ἐπικουρίαν παρασχόντες: ὅπερ ποιεῖν εἰώθασιν οἱ πολλοὶ, συμβουλεύοντες μὲν προθύμως, παρὰ δὲ τὰς χρείας οὐδοτιοῦν τοῖς φίλοις ὑπουργοῦντες. σὺ μέντοι μόνος ἀμφότερα παρασχόμενος, δεῖγμα μέγιστον τῆς σῆς μεγαλοψυχίας καὶ τῆς πρὸς ἐμὲ φιλίας ἐξενήνοχας, σεβασμιώτατε πάτερ, οὐ μόνον τὰ κράτιστα ξυμβουλεύων, ἀλλὰ δὴ καὶ πόρους χρημάτων ἐξευρίσκων, καὶ δαπανῶν, αὐτός τε ἐκ τῶν ἐνόντων ἐπιχορηγῶν, καὶ τοὺς ἄλλους πείθων: ὥσθ' ἱκανὴν ἤδη παρασκευὴν συγκεκροτῆσθαι τοῖς ἄξιόν τι λόγου ποιεῖν προαιρουμένοις. ἐδόκει μὲν οὖν τοιούτων ἀφορμῶν λαβομένοις μὴ μένειν, ἀλλ' ἐγχειρεῖν τὴν ταχίστην, ἅπαν δ' ἁπλῶς ἐντυποῦντας, καὶ τὰ πρὸ τοῦ, καὶ τὰ μηδέπω, τὸ καὶ τήμερον ἐκδεδομένα. σκοπουμένοις δ' οὐδὲν ἐφαίνετο τό γε νῦν ἔχον οὕτω προὔργου τοῖς νεωτέροις ἐσόμενον, ὡς τὸ τοῦ παιανιέως τοντὶ βιβλίον· ὃν δὴ καὶ τῇ τέχνῃ, καὶ τῇ τῶν νοημάτων εὑρέσει, καὶ τῷ κάλλει τῆς ἑρμηνείας, καὶ, συλλήβδην εἰπεῖν, πᾶσι τοῖς ἄλλοις τοῦ λόγου πλεονεκτήμασι καὶ τοὺς πρὸ αὐτοῦ καὶ τοὺς μετ' αὐτὸν ἀνθρώπους ὑπερβαλλόμενον ἅπαντες ἴσμεν. τούτου τοιγαροῦν τοὺς λόγους ὡς οἷόν τ' ἦν ἐπιμελέστατα διορθωσάμενοι, καὶ τοῖς δοκιμωτάτοις τῶν ἀντιγράφων ἀντεξετάσαντες, σοὶ προσφωνοῦμεν, οὐ μὰ δία τοῦ γε δοκεῖν ἀμείβεσθαί σε τῆς μεγαλοδωρίας, (ἀνόητος γὰρ ἂν εἴην, εἰ, τοσούτων καὶ τηλικούτων ὑπαρξάντων μοι παρά σου εὐεργετημάτων, προῃρούμην δι' ἐπιστολῆς ἀπολύσασθαι τὸ χρέος) ἀλλ' ὥστε

πᾶσι ποιῆσαι καταφανὲς τῆς τε σῆς καλοκἀγαθίας τὸ μέγεθος, ἔτι δὲ καὶ τοῦ βιβλίου τουτουὶ, καὶ τῶν ἄλλων τῶν ἐκδοθησομένων, εἴπερ ἄρα τι περιέσται τοῖς νέοις ὄφελος, σοί γε πάντως τὴν περὶ τούτου προσήκειν χάριν, τῷ μόνῳ τὸ καλὸν τοῦτο καὶ ἐπωφελὲς ἔργον ἐνστησαμένῳ. ὅτι μὲν οὖν καὶ τοῖς παροῦσιν ἀγαπήσεις, καὶ μόνης ἡμᾶς ἀποδέξῃ τῆς προθυμίας, εὖ οἶδα, εἴπερ ἐγὼ τὸ φιλόσοφον τοῦ τρόπου καὶ τὸ μεγαλόφρον οὐκ ἀγνοῶ τὸ σόν. ἐγὼ δὲ πειράσομαι μὲν ἀεὶ τιμᾷν σε τούτοις, οἷς τυγχάνω δυνάμενος, εἰ δ' οὐχ, ὡς προσῆκεν, οὐδὲ κατὰ τὴν ἀξίαν τὴν σὴν, τό γε μὴ παντάπασιν ἀχαρίστως ἔχειν τῆς γνώμης πᾶσιν οἶμαι φανερὸν καταστήσειν. ἔρρωσο.

IOANNES HERVAGIUS

GRÆCARUM LITTERARUM STUDIOSIS

S. D.

QUANQUAM res ipsa docere poterat, quantum hæc nostra Demosthenis Orationum editio, reliquis omnibus, quæ adhuc editæ sunt, emendatior sit: nostri tamen muneris est, vobis, o studiosi, indicare, undenam exemplaria tam emendata habuerimus: ne et illi merita laude suorum laborum fraudentur: et vos, tantorum virorum nominibus auditis, rarum aliquid atque præclarum in nostra hac editione esse, nullo modo dubitetis. Solent enim res non sua modo vi et natura, sed cum etiam ab artificio, tum vel maxime ab artificis excellentia et nomine laudari. Mirabantur veteres, si quis Apellis vel Zeuxidis tabulam ostendisset: et nos quoque, si quis Dureri germani, aut Titiani itali picturam proponat: non tam sæpe artificii caussa, quam artificis. qua in re non fallimur omnino. Permagni enim refert, quem quodque opus autorem præ se ferat: quod ab excellentibus artificibus non nisi præclara opera soleant proficisci. Sic ille pastor non ineptus apud poetam, pocula quod divini Alcimedontis opera essent, magni facienda censet. Quid si omnia reliqua accedant, quæ valent ad laudem, et materiæ bonitas, et artificii pulchritudo, et artificis præstantia, nonne tum perfecta et consummata laus esse videatur? Quamobrem cum nos in nostro hoc Demosthene edendo, duorum clarissimorum virorum, Petri Danesii Galli, et Vincentii Obsopœi Germani, exemplaria, castigationesque secuti simus, jam existimare debetis, qualem vobis exhibeamus Demosthenem, nitidum certe, et innumeris erroribus repurgatum. Neque enim ullis aut sumtibus, aut laboribus parcimus, quo vobis veteres illos utriusque linguæ autores clarissimos suo pristino nitori restitutos exhibeamus. Habetis igitur in hoc autore omnia illa, quæ modo ad perfectam laudem requiri dicebam: Demosthenem ipsum primum, at Dii boni, quantum artificem? qualemve oratorem? eum, quem aspectabant, cujus ob os Grali ora ob-

vertebant sua: de quo prætereunte dicebant: Hic est ille Demosthenes, qui Ciceronem nobis, quantus est, effecit. Deinde etiam, quos modo laudavi, Danesium et Obsopœum, qui in Demosthene restituendo præclaram navarunt operam. Artificium vero, etsi ex ipso artifice jam cognosci potuit, tamen melius et certius ex ipsarum orationum textura et lectione intelligetur. Superest materies, in qua artifex iste divinus artem suam declaravit: ea vero hic tam ampla est, tamque late patens, ut omnes philosophiæ partes attingere videatur. Nam et res in obscuritate naturæ latentes interdum hic orator in apertam lucem splendida et illustri oratione trahit, et de virtutibus et vitiis ornatissime dicit: et argumentis sic pugnat, ut contra stare adversarius nullo modo possit. Verum hæc ad tria causarum genera omnia referunt oratores: ad consultationes, ad laudes, et ad judiciales controversias. Judiciales autem causæ sunt sunt bipertitæ; aliæ enim sunt de publicis rebus civitatis, aliæ de privatis civium inter se litibus. Itaque et ex his tribus orationum voluminibus, primum consultationes et laudes, quod hæ pauciores sint, quam judicia, continet: secundum, judiciales causas eas, quæ de publicis rebus disceptant: tertium, privatas civium controversias. Noluimus enim commoditatem, si qua in hac tripartita divisione inest, aspernari, ne vobis aliqua ex parte defuisse videamur. Valete. Basileæ, Calend. Januarii. 1547.

DIONYSIUS LAMBINUS

Lectori.

Absoluta est tandem, lector erudite, Demosthenis editio, omnibus literarum græcarum studiosis tamdiu exspectata, et tantopere exoptata: atque iis quidem temporibus absoluta, quibus vix quisquam hoc auderet optare, nedum sperare. Cum enim scirent omnes homines qui literarum græcarum studio delectantur, Demosthenem a Gulielmo Morelio, typographo regio, viro experiente ac strenuo, et, quamquam non admodum locuplete, magnis tamen et multis artis typographicæ facultatibus atque adjumentis ornato, annos abhinc circiter duodecim, temporibus reipublicæ etiam tum tranquillis et pacatis, cœptum esse excudi: sed propter motus civiles tum primum in Gallia ingruentes atque orientes, et tempora turbulenta ac formidolosa, esse intermissum: quid erat minus credibile, quam propter quas causas opus tam præclarum, tam plausibile, tam vendibile denique, fuisset de manibus positum, annosque circiter decem jacuisset inchoatum, iisdem causis manentibus, atque adeo auctis ac multiplicatis, ab homine, si non minus ad tantam rem faciendam idoneo, at certe paucioribus adjumentis ad eam necessariis instructo, minusque exercitato, de integro in manus sumi, ac re-

tractari et retractatum ad finem perduci? Verum tamen vicit omnium opinionem Io. Benenati conatus laudabilissimus atque honestissimus, industriaque singularis, qui, omnibus jam sperando et exspectando defessis, Demosthenis editionem tot annos intermissam et repetiit, et repetitam, diis hominibusque approbantibus, absolutam et confectam reddidit. Verum, ut intelligas, lector, quid inter hanc editionem et cæteras superiores intersit, aut quid ad hanc accesserit, quod ab aliis absit: hoc totum tibi breviter exponam. Gulielmus Morelius annis aliquot ante, quam Demosthenis editionem susciperet, duo exempla, unum Aldinum, Venetiis, alterum Germanicum, Basileæ impressum, cum octo vetustis codicibus manu scriptis, ex bibliotheca regia depromtis, diligentissime contulerat, omnesque scripturæ varietates, ac dissimilitudines, etiam eas interdum, quæ videri possint minus probabiles, et vix tolerabiles, ad oram exempli Germanici adscripserat. Præterea scholia in marginibus librorum illorum regiorum scripta, quæ in Ulpiani commentariis usque adhuc impressis non reperiuntur, et utilissima, et plurima, ita ut quartam partem Ulpiani commentariorum hodie exstantium magnitudine et amplitudine exæquent: hæc, quæ dico, scholia in oram illius exempli transscripserat. His et aliis facultatibus necessariis instructus Morelius operi tam præclaro manus admovit. Si nihil aliud, quam rem tantam, auspicatus atque exorsus esset, atque in ipso operis limine ac vestibulo vel rei difficultas non satis antea explorata, vel casus aliquis improvisus atque inopinatus (ut sunt humana) eum rem cœptam, inchoatam relinquere coegisset: tamen cum, sapientum virorum sententia, principium totius sit dimidium, et in omni re honesta solus conatus, etiam si eum non perficias, laudari soleat: magnum quiddam fecisset, laudemque fortasse aliquam meruisset. Nunc autem cum reapse declaravit, se non inanem conatum, neque præcipitem, aut irritum impetum ad negotium susceptum attulisse: (quod facere consueverunt, qui, non adhibito ad rem, quam instituunt, consilio, neque rei magnitudine diligenter et attente considerata, ad aliquid magnum aggrediuntur,) summa laude dignissimus est: qui quamdiu reipublicæ tempora tulerunt, tanto studio in id, quod semel considerate susceperat, incubuit tantaque animi alacritate in eo perseveravit, ut Demosthenis editionem usque ad orationem de male obita legatione perduxerit: hoc est paullo minus, quam totius operis dimidium, attigerit. Cum ad eam orationem pervenisset anno, opinor, cIↃ. cI. LX. magnæ turbæ in Gallia coortæ, temporaque reipublicæ calamitosa consecuta, bellum domesticum, pestilentia, hujus scholæ universæ infrequentia et solitudo, et pæne dicam vastitas: hæc et similia mala, opus magno animo incœptum, et ad id loci perductum, interrumpere coegerunt. Non multo post ille, morbo partim ex vigiliis in-

tempestivis et labore immoderato, partim ex communium et publicorum incommodorum acerbitate contracto, supremum vitæ diem obiit. Quo mortuo spes omnis hujus editionis absolvendæ omnibus mortalibus præcisa est, præsertim crescentibus in dies discordiis civilibus, et post superiora mala sedata ac sopita (non enim dicam exstincta) novis subinde aliis gravioribus suborientibus, quibus nondum etiam hodie defuncti sumus. Ita cum Demosthenis editio inchoata multos annos mansisset: Io. Benenatus, totius instrumenti typographici successor, matrimonio cum vidua contracto, factus, partim sua sponte, partim hominum tam longam incepti operis intermissionem querentium et ægre ferentium vocibus assiduis victus, consilium tandem cepit operi inchoato, et deposito, et ut ita dicam, conclamato, subvenire. Qua in re cum sibi adjutorem aliquem adhibendum esse existimaret, qui et vellet et posset ei rei operam aliquam navare, se ad me potissimum contulit: quem et publicis commodis libenter inservire cognoverat, et plurimum sibi in negotio suscepto prodesse posse existimabat. Ego, quamvis in aliis rebus a me institutis occupatissimus, homini amico, præsertim in re tam præclara, deesse nolui. Itaque continuo reliquam partem exempli impressi, ad cujus oram et scripturarum contextus Demosthenis varietates a Morelio adscriptas, et scholia illa Græca nondum impressa, transcripta fuisse supra dixi, diligenter atque attente relegi, ac recognovi. Ac scholia quidem illa, quæ propter Morelii obitum immaturum erant adhuc confusa, et perturbato ordine collocata, ita ut, quo pertinerent, non facile quivis interdum cerneret, suo quæque loco digessi atque in ordinem redegi: et Ulpiani commentarios in editionibus vulgatis corruptissimos, quoad ejus fieri debuit ac potuit, castigavi atque emendavi. In contextu vero Demosthenis recognoscendo viam mihi jam a Morelio præmonstratam secutus sum, simulque Benenati voluntati morem gessi, ut nihil prorsus a vulgata et recepta scriptura mutarem: sed omnes dissimilitudines vel ad oram libri adpingendas, vel in calce collocandas curarem. Qua quidem in re tanta fuit Benenati religio, cui facile assensus sum, ut lectiones et interpunctiones vulgatas nonnunquam vitiosas retinere maluerit, dummodo earum emendationes vel in margine, vel in calce libri repræsentarentur, quam cuiquam malevolo ullam justam reprehendendi ansam relinquere. Meminerat enim, de mea Ciceronis editione, qui sermones hominum partim imperitorum, partim iniquorum fuissent, cum dicerent, me nimium mihi juris in Cicerone emendando assumsisse: non oportuisse a lectione recepta discedi: satis fuisse lectionis varietates et scripturas in antiquis codicibus repertas, aut quantumvis probabiles conjecturas, in annotationibus locari. Ne quid igitur in Demosthene quicquam tale a nobis esse factum queri possit, (quamvis hominum invidorum et in-

doctorum sermones semper contemserimus, et nostram in Ciceronе emendando industriam doctis omnibus probatam esse compertum habeamus) ita religiosi, ut dixi, in hac editione fuimus, ut lector hoc sibi certo promittere queat, et Demosthenem omnium, qui unquam editi sunt, emendatissimum, Gulielmi Morelii, Io. Benenati opera, nonnihil etiam mea, quod quidem in mea manu fuit, nunc se esse adeptum, et nihil tamen, quod quisquam vel malevolentissimus criminari possit, in eo esse immutatum. Hæc te, lector, scire volui priusquam ad Demosthenem legendum tuum studium conferres. Si qua operarum errata sunt, alienam culpam præstare non debemus. Vale et hoc labore fruere. Lutetiæ anno ɔIↃ. Io. LXX. Kalend. Febr.

IO. BENENATUS TYPOGRAPHUS

Lectori.

Cum duodecim abhinc annos Gulielmus Morelius Demosthenem, oratorum omnium facile principem, typis mandare cœpisset, et hanc editionem primum turbulenti reipublicæ motus, bellaque intestina, et difficultas rei familiaris ex malis communibus nata, intermittere coegissent: deinde ejus viri mors brevi consecuta totam rem ita impedisset, ut perexigua et perquam tenuis spes ejus de integro aggrediendæ relinqueretur: nobis tandem, anno superiore, Gregorii Nazianzeni ab Iacobo Billio Brunæo, S. Michaelis in Eremo abbate, viro literis græcis et latinis, omnique doctrina liberali perpolito, in latinum sermonem conversi editione absoluta, in mentem venit, Demosthenem, quem ab omnibus græcarum literarum studio deditis valde amari atque expeti sciebamus, aliquando repetere, ejusque editionem inchoatam relictam absolvere. Cui oneri sustinendo cum humeros nostros invalidos esse facile intelligeremus, sive sumtus in eo negotio faciendus, sive difficultas in exemplo recognoscendo, et scripturarum varietatibus considerandis, ac scholiis ordine disponendis, spectaretur, auxilium ab aliis nobis petendum esse existimavimus. Et quod ad sumtum quidem attinet, hunc nodum non tam cito, neque facile expedivimus: altera autem difficultas non multo minor restabat: qua qui nos libentius, aut facilius levaret, quam Dionysius Lambinus, literarum græcarum professor Regius, non videbamus. Itaque cum ad eum confugissemus, ab eoque petivissemus, ut nobis tanto oneri ferundo imparibus opem ferret: ille continuo, pro sua erga omnes humanitate, et pro suo in literas et literarum studiosos amore, de quibus bene merendi neque finem, neque modum ullum facere potest, quamvis esset in aliis rebus, iisque difficillimis et utilissimis rei literariæ futuris occupatus, nobis operam suam pollicitus est et promissum exsolvit.

Quod si ejus occupationes, ut summo jure poterant, ita hoc nobis adjumentum denegassent, nisique quasi quidam Hercules Atlanti defesso in partem laboris successisset, profecto, ut ingenue fatear, tantam negotii molem perferre non potuissem. Cum igitur Dionysio Lambino hujus editionis absolutæ magna gratia debeatur, tum Gulielmo Morelio mortuo nulla satis ampla laus tribui potest, qui primum hoc opus orsus est: deinde librorum veterum regiorum ope fretus, Ulpiani commentarios plus quarta parte auctos nobis reliquit: cum præter diligentiam et industriam nihil de suo addiderit. nam quicquid additum est, additum ex libris manuscriptis quibus in recognoscendo Demosthene usus est: ex quibus omnes scripturæ varietates in marginem unius exempli Hervagiani fidelissime transtulerat, idemque et in multis aliis libris, antequam e vita decederet, fecerat, et in pluribus facturus erat, si vita suppeditasset. Quare omnium bonorum favore dignus erat, qui tantum studium, tantamque industriam ad vetustos codices quasi e situ eruendos, et ex eorum auctoritate vulgatos restituendos conferebat.

Quod ad Demosthenis laudes attinet, ridiculus sane essem, si in tanto oratore laudando inanem operam hic sumere vellem. Satius enim est de eo tacere, quam pauca dicere, ejusdem tamen aliquot elogia ex veteribus sumta, in quibus colligendis nobis operam navavit D. Lambinus, subjecimus.

Vale, lector benevole, et si quid bene de tuis studiis meremur, vicissim fave.

Hoc autem, lector erudite, admonendus es, cum Morelius octo, ut dixi, codicibus in recognoscendo Demosthene usus sit, eos literis græcis in margine hujus editionis significari, verbi gratia, unus significatur litera α. alius litera β. alius litera γ. et sic de reliquis. Cæterum notæ marginales respondent notis, quæ sunt in contextu. Voces, quæ includuntur hujusmodi obelisco `, et hujusmodi nota apostrophi ', desiderantur in libris sua litera significatis. Hujusmodi autem asteriscus * indicat, vocem vel voces additas esse in margine, quæ absunt ab aliis codicibus non significatis. Numeri qui sunt ad marginem commentariorum, respondent numeris indicibus, qui sunt ad marginem contextus. Multas scripturæ varietates, et dissimilitudines, præter eas, quæ sunt in margine libri, in calce posuimus, et cum eis, si qua errata operarum humanitus admissa sunt, eorum emendationes conjunximus. Iterum vale, et nos ama.

HIERONYMI WOLFII

Ad Eusebium Episcopium industrium et magnificum Typographum

In varias lectiones Demosthenicas

Præfatio.

INSTITUTUM tuum, viro bono et docto, et tuo quoque cognomine dignum (quod παρὰ τὸ ἐπισκοπεῖν fieri scis) non modo multos et magnificos autores: sed et ornate et emendate, cum accuratis indicibus, eosdem in publicum edendi, magnopere probo: tibique et fructuosum et laudi sempiternæ fore confido. Inter quos et Demosthenicum hoc opus, propter summam utriusque oratoris autoritatem, non postremas esse laturum, consentaneum est. Quo libentius etiam rectæ voluntati tuæ, et D. Theodori Zwingeri acerrimo judicio, perlegendo et conferendo et excerpendo Luteciano Demosthene, morem gessi, quamvis et perpetuis laboribus fessus, et variis morbis pæne confectus. Ac quod Ulpianum attinet, Morelius non malam navavit operam, eumque nobis et auctiorem et paulo correctiorem exhibuit: cujus editionem in exprimendo sequaris licebit: conjecturis tamen etiam nostris (si videbitur) alicubi adhibitis. Scholia quoque, etsi pleraque non magni momenti, quibus longe plura (fortassis et meliora) e Lexicographis colligi possent, equidem non rejicio: vereor tamen, ne qui me rideant, qui istiusmodi λεπτολογήματα conversione mea dignatus sim: eoque magis, quod in declaratione verborum, cum utriusque linguæ, in etymologiis, derivationibus, significationibus, in translatis, synonymis, contrariis, constructionibus, in aliis compluribus, diversa ratio sit: ineptiæ et nugæ inanes vitari vix possunt. Nam Græca ex altero latere sita, Latinis admiscere, quamvis æque ineptum, tamen alicubi vitare non licuit: quod Scholiastes iste, quisquis fuit, sæpe nimium diffisus lectorum ingeniis, elementarios pueros docendos potius suscepisse videtur, quam eloquentiæ Demosthenicæ candidatos. Sed utut sit, ego nihil ab ullo editum in hoc opere, prætereire volui: cum non ignorem, ea, quæ plerique docti viri pro nihilo ducunt, a quodam non postremæ notæ professore magno cum supercilio et ostentatione exquisitæ diligentiæ atque doctrinæ pro suggesto fuisse decantata, vel deplorata potius ac elatrata, ut fuit ἐμπαθὴς ille homuncio et quamvis pene edentulus, mordacissimus, et in canina facundia (qua nimis petulanter et in me et in alios et me et se longe doctiores et clariores viros invectus est) exercitatissimus, et, cum lippus esset, in perspiciendis omnium scriptorum erroribus ac vitiis acutissimus. Qui quidem recte sibi cavit, quod nihil in publicum edidit: μή τι πάθῃ τό κ' ἔρεξε· δίκη τ' ἰθεῖα γένηται.

Sed ille valeat cum suis asseclis et imitatoribus; nos cœpta bonis avibus prosequamur. Ulpianum igitur, ut dixi, pellegisse non pœnitet. In ipso autem Demosthene conferendo, haud scio an operæ pretium fecimus. Nam conjecturæ nostræ *οὐκ ἄσκοπα τοξεύουσαι*, Aldino, duobus Hervagianis, Feliciano, Manutiano, Pannonio, Augustano Demostheni adhibitæ, *καὶ ἐπίκρισις ἀπὸ μεγάλης φρονήσεως, καὶ ἐμπειρίας πολυχρονίου γενομένη* (*εἰ καὶ φορτικώτερον τοῦτ' εἶναί τισι δόξει τῶν βασκαινόντων*) interposita, id præstitisse videntur, ut acutus et eruditus lector alia exemplaria, vel expressa, vel manuscripta, non magnopere sit desideraturus. Curatum enim est diligenter, ut et orthographica errata vel alioqui depravata tollerentur, et confusa distinguerentur, neque quidquam, quod ad rem pertineret, prætermitteretur. Itaque, si quid apud te valet mea auctoritas, mi Episcopi, sequeris eos codices, qui manu mea emendati sunt, et sub Calend. Januar. ad te missi: omnibus tamen asteriscis repudiatis, qui librum magis deformant, quam lectorem adjuvant. Qui si ita ignavus est et socors, ut annotationes nostras in locis suspectis et dubiis consulere gravetur, non asteriscis, sed obeliscis erit excitandus. Paucas tamen clausulas, quæ ex Augustano et Luteciano codice accesserunt, suis locis contextui facile inseres et Græco et Latino. Has enim converti: cæteras varietates græce tantum notavi, ubicubi tamen censura addita. Quod si spatium et tempus datum fuisset, *συμπάσας τὰς πολυπλόκους ἀναγνώσεις*, ordine orationum ipsarum et distinctione servata, contulissem: supervacaneas (in diversis enim libris eædem sæpe exstant) resecuissem: retentis tantum aut necessariis, aut non omnino respuendis, cujusmodi sunt *τὰ συνώνυμα καὶ ἰσοδυναμοῦντα*. Nunc cum trimestri non amplius spacio tantum opus, una cum Isocrate Græcolatino, proximis nundinis edito, inter varias occupationes, perlegendum fuerit, malui *τὴν κράμβην δεκάκις παραθεῖναι ἢ μηδάπαξ*. Nam supervacanea facilius auferuntur, quam prætermissa supplentur. Ac varias lectiones omnium editionum consignatas habes, quarum numeros, si foliis impressiones duæ accommodari nequierint, prætermittendos censeo: lectorem monendum ex ipsa serie orationum et locorum, quo quæque nota pertineat, facile deprehendi. Obsopœi castigationes integras excudi placet, iisque ordine subjici Lutecianas et Augustanas: nisi forte istic habeas virum doctum et acri in Græcis judicio præditum, qui id efficiat, quod ego temporis angustiis exclusus, non volens prætermisi. Agnosco enim et in hoc opere fortunam meam: quæ subinde aut aliquid turbarum dat, otium speranti, aut adjumentum rei accurate conficiendæ surripuit. Nam primum, ne diu optata, et perquam meæ valetudini necessaria quiete, paucos hosce, qui restant, vitæ meæ dies fruerer, oportuit Luteciam nunc demum parere, quod integrum Zodiacum annorum parturiit. Neque id

factum reprehendo, de quo gratiam habemus omnibus iis, qui aliquid operæ ac studii ad id contulerunt: sed factum meum narro, καί τοι οὐχὶ τῇ τετράδι, ἀλλὰ μετὰ τὴν πανσέληνον διαμέτρησιν γενόμενος. Deinde si ad manum habuissem exempla Demosthenis et Ulpiani a me correcta: facilius et consignare, et suis locis inserere omnia potuissem. Nunc verendum est, ne quædam aut transponantur, aut inculcentur sæpius, aut detrahantur. Quæ sollicitudo ita me angit: ut ipse Basileam irem, cavendæ istiusmodi confusionis ergo: nisi et servitute et imbecillitate corporis, quod, hoc tempore, nec pedestre iter, nec vectationem ferre potest, impedirer. Tua autem sollertia et cura, perspecta in cæteris lucubrationibus meis, non parum me recreat. Quod si D. Zwingerus Amphitheatro suo παγκοσμίῳ καὶ ἀειμνήστῳ exornando minus occupatus esset: is unus οὐ μόνον ἰατρὸς, ἀλλὰ καὶ φιλόσοφος ἀνὴρ, πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, omni me cura liberaret. Sed cum nefas sit, graviores illius occupationes, καὶ φιλοσοφωτέρας οὔσας, τοῖς ῥητορεύμασι τοῖς ἡμετέροις interpellare: si vel ipse ea quæ ex Luteciano et Augustano codice excerpta sunt, pellegeris, vel, ab alio non indocto perlegenda curaris: facile apparebit, quid, et quo loco, vel Demostheni, vel Ulpiano sit inserendum, quid omittendum. Si vero per alia negotia nec ipse præstare hæc potueris, nec hominem idoneum nactus fueris, neminem tam ingratum, tam iniquum fore puto, qui non potius candide probet ea, quæ dedimus, quam quæ, necessitate coacti, prætermisimus, importunius requirat. Et ut existant tales (sunt enim qui metere velint, ubi non severunt: et ea exigant, quæ non dederunt: et ad suum arbitrium fieri et dici oportere omnia, somnient) his unum illud responsum volo: οὐ φροντὶς ἱπποκλείδῃ. Quanto enim supercilio illi me accusarint, tanto eos animo contemnere decrevi: μέγα τῆς συκοφαντίας ἀλεξιφάρμακον πάλαι παρεσκευασμένος, τὸ ἀφροντιστεῖν ἐκ περιουσίας, μᾶλλον δ' ἐμφύτου βασκανίας τὰ μὲν ἡμέτερα διαβαλλόντων, οὐδὲν δὲ τούτων βέλτιον ἐκ τῆς ἰδίας πολυμαθησούνης, ἧς οὐ κενεώτερον ἄλλο, προφερόντων καὶ ἐπιδεικνύντων. Atque hæc, de Ulpiano, de Scholiis, de ipso Demosthene dicta, hoc loco sufficiant. De varietate autem tanta, tamque multiplici codicum, ut de veritate lectionis pene desperari queat, paulo pluribus agendum est. Ac primum statuendum, eruditos scriptores, cum lucubrationes suas publicarent, in singulis sententiis uno quodam certo eloquendi genere, non pluribus ac diversis, esse usos: eoque, quod aptissimum et elegantissimum, ex magna et ampla verborum copia selectum, judicarent. Non igitur tanta diversitas ab ipsis librorum autoribus, sed ab eorundem corruptoribus proficiscitur, sive librariis, sive criticis, sive scholiastis: quorum hi postremi non tam sua, quam describentium culpa mutationibus germanæ scripturæ occasionem dederunt. Glossemata enim, eaque aut diversis libris

diversa, aut in eodem varia, sive marginibus, sive superne versibus addita, sæpe in contextum irrepserunt, locoque moverunt veteres, ut ita dicam, colonos. Sic alia pro aliis substituta, necessaria prætermissa, supervacanea inculcata, elegans et numerosa structura perversa est sæpenumero. In quo genere multum peccatur ab iis, qui memoria potius quam oculis in describendo utuntur, sententiam animo complectentes, eandemque suo modo efferentes, et verbis et ordine verborum neglectis. Cum autem bibliopolæ veteres mancipiis uterentur, e quibus unus aliquid pronunciaret, quæ reliqui scriberent: si vel dictator ille parum commode et distincte est locutus, vel e scribis aliqui, aut surdastri, aut fortuito strepitu ac tumultu perturbati fuerunt: quis alios alia scripsisse miretur? Accessit insolens quoddam καλλιγραφίας καὶ τῆς διὰ σημείων τινῶν συντομίας studium: nihilo melius quam ipsa κακογραφία. Utraque enim τὸ εὐανάγνωστον (qui omnis scripturæ finis præcipuus est: ut orationis τὸ εὐκατάληπτον καὶ εὐήκοον) impediit, cum eosdem characteres et ductus et notas compendiarias alii aliter, pro sua quisque intelligentia et perspicientia, legerent. Itaque τὰ ἐκ τοῦ δυσαναγνώστου παραράμματα non pauciores mutationes, quam αἱ παρακοαὶ, pepererunt. Nam de libris aut mutilatis, aut vetustate, et casu quopiam corruptis, aut a blattis et tineis erosis, atramento etiam exolescente, καὶ ἐξίτηλα τὰ γράμματα exhibente, quorsum attinet dicere? Jam librariorum inscitia, incuria, perfidia cui non nota est? Quæ μεταπλασμῶν genera non crebro occurrunt? Omnia certe plena videas προσθέσεων καὶ ἀφαιρέσεων, ἐπενθέσεων καὶ συγκοπῶν, παραγωγῶν καὶ ἀποκοπῶν, ἀντιστοιχιῶν καὶ μεταθέσεων. ἐν αἷς καὶ αἱ ἐκτάσεις καὶ αἱ συστολαὶ ἐμπεριέχονται· διαιρέσεών τε καὶ συναιρέσεων, καὶ οὐ συλλαβῶν μόνων, ἀλλὰ καὶ λέξεων· ἃς οἱ μὲν ἀπολύτως οἱ δὲ ὑφὲν γράφουσι συναλοιφῶν τε καὶ ἐκθλίψεων. Nec desunt ὑπερβατὰ, ἀναστροφαὶ, διακοπαὶ, συγχύσεις, ὕστερα πρότερα. nec ἐκλείψεις καὶ πλεονασμοὶ καὶ ἅρυθμα καὶ κακοσύνθετα: nec ἀντιπτώσεις καὶ ἀντιμέρειαι, καὶ ἐναλλαγαὶ προθέσεων, ἄρθρων, συνδέσμων, ἀντωνυμιῶν, ἐπιῤῥημάτων, συγκριτικῶν, γενῶν, ἀριθμῶν, εἰδῶν, σχημάτων, χρόνων, διαθέσεων, ἐγκλίσεων, πνευμάτων, τόνων, παθῶν, συντάξεων, omnium denique eorum, quæ Grammatici Græci ἐπόμενα, Latini accidentia partium orationis appellant, et reliquarum præceptionum, quæ orationem, aut observatæ, planam ac perspicuam reddunt, aut neglectæ, obscurant et deformant. Hujusmodi mutationum tanta multitudo vel in uno Demosthene occurrit, ut, si quis et otio abundet, nec ingenio careat, et eruditione polleat: λεξικὸν σφαλμάτων ἐπανορθωτικὸν conficere posse videatur: et in salebrosis, obscuris, dubiis, impeditis locis aliorum etiam autorum, non tam quid scriptum sit, quam quid scribendum fuerit, e dictione scriptoris, e ratione Grammatica, e sententia et constructione, temeritate remota, divinare. Nos autem

aliis nunc rebus utilioribus, aut saltem magis nobis necessariis, vacaturi: pauca quædam, nullo ordine, ut occurrent, velut specimen proferamus: quæ ad cætera genera, quæ modo exposita sunt, facile referentur. Sumanus igitur hæc: καὶ ταῦτ' αὐτοῦ καταμαρτυροῦντες πράξειν φησί. Legendum esse καταμαρτυρεῖν τὰς πράξεις me sententia docuit et erroris animadversio ἐκ τοῦ ὑφ' ἓν καὶ τῆς ἀντιστοιχίας, ut et alia plurima sæpe destitutum quindecim codicum auxilio. Διενεγκεῖν· δεῖ ἐνεγκεῖν. πέντε καὶ δέκα τάλαντα τοὺς πεντεκαιδεκαταλαντιαίους οἴκους. Sic πεντεκαιδεκαναία· ut causidicæ ac potius sycophanticæ artis uno verbo apud Aristophanem descriptio, στρεψοδικοπανουργία. ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι alii, ὦ ἀθηναῖοι, alii, ἀθηναῖοι, utraque voce præcedente omissa. ὅτι θεοκρίνης ὀφείλες θεοκρίνην ὀφείλειν. ἀλφοῖς· ἀλφῷ οἷς. ὧν ἔνεστιν· ὧν ἔν ἐστιν. ὑπόλογον· ὑπὸ λόγον. γεγραμμένα· γράμματα. θεσμοθητοῦντα· θεσμοθέτην. ἀφεὶς· ἀφ' ἧς. παιδός· ἄπαιδος. ἄποθεν· ἄπωθεν. γράμματι· πράγματι. ταῦτα· πάντα. Hæc videntur εἶναι τῆς παρακοῆς e soni similitudine. ἀληθές· ἀκριβές. τἀληθές· τἀκριβές. ἠφάνισεν· ἐξήλειψεν. ὁποίας· οἵας. τιμωρίας· κολάσεις. ἡλίκον· ὅσον. Hæc Synonymorum permutatio scholiis debetur. πάντα ὅσα· ἅπανθ' ὅσα. κατέγνωτε· κατεγνώκατε. ᾔδεσαν· εἴδεισαν. ἐξαλήλιπται· ἐξήλειπται. διακεκριμένον· διακεχριμένον. ἐνεχείρησε· ἐνεχείρισε. εἰπών· ὑπειπών. ἀναγκαζομένους· συναναγκαζομένους. ἕνα· μὴ ἕνα. τὰ ἐκ· τά τε ἐκ· παρακατατιθέμενον· παρακατατίθεσθαι. αὐτός· οὗτος. οἰκουμένας· οἰκονομουμένας. κρατεῖν· κροτεῖν. παρ' ὑμῖν· παρ' ὑμῶν. ἐγέγραπτο· ἐνεγέγραπτο. ἄδικος· ἀνάδικος. ἀδικεῖν, ἀντιδικεῖν· ἀνταδικεῖν. ἐξαιτήσομεν οὓς· ἐξαιτησομένους, διοικῆσαι· διοικίσαι. αὐτόν· αὐτόν. ῥήτωρ· ὁ ῥήτωρ. Sed modus sit rei prope infinitæ: quam privato quisque studio, ex iis, quæ et a nobis, et ab aliis notata sunt, observet. At inquies, quis in tanta varietate veram lectionem deprehendet? Alicubi fortasse nemo: ἴσων γε τῶν ψήφων γενομένων: quoties et verborum eadem vis est, et ratio sententiæ atque syntaxeos constat, et non dissimilis est numerorum concinnitudo. Ubi vero alius codex ad hæc propius accedit, aliusque ab iisdem recedit longius, quis dubitet, uter utri sit præferendus? Atque hæc mea adjumenta fuerunt in iis autoribus interpretandis, quorum aut singulos tantum, aut plures consentientes codices habui, neque conjecturas meas, quæ et rationem Grammaticam, et sententiæ veritatem, et dictionem autoris sollicite consectantur atque diuturnum in græcis litteris (in quibus ætatem consumsi) usum et judicium cum multis cariosis exemplis (etsi hoc invidis et imperitis arroganter dictum videbitur) commutata vellem. Neque hoc a me temere jactari, docere poterunt, Isocrates, Plutarchus, Epictetus, Suidas, Byzantina historia, scholia Ptolemæi, Ulpianus, alia complura, et hic ipse Demosthenes: quem non pluribus locis tot tam diversa exempla, quam divinationes nostræ καὶ γνώμη ἐπιτυ-

χὶς correxerunt. Ea autem ut addantur, quæ a librariis non depravata, sed τριῶκῳ τινὶ πηδήματι omnino prætermissa fuerunt, quæque non nisi libri integri subsidio restitui possunt (quæ perpauca quidem sunt) non est ab homine postulandum. Illud vero, mi Episcopi, et optandum est, et opera pro virili danda, ne operæ tuæ, quæ nos tanto labore emendavimus, per inscitiam et incuriam denuo corrumpant et depravent. Quod absit ut fiat cum utriusque nostrum injuria atque infamia, et justa inscriptionis criminatione. Neque vero fiet, te vigilante, καὶ ἐπισκοποῦντος, ut soles, qui multis egregiis voluminibus editis, fidem tuam atque industriam omnibus candide judicantibus approbasti. Vale. Augustæ Vindelicorum XXIII Augusti; quo die typographicis scriptionibus confectis, onus Ætna gravius excusseisse, et e dura servitute aureæ LIBERTATI restitutus esse mihi videor. Anni M. D. LXX.

Ad Magnificum et Generosum Virum

D. IOANNEM IACOBUM FUGGERUM,

Kirchbergæ Wissenhorni et Phyrettarum dominum, Cæsareæ et Regiæ Majestati a Consiliis etc. ingenio, doctrina, virtute ornatissimum, Hieronymi Wolfii in Demosthenem, latinum a se factum, Præfatio.

QUOTIES, Ioannes Iacobe Fuggere, vitæ meæ cogito studiorumque rationem, fato quodam rapi mihi videor ad hoc litterarum genus, in quo multos jam annos, nescio quam feliciter, sedulo quidem certe versor ac diligenter. Cum enim puerum olim nulla discendi occasio, nullæ parentum et amicorum cohortationes invitarent, sed potius plurimi deterrerent, natura tamen ita mihi fuit insitus et infixus incredibilis quidam græcarum litterarum et poeseos amor, ut in magnis et fere perpetuis cum fortunæ, tum valetudinis incommodis, nunquam hactenus a semel instituto studiorum cursu potuerim ullis rationibus dimoveri. Quam prudenter in eo fecerim, non dico: et si quid peccatum est, satis graves erroris mei pœnas do, qui ex adamatis litteris nihil fere præmii, præter labores et molestias, fero neque ullum prospicio portum, in quo post diuturnas veluti tempestatum jactationes tandem consistere liceat, cum hactenus quidem ab alio exilio (quid enim aliud dicam, etsi non longinquas, crebras tamen et æque molestas peregrinationes) subinde fuerit in aliud abeundum. Sive igitur ea Fortunæ, præpotentis dominæ, sive simplicitatis meæ culpa sit: ferendum est, non culpandum, quod jam mutari non potest: et miseriis meis hæc fingenda consolatio, stationem hanc mihi divinitus esse attributam, atque in ea strenue pro parte

virili elaborandum. Id quod in hunc usque diem facere non desisto, majore omnino contentione, (si quid amicorum reprehensionibus credendum est) quam vires ac valetudo mea patiuntur. Cum enim docendi provincia me plus satis exerceat, quicquid reliqui temporis datur, id universum, sæpe genio defraudato, legendo, meditando, scribendo consumo. Quod cur faciam, si quis me rogat, verissime respondeo, me sine magna animi molestia non aliter posse facere: sive quia sic assuevi, et natus fortasse ad ærumnas sum; sive quod (ut Plinius dicere solebat) omne tempus perire existimo, quod studiis non impendatur. Ac potuissem quidem, et haud scio, an debuissem etiam, hanc sedulitatem in alio vitæ genere consumere, quod plus et fructus haberet, et dignitatis. Sed quia serum est post facta consilium, Spartam, quæ mihi obtigit, ornare studeo. Anno igitur superiore Isocratem in publicum edidi a me conversum, qui etsi propter necessariam festinationem et alias incommodationes, non sic emendari potuit, ut vel mihi ubique satisfaceret: ea tamen liberalitate amplissimi et prudentissimi Senatus Norimbergensis (cujus honorificis de me judiciis non minus debeo, quam munificentiæ, ac semper debebo) eo candore doctorum est exceptus, ut me non ideo pœnitere debeat illius lucubrationis, quam nunc succisivis horis secundæ editioni adornare conor, ut tantorum virorum favore et eruditorum approbatione dignior aliquanto videatur. In quo autore cum tyrocinium non inauspicato fecissem, ac majus opus aggrediendi tempus esse videretur, non magnopere sum adversatus Ioannis Oporini, doctissimi viri, mihique amicissimi, judicio, qui Demosthenem latinum jam multis annis a studiosis flagitari indicabat. A quo opere eo minus abhorrebam, quod jampridem ejusdem autoris non modo quasdam orationes ingenii exercendi gratia converteram, sed et locutiones minus pervulgatas, et sententias omnes insigniores, in peculiare volumen contuleram: et assiduitate diligentiæ fretus, me navare aliquid atque efficere posse sperabam, quod boni et docti viri approbaturi essent. Neque tamen non providebam malevolorum quoque calumnias, et importuna sciolorum judicia, quæ tam multa, tam varia, tam inter se discrepantia sunt, ut ea persequi et refutare sit infinitum. Delibanda tamen pauca mihi sunt, ut mei mihi consilii ratio nonnulla constitisse videatur. Ac primum eorum sollicitudo, qui metuunt, ne adolescentes conversionibus freti, græcas litteras negligere incipiant, ita mihi videtur inanis, ut studiosos adolescentes nulla ratione magis incitari posse ad græcas litteras discendas existimem, quam si prospiciant, se fidelium interpretum auxilio, quasi compendiaria via, sine magnis molestiis et difficultatibus ad elegantissimæ et eruditissimæ linguæ jucundissimam simul et utilissimam cognitionem perventuros. Quos enim prius fortasse nec a præceptoribus, nec copia librorum satis instructos, desperatio retardabat, ii fiducia in-

terpretationis difficillimum quemque autorem in sua lingua suscipere legendum audebunt: et eam sibi felicitatem gratulabuntur, quod, quæ in latino sermone rudiora sunt, et longe infra excellentiam ipsorum autorum, ea non mutilata, non inquinata, non depravata, non imminuta, sed integra, pura, correcta, solida, ut ab autore ipso publicata sunt, cognoscant. Quod certe tanti refert, ut optabilius esset, omnes iis esse ingeniis, ea industria, ea felicitate, ut trium linguarum conjuncta scientia, omnes res cognitu necessarias et utiles, sive ad pietatis cultum, sive ad rempubl. gubernandam, sive ad mores formandos, sive ad rem domesticam constituendam, et curam valetudinis pertinentes, non ex inquinatis interpretum rivulis, sed ex limpidissimis ipsorum autorum fontibus haurirent. Sed videmus, eam ignaviam nostri seculi, et in summa discendi copia fastidium, ut hoc optare audaciæ, sperare stultitiæ esse videatur. Quare non improbandum erit eorum studium, qui in id operam dant, ut præstantissima veterum monumenta possint etiam a mediocriter literatis aliquo modo intelligi. Idque nonnulli sunt (graves profecto et eruditi viri) qui non paulo utilius esse putent, quam quod nunc complures sibi studio habent, ut hinc inde male consutis quasi centonibus, novos, eosque nugaces plerumque libellos (pauci enim vere docti sunt et eloquentes, ad quos hæc reprehensio nihil pertinet) concinnent, et cramben, non bis, sed sexcenties repetitam apponant. qui quid efficiunt aliud, quam ut varietate præceptionum ingenia distrahantur: et bibliothecis in immensum exaggeratis, neglectis libris melioribus, deteriores non raro celebrentur. Plures fere nunc sunt (ut de aliis taceam) artium dicendi methodi, quam ipsarum artium studiosi. Quanto autem esset præstabilius, Aristotelem et Ciceronem eruditis illustratos commentariis studiose legi atque edisci. Quanquam qui sua compendia eo retulerunt, ut illis rectius intelligendiis serviant, eos plurimum profuisse nemo non intelligit et fatetur. Ac eandem etiam interpretationum eruditarum rationem esse censeo: et ego in Demosthene convertendo eo respexi, non modo, ut a rudibus græcarum literarum legeretur, sed ut cum græco autore conferri possit mea interpretatio et ei per omnia (quantum liceret) exquisite responderet, ac nihil malim, quam ut (quod in multis autoribus factum esse video) cum latinis ex adverso græca conjungerentur. Non quod vim illam, et (ut Græci vocant) δεινότητα Demosthenicæ orationis et atticam venerem, et numeros oratorios ulla ex parte me consecutum sperem: quod quis sibi arroget (his quidem temporibus) nisi prorsus amore sui nimio et admiratione cæcutiat? sed quod in optima conscientia lucem non reformido, et sententias sententiis appendere summa fide sum conatus, ad eamque rem et tempus (quamvis id sane justo brevius) et diligentiam adhibui quam fieri potuit attentissimam. Quod ipsum in hoc au-

tore consequi, quam sit arduum, ex eo apparet, quod in tanto græcæ linguæ interpretum numero nemo hactenus totum Demosthenem convertendum suscepit: alii professi nescio quid (neque enim tam facile est præstare magna, quam polliceri) distulerunt: alii ea ediderunt, quæ qualia sint, aliorum esto judicium. Neque enim mihi propositum est, quenquam vel tacita cogitatione perstringere: laudare quidem eos, qui in aliquot orationibus explicandis egregiam operam navarunt, cuperem, et quidem pro officio deberem, qui id ipsum, quod ego sum conatus, si vellent, longe luculentius præstarent, nisi assentationis suspicionem pertimescerem. Nunc dum alii vel cessant, vel quæ scripserunt, Horatii secuti consilium, in nonum annum premunt, laborem hunc imponi mihi passus sum, partim hortantibus, partim susceptum opus approbantibus, non paucis eruditis. Non equidem sum omnium audacissimus, nec sine omni deliberatione et virium mearum æstimatione tantum opus sum aggressus (quo quid queat esse turpius?) aut me unum id efficiendi facultatem habere credidi, de quo complures desperassent. Sed duabus præcipue rebus fretus fui: tolerantia laborum, quibus in honesto proposito non facile succumbere soleo: et mediocri multorum annorum græcæ linguæ usu et exercitatione. Præterea mihi Demosthenem legenti et sæpius relegenti non tantum inesse difficultatis videbatur, quantum plerique persuasum haberent: et si qua difficultas esset, eam pendere partim ab ignoratione linguæ græcæ, quæ jam non autoris culpa est, sed lectoris: partim ab exe mplariume-pravatione, de qua nos quoque non injuria conquerimur. Nam cum oratorem hunc nostrum sic certe loqui oportuerit, ut a cerdonibus, a nautis, ab agricolis (hoc enim ejus fuit auditorium) intelligeretur: putavi, me, quanquam in media Germania natum, assidua tamen optimorum græcæ linguæ scriptorum lectione id esse consecutum, ut Demosthenes (toties præsertim relectus) nihilo mihi esset obscurior, quam alicui naviculario, aut rustico, qui quotannis eum semel atque iterum pro concione dicentem oscitanter audivisset. Ea tamen excipio instituta veterum, de quibus nihil certi nobis est traditum; et codicum mendas, quæ certe maximam difficultatis opinionem pepererunt. Ego vero ad eam superandam quibusdam artibus sum usus, quibus me profecisse aliquid existimo. Una hæc est, quod mihi non persuadeo, me quicquam scire, quod nescio: quo vitio multi, nisi multum fallor, et suo et aliorum malo laborant. Locos igitur ambiguos et dubios in omnem verso partem, et quam attentissime cum toto genere Demosthenicæ orationis, aliorumque bonorum autorum comparo: diligenter inquiro, an aliqua verba desint, redundent, vitiata sint, aut transposita: si plura exemplaria habere possum, confero: si quem locum ab aliis citatum, declaratum, aut conversum esse memini, consulo. Atque in hac quidem

parte non parum adjutus sum *Ioannis Bernardi Feliciani*, doctissimi viri, diligentia, qui curavit ut exemplar Demosthenis ex officina Francisci Bruciolì Veneti, quod Hervagius nuper æmulatus est, multis in locis haberemus correctius. Quanquam is quoque nostræ industriæ permulta et investiganda reliquit, et divinanda, quæ in nostris Annotationibus indicata eruditi lectoris judicio committemus. Altera est, quod, si difficultas non corrupti exemplaris esse, sed vel verborum, vel ipsarum rerum videtur: nullius me laboris, nullius operæ piget, in consulendis et evolvendis optimis quibusque, tum veterum, tum recentium, græcorum et latinorum commentariis: nec doctos etiam viros, si occasio datur, sciscitari erubesco. Atque utinam laudabilis illa veterum consuetudo reduceretur, qua illi opera sua, priusquam in publicum ederentur, in consessu doctorum, libere candideque judicantium, recitabant. Nam ea ratione infinitæ et verborum et rerum ineptiæ vitarentur. Nemo enim tam acutus est, nemo tam vigilans, quin alias incogitantia, alias ignorantia, et cæco amore sui hallucinetur. Sed cum ut alia multa, sic hoc quoque bonum ætati nostræ desit, uno contentus fui, *Sebastiano Castalione*, homine acerrimi ingenii, egregia trium linguarum cognitione (id quod ipsius monumenta et declarant, et declarabunt, neque ullo alio præcone indigent), candore et humanitate singulari, et meliore fortuna liberalisque patroni benignitate dignissimo: qui, qua est facilitate, pro amicitia nostra non recusavit conferre mecum ad græcum exemplar magnam Demosthenicarum orationum partem, et de multis sermonis vitiis me admonuit, quæ ego, fretus autoritate recentium scriptorum, quorum ab ineunte ætate plus satis fui studiosus, ante pro vitiis non habebam: nunc admonitus, pleraque facile cavere posse videor. Denique, ubi me hæc omnia præsidia destituunt, non video, cur non in æqui lectoris humanitate certissimam veniæ spem repositam habere debeam: etsi confitear, me velut in salebris hærere. In quo ego suaviter interdum eorum ridere soleo puerilem arrogantiam, qui inscitiam suam ab acutis lectoribus deprehendi, quam ingenue confiteri, malunt. Quasi vero propterea sis reprehendendus, si post adhibitam omnem diligentiam, quædam ignoraris? aut ullus omnino sit autor in utraque lingua vel minimus, de cujus locis aliquot non sit homini prudenti, et judicium non præcipitanti, dubitandum? Quid de Demosthene dicemus, qui præter loca depravata complura, tam acutus, tam brevis, tam rotundus, tam lubricus est, ut ego quidem iis ignoscam qui ejus sententiam alicubi non sunt assecuti: et ignoscendum mihi putem, si in tam longo opere aliquando somnus obrepserit, diuturnitate laborum et vigiliarum defatigato: in magna præsertim temporis brevitate, multisque incommodis. Nam cum præter cætera mala et negotia, quæ non pauca nec opinanti objecta sunt, docendi me labor quaternas

singulis fere diebus horas detineret, eaque provincia optimas quasque horas suo sibi jure vendicaret, ac vixdum aggressum, cum maxime fervebat animus, e medio plerumque veluti cursu revocaret, cum non ut Demosthenes in subterraneo specu abditus laterem, sed in loco turbulentissimo versarer, adeo, ut interdum pene obsurdescerem strepitu et clamoribus hominum: non pluribus tamen mensibus (id quod convictores mei et familiares non pauci norunt) totum latine conscripsi Demosthenem ab initio usque ad finem, quam qui in tot occupationibus ad diligenter perlegendum requirantur. Quare beati isti et otiosi, qui, si unam atque alteram Demosthenis, aut Isocratis, aliorumve scriptorum oratiunculam, longiore etiam spatio, quam elephanti pariunt, elucubratam ediderint, dii sibi videntur, iniqui in me judices esse non debebunt. Ego enim, si fortuna pateretur, eorum tarditatem imitari facile possem: ipsi meam properationem fortasse non imitarentur. Neque hæc ostentationis causa dico (neque enim nescio, non tam celeritatis esse laudem, quam bonitatis) sed ad veniam duntaxat facilius impetrandam volo pertinere. Cur enim non malim solidam potius laudem expetere, mora longiore interposita, quam aliquorum reprehensionibus nimia festinatione dare locum? Sunt enim, qui summæ temeritatis esse censeant, brevi tempore conari quicquam in Demosthene, cujus omnes orationes fuerint longo tempore meditatæ. Sunt, qui ætatem meam exagitent: sunt, qui usum rerum in me desiderent. Quasi vero aut idem sit convertere, quod conscribere: aut Nestor, antequam tria vixisset secula, homo non fuerit: aut grammaticus, in optimis utriusque linguæ scriptoribus ab ineunte versatus ætate, munere suo fungi nequeat, nisi idem, quemadmodum Alexander Magnus, orbis terrarum imperium administrarit? Ridiculæ sunt istiusmodi cavillationes, et ipsa malevolentia jejunæ. Nam illud profecto non valde metui, ne quis hanc velut adoream mihi præriperet. Neque enim is est Demosthenes, qui se vel legi ab omnibus, nedum converti patiatur. Et qui id possent in Italia, Gallia, Germania, atque aliis nationibus, in quibus literarum studia florent, complures eruditi majoribus aut splendidioribus occupati rebus, scholasticum hoc, atque adeo grammaticum interpretandi græca munus negligunt. Sed duæ me res vehementer incitarunt: una est, ac præcipua, valetudinis (quam per servitutem et inopiam satis curare non licet) perpetua fere imbecillitas, quæ in hoc opere laborantem non semel in desperationem vitæ conjecit. Sic, quæ res alios segniores ad laborem reddit, ea mihi ingens calcar addidit, metuenti, ne cœptum opus, in medio veluti cursu, immatura morte abrumperetur. Deinde verebar (non ignarus fati mei, me nusquam fere diutius consistere patientis) ne mihi alio abeundum, et tota ratio studiorum (id quod in peregrina-

ticoribus, multis de causis accidere solet) perturbanda ac immutanda esset. Hæc igitur incredibilem ardorem primo quoque tempore conversionis absolvendæ in animo meo excitarunt. Itaque neque noctes, neque dies conquievi, repudiatis omnium voluptatum illecebris, propulsatis variis difficultatibus, antequam ad optatum finem cœpti operis pervenissem. Quod quum a studiosis et bibliopolis vehementer flagitari cognovissem, non differendam diutius editionem esse censui. Quid enim vetat, hominibus interim et prodesse, et gratificari? Nam si vita mihi benignitate numinis contigerit aliquando tranquillior (de quo non despero) ac diuturnior, quam polliceri mihi per valetudinem vix audeo: semper erit emendandi et exornandi locus. id quod, ut a quibusdam reprehensum est, censoria plane severitate, quicquid omnibus suis numeris absolutum non sit, veluti loco moventibus, atque in ordinem cogentibus, sic a doctissimis quibusque tum nostræ ætatis, tum veteris memoriæ viris, aut cum laude, aut certe non sine venia, semper est usurpatum. Nam præclare poetarum sapientissimus Euripides, *αἱ δεύτεραί πως*, inquit, *φροντίδες σοφώτεραι*: et interdum graves justæque causæ sunt, propter quas, non quidem præcipitandæ, sed maturandæ tamen sint editiones. Neque tamen hoc sic accipi velim, quasi me sententias alias allaturum esse putem (dedi enim operam, ut ne in ea re socordiæ accusarer), sed quod genus orationis, de quo rebus ipsis intentus animus non perinde laborat, limari multis in locis et splendescere cura et diligentia poterit. Sic neque jacturam ullam facient, qui nunc legent (sententiam enim Demosthenis, quoad ejus a me fieri potuit, germanam habebunt) et qui posteriorem editionem emerint, id commodi capient, ut dictione minus horrida magis delectentur. Hic igitur labor meus, qualis qualis est, equidem opto, ut studiosis hominibus prosit, sive mediocriter doctis, sive rudibus græcarum literarum. Utrisque sane consultum volui, ac toties et legi et relegi Demosthenem, toties meam conversionem cum ipso autore contuli, toties emendavi, toties in singulas prope syllabas inquisivi: ut ignoscendum mihi esse putarem, si me aliquid præstitisse profiterer, quod alios minus diligentes et attentos præterisset: ac sperarem, tum latine duntaxat doctos græcum codicem non magnopere desideraturos: tum in græcis literis non satis exercitatos, conversionis meæ velut adminiculis, ad ipsum autorem perlegendum tanquam rivulo non inamœno duce ad fontem limpidissimum atque uberrimum facile perventuros. Ego certe, cum primum Demosthenem Marte meo (nec enim diu magistrorum opera uti mihi licuit) legere cœpissem: quanta animi alacritate, quanta exsultatione accepturus fui conversionem summi oratoris, hac mea nihilo meliorem, aut aliquanto etiam deteriorem? Nam ut ullius boni autoris interpretatio sit exemplari melior, aut æque bona, fieri fortasse non

potest: ego quidem nequaquam id mihi arrogo: sed quoties rem cum re confero, et animo meo perpendo, tantum interesse video inter meam et Demosthenicam orationem, quantum interfuit inter Demosthenem dicentem et scribentem, hoc est, inter viventem et mortuum. Neque enim dubium esse debet, eam fuisse non modo dexteritatem et artem, sed suavitatem etiam et vehementiam, eam vim, eum impetum actionis et pronunciationis Demosthenicæ, ut nec ullis comprehendi literis, nec a nobis, in hac (quantacunque vulgo putetur) eloquentiæ nostratis barbarie, vel intelligi, vel cogitari satis ab ullo possit. Hoc testatus est ipse etiam Demosthenes. qua de re præstat audire Ciceronem, qui præceptioni decori, libro de oratore tertio, hæc verba subjicit: Sed hæc ipsa (inquit) omnia perinde sunt, ut aguntur: actio, inquam, in dicendo una dominatur, sine hac summus orator esse in numero nullo potest: mediocris hac instructus, summos sæpe superare. Huic primas dedisse Demosthenes dicitur, quum rogaretur, quid in dicendo esset primum, huic secundas, huic tertias. Quo mihi melius etiam illud ab Æschine dictum videri solet, qui, quum propter ignominiam judicii cessisset Athenis, rogatus a Rhodiis, legisse fertur illam orationem egregiam, quam in Ctesiphontem contra Demosthenem dixerat: qua perlecta, petitum est ab eo postridie, ut legeret illam etiam, quæ erat contra a Demosthene pro Ctesiphonte edita: quam cum suavissima et maxima voce legisset, admirantibus omnibus: Quanto, inquit, magis admiraremini, si ipsum dicentem audissetis? Quo satis significavit quantum esset in actione: qui orationem eandem, aliam esse putaret, actore mutato. Hactenus Cicero. Quod si tantus orator Æschines, quo idem Cicero nihil divinius posse cogitari asserit: quem inimicus Demosthenes a magnitudine vocis μεγαλοφωνότατον appellat, imparem se fatetur eloquentiæ Demosthenicæ, quid de mutis literis est dicendum: quæ solum inventionem et dispositionem reddunt integram: sed elocutionem, quæ sine pronunciatione suum tueri vix nomen potest, dimidiam? Itaque longe falluntur, qui, legendis Ciceronis et Demosthenis aliorumque oratorum scriptis, se totam heroum illorum eloquentiam comprehendisse putant: multo ineptiores sunt, qui se illis una atque alteraorati uncula nitidulis verbis et sententiolis, lucubratione multorum annorum quamvis belle concinnata, non pares modo, sed superiores etiam, si Diis placet, esse opinantur. Longe, longe, inquam, alia res est, quam vulgus hominum existimet, eloquentia. Cujus etiam præstantissima quæque scripta quid aliud sunt, quam vita et spiritu carentia, eaque mutila simulacra? Esto, ut in corpore humano, caput et summa pectoris, quæ Apelles in celebrata illa sua Venere politissima arte perfecit, reliquam partem corporis inchoatam reliquit: sic inventio et dispositio reliquis orationis partibus, si res ipsa

spectetur, non vulgi applausus, qui multum a judicio doctorum dissidet, antecellat: tamen ut illa ipsa Venus multo haud dubie fuisset admirabilior, si manus etiam et pedes ac cætera membra omnia pari elaborata artificio accessissent: sic ea quoque eloquentia multo præstabilior est, quæ non dimidiatam duntaxat elocutionem habet, hoc est, verborum et sententiarum ornamenta, sed perfectam, quæ sententiis et argumentis ratione inventis atque ordine collocatis, non mutas figuras literarum, sed vocem, cultum, gestum et motum totius corporis artificiosum et decentem, accommodat et adjungit. Neque hæc in orationibus modo, sed in poematis etiam, ac multo magis, animadverti possunt. Virgilium enim (ut non ignobilis grammatici verbis utar) pronunciasse maxima suavitate accepimus, et miris lenociniis: ac Julium quendam Montanum dicere solitum, involaturum se quæadam Virgilio, si et vocem posset, et os, et hypocrisim. Eosdem enim versus eo pronunciante, bene sonare: sine illo, insrescere quasi mutos. Quid jam de conversionibus est dicendum? quæ cum (ut ita dicam) simulacri simulacra, et umbrarum umbræ sint, an fieri ullo modo possit, ut (quod paulo ante dixi) optimo exemplari, pari et bonitate et fide optima respondeant, equidem nescio. Ut enim nationis, sic etiam linguæ cujusque peculiaris et alicubi prorsus est inimitabilis Genius, diversi mores, diversa instituta et sæpe contraria, quæ necesse est etiam suo quodam orationis genere explicari, quæ suis verbis jucunde, alienis moleste dicuntur. Quod si pro iisdem similia velis substituere, maxima tamen erit nihilominus in ea similitudine dissimilitudo. Sed ut hoc Ciceronis divinitati ingenii et meritæ autoritati fortasse concessum fuit, atque aliis ejusdem ætatis, qua et græca et latina lingua floruerunt, præstantissimis viris: ita nobis, qui utriusque fragmenta in scriptis habemus reliqua, qui magnis difficultatibus conflictamur, illud satis, opinor, esse debet, si sententias bona fide, eodemque ordine appenderimus, et genus orationis facile et mundum adhibuerimus: in quorum utroque non parva certa est difficultas. Sed in eloquendo, quam intelligendo, longe major. Quare valere eos jubeo (nam ob paucitatem et ignaviam minor eorum debet esse autoritas), qui a græcarum literarum interpretibus ubique splendorem Ciceronianum, hoc est, aquam e pumice, petunt. Quasi vero eadem sint tempora nostra, quæ Ciceronis: et non illud quoque sit operæ pretium, adjuvare homines studiosos, ut primum per interpretem, utcunque latine balbutientem audiant Demosthenem, et tum in litore balbutiebat, antequam ἦκε φέρων τὸ ρ ῥηητορευμένον, lapillis linguæ subjectis: post etiam expedite et magna vi in frequentia populi Atheniensis Attice concionantem audituri? Quod si nefas esse putant, contaminari male describendo Demosthenem, primum ab eis postulabo jure optimo, ut ea, quæ reprehendunt, ipsi

meliora faciant: deinde rogabo, cur in omnibus scholiis ejus sententias latine explicari patiantur æquo animo? Quod si utile esse concedunt (sicut utilissimum esse adeo negare non possunt, ut nulla ratione alia hoc tempore doceri græcæ literæ possint commodius), quæ invidia est, si quis ejusdem autoris conversionem in publicum ediderit, eum proscindere et calumniari. Quanquam contaminatum a me esse Demosthenem, negare et posse et debere videor. Etsi enim Ciceronianæ imitationis præclaram laudem nec mihi arrogo, (non enim, ut ille ait, cuivis homini contingit adire Corinthum) neque cuiquam invideo: illos ipsos tamen, quibus major ingenii vis et fortuna contigit, parum candide facere puto, addam etiam imprudenter et temere, si nitore verborum omnia metiantur, de sententiarum veritate et gravitate parum laborantes. Quas ego me sane spectasse præcipue non dissimulo: sic tamen, ut verba non negligerem. Nam utramque difficultatem (de quibus paulo ante dicere memini) tum intelligendi, tum eloquendi, assiduitate diligentiæ studui superare, et dictione uti volui, quæ nihil haberet salebrosum, aut barbarum: nihil affectatum, aut insolens, sed et latina, et facili ad intelligendum, et ad verba Demosthenis quam proxime accedente. Necessario tamen interdum usurpanda fuerunt quædam in ea notione minus fortasse trita veteribus, quia tum meliora non occurrebant. Qua de re cum plura dicturi simus in nostris annotationibus, (quas utinam fortunæ iniquitas ita me perficere pateretur, ut ad græce legendum Demosthenem omnibus optima cum spe accedere liceret) nunc non ero longior; ac mihi fore persuadeo, ut, quicquid est ejusmodi, ingentium laborum causa, quos cœpi, æquus et candidus lector, vel imbecillitati ingenii, vel occupationibus et incommoditatibus meis ignoscat et condonet. Nec enim video plura dicere quorsum attineat, apud te præsertim, *Ioannes Iacobe Fuggere*, vir ornatissime, qui pro ingenii tui excellentia et exquisita eruditione, quæ in tanto fortunæ opumque fastigio, eo est admirabilior, quo rarior, tanto melius æstimare potes, quid sit de hoc meo labore sentiendum, quantum prudentia et candore cæteris antecellis. Qua re ego fretus et eruditione tua, et humanitate singulari, quam honestissimus vir, *Georgius Hermannus*, qui (ut eo dignum est, qui virtutem et eruditionem cum naturæ fortunæque ornamentis conjunxit) inter cæteros studiosos, quibus sedulo consultum vult, me quoque magna benevolentia prosequitur, mirum in modum mihi prædicavit: te non modo patronum et defensorem, sed etiam judicem et censorem lucubrationum mearum delegi. Ac quod ad ipsum Demosthenem attinet, ea est de ejus eloquentia, ex quo tempore vixit, annis abhinc fere bis mille præcepta opinio, ut, quod de Virgilio quidam usurpant, id huic quoque tribui possit: ei nec accedere quicquam laudationibus, nec decedere vituperationibus aliorum. Quod si

quis ejus laudatores requirat, in promtu sunt præter cætera, Ciceronis et Quintiliani latinorum, Plutarchi ac Luciani græcorum testimonia, quæ ad secundum nostri laboris Tomum reservavimus, qui Ulpiani enarrationes, annotationes item nostras in obscuriora loca et dubia, nec non alia fortasse continebit, quæ in his pædagogiæ molestiis et impedimentis sic a me absolvi non potuerunt, ut nunc ederentur, quanquam id maxime voluissem. Neque mihi nunc vel morum, vel consiliorum ejus defensionem suscipiendam esse censeo: aut cum iis rixandum, qui ut malum virum et civem patriæ perniciosum hunc, ut et Ciceronem, exagitant. Illud tantum dico, si quis eorum scripta æquo animo legat et expendat, præsertim orationem de corona: et homines eos fuisse, non deos, cogitet, ac difficillimis temporibus cum acerbissimis adversariis conflictatos: in eorum vita etiam plura laudanda, quam vituperanda, reperiri. Verum quam bonus aut malus vir fuerit Demosthenes, id Atheniensium olim interfuit: nunc nostra nihil interest, qui ex ejus eloquentia prudentiæ dicendi fructum colligimus. In quo genere satis ipse Demosthenes sese laudat, si lectorem fuerit nactus prudentem et attentum. Fuit enim et aquam bibere, et ad lucernam scribere, et in multam noctem lucubrationes producere, et antelucana opera opifices antevertere solitus Demosthenes. Quare sobrium etiam et vigilantem lectorem, non minus, quam interpretem, requirit, qui vim verborum, qui pondera sententiarum, qui acumen inventionis, qui argumentorum copiam et violentiam, qui exemplorum gravitatem, qui reipublicæ gerendæ scientiam, qui divinandi solertiam, qui collocationis artificium, qui exquisitam similitudinem nostrorum temporum, qui summam denique (ne ea, quæ infinita sunt, infantia mea conetur persequi) cautionem et prudentiam, cum pari autoritate et severitate conjunctam, consideret, perspiciat, admiretur: et quantum quisque viribus ingenii et diligentiæ subsidio consequi possit, imitetur. Quod si honestissimis ejus consiliis vel hominum perversitas, vel fatalis aliqua calamitas obstitit, eo profecto nomine commiseratione dignior est, quam insectatione: et iis, qui tanto sapientiores illo videri volunt, elaborandum, et votis a Deo exoptandum, ut sint eo fortunatiores. Sed ut ad rem redeam, qui illa, quæ recensui, vel in una præstiterit oratione, huic abunde laudatus erit Demosthenes, domestico, non alieno præconio. Nam ubi testimonia rerum adsunt, quid opus est verbis. Et hæc omnia multo erunt evidentiora et expressiora legenti græca, in quibus elucet Attica illa sinceritas: quam nec Cicero expresserit, nedum homo quispiam semilatinus. Quod vero ad sententiarum veritatem et germanam intelligentiam attinet, fidem et industriam meam spero me omnibus græcæ latinæque linguæ peritis probaturum. Quod si cui genus orationis alicubi sterilius

videbitur, et exilius, is cogitet velim, ipsum Demosthenem plus habere ossium et nervorum, quam sanguinis et carnis. Ut igitur illa (volentes quidem) ei non detraximus, ita hæc addere non fuerit interpretis, sed paraphrastæ, suo arbitratu declamantis. Cicero profecto, si ei causæ eædem agendæ fuissent, longe utique in plerisque majorem apparatum verborum adhibuisset: et quæ a nostro autore indicata sunt brevius et occultius, dicendo extendisset et illustrasset. Quod an in conversione orationum Demosthenis et Æschinis inter se contrariarum sibi permissurus fuerit, equidem nescio. Sed si eas orationes convertit (qua de re quosdam acutos homines non omnino sine causa dubitare video), eam rationem haud dubie secutus est, quam se secutum esse profitetur. Atque utinam exstaret illa conversio: quæ, quantumvis elegans fuerit, talem fuisse tamen non puto, ut orationem pro Milone legere non mallemus. Est enim durissima provincia, pectori alieno tuum os accommodare, ac ejus sententias tuis verbis et stilo persequi. Quod in ipso argumento τῶν ἀντιπάλων λόγων explicando (in quo nescio quo modo dictio esse sterilior videtur) ipse Cicero non dissimulat: a cujus ratione si mea multum dissidebit, id erit non voluntati, sed imbecillitati meæ, et occupationibus et festinationi tribuendum, per quam facillime fit, ut ab autoris sententia, tametsi non aberres, in græcis tamen verbis annumerandis fidelior sis, quam oporteat, et imprudens aliquando latinitatem prætervectus, Demosthenice magis, quam Ciceroniane dicas. Præstiti, quod potui: et plus potuissem, si justum tempus et spatium datum fuisset. Nunc est ea studiosorum hominum conditio, ut sint quovis cerdone miseriores et abjectiores: neque profecto mirum esset, aliquem pœnitere et ingenii et industriæ suæ, si ita comparatum est, ut qui fame perire nolit, ei pene sint omnes indignitates perferendæ. Sed querelæ non sunt hujus loci: neque mihi nunc propositum est scilicet fortunam meam deplorare. In eo potius est elaborandum, ut hoc meum opus, quocunque sive successu sive dispendio confectum, excellentiæ tuæ non improbetur. Quod ut fore confidam, multa in causa sunt, ac in primis præstantia ingenii tui et eruditionis: qui cum sis propter amplissimas opes (quæ et ipsæ insigne Dei donum sunt, et bono ac sapienti viro luculentum virtutis instrumentum) suspiciendus, et propter beneficentiam et liberalitatem colendus: eæ sunt ingenii et animi tui dotes, ut etiam sine fortunæ splendore in magnis viris esses numerandus. Quanquam enim ego te coram nunquam vidi, natura tamen ita fert, ut, quicquid in rebus humanis excellit, auribus magis, quam oculis, celebretur: quod fama dimanare facile ad multos, eadem videndi copia non omnibus contingere potest. Celebratur a multis, iisque præstantibus viris, felicitas ingenii tui, quod ubicunque intendatur, valeat, tam philosophicis, quam civilibus in rebus: celebratur eruditio,

qua si velles ad ostentationem uti, animi tui conscientia non contentus, ipse nomen tuum posses tradere memoriæ posteritatis. Neque id mirum videri debet. Solet enim in claris familiis viget ac vis naturæ esse major. Deinde accedunt alia commoda, liberalis educatio, eruditi præceptores, tranquillum otium, justum discendi spatium, optimorum librorum copia: quæ magna ex parte homines tenues destituunt. ac proinde commiseratione potius quam insectatione dignum est, si quibus ingenia liberalia contigerunt, ea fortunæ iniquitate veluti sordescere: in tanto præsertim contemtu bonarum literarum, et mecenatum, qui eas foveant, paucitate. Quo tu etiam majorem laudem mereris, *Ioannes Iacobe Fuggere*, qui præter beneficentiam in homines afflictos et miseros quotidianam (qui verissimus et Deo gratissimus, generi mortalium utilissimus divitiarum fructus est: et una stabiliendarum opum, et ad posteros propagandarum firmissima ratio) complures ingeniosos adolescentes (id quod regum, et principum, et civitatum munus est) tuis sumtibus non modo in Germania, sed in Galliis etiam, et Italia, benigne foves et sustentas, dum summum doctrinæ gradum assequantur. In quo laudatissimum exemplum *Remundi* patris, et *Antonii* patrui tui, clarissimorum virorum, sapienter imitaris: qui præter cætera ornamenta, quibus abundat honestissima vestra familia, immortalem ea re gloriam sibi peperierunt. Non enim ingratæ sunt musæ, quanquam orbæ et indotatæ puellæ videantur, vel cultoribus vel patronis suis, sed utrosque honesta fama et nominis memoria sempiterna remunerantur. Quæ præmia qui contemnit, aut parvi facit, eum aut celsitudine animi Deo simillimum, aut abjectissimum hominem esse necesse est. Me quidem in multis incommodis, et malignis industriæ meæ ac miseris præmiis, non parum (ut ingenue, quod sentio, fatear) consolatur spes, quod valde suspicor fore (si qua modo fides astris est), ut etiam post obitum me honeste vixisse appareat, et non transegisse vitam (ut Sallustii verbis utar) more pecudis: sed eorum bonorum, quæ in vita humana præcipua sunt (etsi in assequendo fortunam habeam parum propitiam), virtutis et sapientiæ, fuisse studiosum. Quod si rem vere consideremus, homines eruditi (quod ad hanc quidem vitæ partem attinet) summorum etiam regum potentiam superant: quorum omnis memoria, nisi a doctis celebrarentur, uno alterove ad summum seculo funditus interiret. Quamobrem præclare Virgilius: Vivitur ingenio, cætera mortis erunt. Laudabiliter etiam tu, *Ioannes Iacobe*, atque adeo omnis splendidissima *Fuggerana* familia, qui non contenti cæteris ornamentis, ut sunt amplissimæ opes toto terrarum orbe celebres, affinitates illustres, summorum principum amicitiæ, atque apud illos talis autoritas, ut vos ad gravissimarum rerum deliberationes adhibeant, quæ fortuna vobis largita est, solida etiam et peculiaria vestra bona con-

terpreti, nec priori editioni decessit, nec posteriori accessit multum. Quare neminem fore spero tam iniquum, ut factum hoc meum acerbe reprehendat. Demosthenis autem, de quo nunc potissimum nobis agendum est, alia conditio fuit. Nam in eo convertendo major et religione et verborum parsimonia eram usus, et vestigia Demosthenicæ orationis pene superstitiose persecutus. Quare factum fuit, ut alicubi latina oratio paulo minus obscuritatis haberet, quam Græca, in qua vel Plutarchi et Dionysii testimonio summa esse creditur intelligendi quoque difficultas. Accesserant et errata typographica, opinione mea sane et plura et graviora. Parum enim, ut re ipsa declaratum est, vel Oporini cura, vel præsentia mea valuit, contra operariorum negligentiam et impertinentiam: quanquam in scripti exemplaris perturbationem culpæ aliqua pars conferri potest. Sumus enim ipsi male confuseque scribendo, et expungendis atque inserendis variis emblemmatis, in causa; (sed ignoscimus ipsi nobis) ut libri nostri aliquando non optime describantur. Nam Oporino, cujus domestica consuetudine mensem complures sum usus, testis esse possum, qua solicitudine scripta archetypa legat, distinguat, adornet, emendet antequam excudantur. Eas igitur hac editione mendas omnes sustuli: ac similem calamitatem nunc, cum priore conata quasi glacies fracta et via patefacta est, vitari posse confido. Prima igitur hæc erit hujus editionis utilitas, et quasi prærogativa: præterquam quod hæc enchiridii forma rationibus studiosorum, pauperum in primis, accommodatior est: et a locupletioribus magno volumini, quod et commentariis et aliorum interpretationibus est locupletius, facile sine detrimento rei familiaris adjungetur. Deinde si qua vel obscurius explicata, vel asperius collocata videbantur, (id quod in imitatione græcæ elocutionis raro effugitur) ea planiora, ut spero, et dilucidiora effecimus: ut, quanto ipsius autoris oratio melior et ornatior est, tanto nostra plus et lucis et facilitatis habere videatur. Sunt etiam explicata nonnulla (ut dies diem docet) quæ nobis ante dubitationis aliquid attulerant. et relicta tamen (ne quid verum dissimulem) sive depravata, sive alioqui per se obscura nonnulla, quæ nulla investigationis diligentia restituere ac declarare potui. Quod ut ego ingenue confiteor, ita mihi candide ignosci velim: vel hac de causa, quod eos nodos (ut Horatius vocat) dignos esse vindice, quivis haud dubie peritus utriusque linguæ intelliget: nosque tum hæsitationis occasionem, tum ignorationis excusationem aliquam habuisse fatebitur. Quemadmodum autem liberalitatis est, ea quæ habeas, benigne impertiri: sic verecundi et prudentis animi fuerit, ea, quæ non habeas, a locupletioribus corrogare. Atque id mihi fuisse propositum, et Thrasonicam eorum arrogantiam, qui se scire omnia profitentur, displicuisse, vel ex eo conjici potest, quod, ubi ad hujusmodi sale-

bras perventum fuit, in Isocrate dubitationes meas in calce operis annotavi: atque in Demosthene Græca pridem marginibus adjeci; et in fine annotationum ad primam Olynthiacam mearum æquos lectores rogavi, ut suum ad me perscribere judicium non gravarentur. Quod hactenus quidem a nemine, quibuscunque de causis, esse factum cognovi: atque ii etiam me destituerunt, quos coram oravi, ut suam censuram interponere, ac tum mihi tum aliis, utriusque linguæ amatoribus, inservire obscuriorum locorum (quantum fieri posset) illustratione dignarentur. Illud quidem abunde mihi contigit, quo nulli præstantes viri (etsi ego me in eum numerum minime refero) unquam caruerunt, ut existerent homunciones ignavi, arrogantes, delicati, maledici, qui canimam contra me facundiam exercerent: quos ego vel opinione sua beatos esse, vel livore contabescere, vel latratu auras implere facile patior, et conscientiæ meæ testimonio contentus, et posteritatis æquioribus judiciis fretus, valere jubeo. Quæ cum ita sint, ego me, qui ea, quæ tenuitas et ingenii et fortunæ meæ ferunt, omnia diligenter fideliterque præstiterim, boni viri officio, et reipublicæ literariæ studiosi functum esse confido. Faxit Deus Optimus Maximus, sine cujus favore frustra nos fatigamus, ut opera mea tantum prosit omnibus, quantum ego vellem: utque labores hi mei eodem animorum candore a lectoribus excipiantur, quo a me suscepti perfectique sunt. Peracerbum enim est, nullo suo emolumento, publicæ duntaxat utilitatis gratia laborantem, virulentas etiam calumniatorum linguas experiri: quorum susurros atque aculeos si evitare non licebit, illud me consolabitur, quod Magnus Alexander usurpabat, *regium esse audire male, cum facias bene.* Mitigabit et illa ratio dolorem meum, quod cordati omnes haud difficulter perspiciunt, id genus criminationes non tam ab improbatione magni conatus ac difficilis operis contemtu proficisci, quam ab æmulatione, malevolentia, invidia: quæ in summa turpitudine id solum habet boni, quod ils, in quorum animis sedem fixit, plurimum affert mali. Ego vero illorum miseria non delector, sed eos ita felices esse vellem, ut, quæ reprehendunt et exagitant, corrigerent, ac longe meliora efficerent. Ita demum et existimationi suæ consulerent, et studiosis prodessent, et meæ famæ, si gratia doctorum indignum esse putant, (etsi persuasum habeo, temere fortasse, sed tamen persuasum habeo, neminem bonum et doctum mihi esse inimicum) incommodarent. Sed bene sperandum potius est, quam male ominandum: et hujus nostræ laboriosæ conversionis, atque operosioris etiam recognitionis eventus, fortunæ lectorumque judiciis permittendus: quæ quo æquiora cognoverimus, eo reddemur ad absolvendos justos in Demosthenem et Isocratem commentarios, alacriores. Æquitatis autem esse puto, pauculos errores, quos in prolixo opere cavere difficillimum est, et

ignorationes, cum eorum, quæ fortasse non male diximus, ac diligenter explicavimus, multitudine comparare. Atque hæc ad lectores sive morosos, sive invidos, sive etiam imperitos, vel monendos, vel placandos, si quid æqui a se impetrari sinent, pertinere volo. Nam quod ad tuum de me judicium attinet, vir amplissime, animo sum et securo et magno. Qui cum pridem conatum meum boni consulueris minus absolutum, idque moribus et studiis meis nondum ita perspectis: plane desiperem, si post tantum a me nunc adhibitum studium, et tam luculentam orationum atque epistolarum Æschinis accessionem, quæ quidem Demostheni magnam lucem, et utilitatem lectoribus haud exiguam cum pari voluptate conjunctam afferent (ne annotationes, aliaque complura commemorem), de tua erga me et lucubrationes meas voluntate dubitarem. Præsertim cum non parvi temporis domestica consuetudine, cum cæteris in rebus excellentem virtutem, ac ingenii præstantiam, tum humanitatem tuam in tanto fortunæ fastigio admirandam, magna cum voluptate et fructu meo non pœnitendo cognorim. Itaque Demosthenes opera mea nunc tandem Æschini, abolito illo veteri odio, reconciliatus atque conjunctus, denuo se tuo patrocinio commendat: in spe optima situs, te talem clientem nec aspernaturum, neque neglecturum, sed eo habiturum esse loco, quo se dignum judicaris. Tantum autem tuo acerrimo judicio tribuit, ut si excellentiæ tuæ probatus fuerit, cæterorum omnium malevolentiam et obtrectationes animo æquissimo et maximo contemnere decreverit. Quod si illud præter spem evenerit, ut et invida obtrectatorum ora conticescant, et aliqui candorem viris bonis et doctis dignum in judicando adhibeant, ea felicitas non tam industriæ meæ, quam liberalitati tuæ erit adscribenda: qua factum est, ut, plus tranquilli otii nactus, expendere omnia diligentius et perpolire possem. Quod ita fore ut credam fortunatissimus tuus genius efficit, et virtute atque ingenio tibi parta autoritas: quarum rerum si ex uberrimo tuo fonte vel tenuem alveolum in nostros agellos derivaris, lætos honesti nominis fructus aliquando percipiemus. Augustæ Vindelicorum, ex bibliotheca tua. Idibus Augusti, natali meo: Anno 1553.

HIERONYMUS WOLFIUS

Henrico fratri, philosophiæ et medicinæ Doctori, Noribergensi Physico

S. D.

Specimen hoc Demosthenicæ recognitionis et explicationis ad te, frater, eo nomine maxime nunc mittendum esse duxi: ut ex te potius, ut candido et severo judice, quid in hoc conatu meo vel

probares, vel improbares, quam aut ex obtrectatoribus alienæ laudis et industriæ, aut ex assentatoribus (quorum utri molestiores mihi sint, haud facile dixerim), mature cognoscerem, et, pro virili vel prætermissa adjicerem, vel supervacua resecarem, vel minus bella corrigerem, atque confusa in certum ordinem redigerem. Neque enim is ego sum, qui ita mihi placeam, ut, quid alii de me sentiant, susque deque feram: sed et imbecillitatem ingenii mei, doctrinæque tenuitatem satis agnosco: et in sententiis eorum, qui acutius vident ac rectius judicant, libens acquiesco. Etsi enim me unum (ut fert natura omnibus insitus, non cæcus magis, quam pravus amor sui) perspicere omnia et collimare maxime vellem: tamen, cum summos viros et veteris et nostræ memoriæ, a plurimis et pluribus in locis reprehendi videam, admoneri me ab ingeniosis et eruditis hominibus multo et honestius et utilius esse judico, quam ab invidis et morosis censoribus Hipponacteis præconiis celebrari. In quo genere ita sibi adversus me non pauci nec indocti homines indulserunt, ut æmulatione et morbo animi impulsi, non tantum modestiæ, et gratiæ, bene de se quoque merito debitæ (lucubrationes enim meas, ut opinor, non tantum reprehendendi gratia tam diligenter legerunt) obliviscerentur, sed atrocibus etiam injuriis me onerarent, quas ego Deo justo judici vindicandas relinquo, eorumque candore me consolor, qui et bene dictis gratiam, et erratis veniam a se paratam esse mihi voluerunt. Quos longe plures esse Zoilis (meliores quidem esse viros quis dubitet?) multorum et privatim ad me scriptæ literæ, et in publicum editi libri testantur. Ac illos ipsos Zoilos nihil posse afferre melius, sed ex Wolfii insectatione famam aucupari, ut ille fecit, qui Ephesiæ Dianæ templum incendit, illud non innuit, sed clamat, quod intra annos octodecim mea qualiscunque conversio Basileæ bis, Venetiis semel edita et distracta, jampridem a studiosis de integro flagitatur. Cur igitur isti Attici et Ciceroniani oratores eam, quam ita contemnunt, ut infra omnes infimos homines interpretem abjiciant, et sceleris ac sacrilegii reum agant, edita meliore non tollunt? Meam enim interpretationem quanti facerem ipse, jam olim et versibus et præfationibus modestissime scriptis sum testatus: neque mihi ego cum Isocrate et cæteris summis oratoribus, philosophis, historicis, quos latinos feci, eloquentiæ certamen institui (id quod manifesti furoris esset), neque Græca exemplaria de manibus studiosorum excutere volui: sed illud efficere conatus sum, ut, quos ab iis legendis difficultatis opinio deterreret, audacia in transferendo mea (agnoscam enim, si istis ita placet, crimen hoc) confirmaret et adjuvaret. Neque meum conatum fuisse irritum, omnes Christiani orbis academiæ, ne Gadibus quidem exceptis, testantur, nec proscriptionis iniquissimæ injuria meis a lucubrationibus legendis deterritæ. By-

zantinam meam historiam ne Byzantinæ quidem bibliothecæ exclu-serunt: sed jam tandem velut ab exilio revocatam, honorifice et amanter susceperunt. Sextum jam Isocrates cum meis commenta-riis sub prælo est. An tu censes, vel typographos, vel bibliopolas in tot millia codicum laborem et pecuniam conferre, ut oleum atque operam perdant? Quis studiosorum et ingeniosorum hominum tan-tam frequentiam ita insanire credat, ut eos libros tam avide legant, quorum lectione non aut meliores, aut doctiores, aut paratiores et ad recte sentiendum, et ad bene vivendum, et ad ornate dicendum evadant? Neque vero eas mihi utilitates acceptas referri volo. Ab-sit Thrasonicus iste sal, ut magno alieno labore partam gloriam verbis in me transmoveam. Ipsis autoribus ea laus debetur, qui sibi summam eloquentiæ sapientiæ et sapientis eloquentiæ laudem per tot jam secula vendicarunt. Illud tamen ingenue plurimi con-fitentur, se Græca sine interpretatione mea lecturos fuisse nun-quam. Ab iis igitur id consecutus sum, quod volui: rana bovem intumescendo, anser olorem obstrependo, æquare nunquam studui, superare multo minus. Non equidem tali me dignor honore. For-tasse Leontinos quosdam et Vulcani de stirpe satos, et alios semi-deos atque heroas, natos scilicet melioribus annis, isti manent tri-umphi. Etsi profecto pugnæ hactenus ab illis depugnatæ, hoc est, orationculæ quædam ab istis Ciceronis germanis versæ, ne ovatione quidem mihi dignæ videntur. Quid enim in istis aut Cicerone aut Demosthene dignum apparet, præter male consuta quædam emble-mata, ac centones potius? Quoties a sententiis oratoris toto cœlo, quod aiunt, aberrant? Qui quidem inanibus istis jactationibus cum primis efficiunt, ut mei laboris me jam minus minusque pœniteat. Nec enim isti me de gradu dejecerunt: sed dum altius, quam eorum natura et genius fert, assurgere conati sunt, ultro prostrati corrue-runt, onere suscepto, quod infirmi eorum humeri sustinere nullo modo potuerunt. Sed si quis Hercules, aut Atlas potius, Demo-sthenem Romam perlatum tandem aliquando in rostris collocarit, quantopere non modo Quiritibus, sed et Feretrio isti Jovi ipse inter primos congratulabor? Interim ego meum saxum verso, quod

O utinam tandem jam summo vertice montis
Consistat, lassumque sinat requiete potiri.

Sed æmulorum iniquitas effecit, ut et longius ab instituto aberra-rem, et contra ingenium et consuetudinem meam aliquid iracundius et arrogantius de me ipse dicerem. Ad te igitur nunc redeo, frater, et a te peto, ut libellum hunc, non modo necessitudinis nostræ, et ab ipsa natura institutæ, et iisdem studiis confirmatæ, pignus ac monumentum esse velis, sed censorem etiam agas, tuumque judi-cium interponas. Existimatio enim tua æque ac mea hic agitur. Nam cum tibi conjugium filiolas tantum incolumes donarit, mihi

filios vita cælebs negarit, neque nostræ gentis atque nominis quisquam superstes nobis fore videatur, libri nostri liberum loco nobis esse debent, quibus Wolfianum nomen ab oblivione posteritatis et ab interitu vindicetur. Quo magis etiam opera danda est, ut cum laude et gloria potius, quam cum ignominia et probro id fiat. Non me fugit, quid causari possis: multis jam annis tibi ad hæc studia vel respiciendi otium defuisse: domi cum sis, totius diei discursationibus ad ægrotos defatigari: sæpe etiam a nobilitate vicina et principibus evocatum a libris prorsus abesse. Scio ista, et honestas istas occupationes, cum præmiis autoritatis et gratiæ conjunctas, tibi gratulor. Sed idem non concedo, te occupatiorem esse C. Julio Cæsare, qui eodem tempore bellum Gallicum et gessit, et descripsit. Multi dantur, hyberno præsertim tempore, contractioribus diebus, ad studia reditus: et cum omnia non modo philosophorum et medicorum, sed oratorum etiam, inter quos præcipui tui fuere Camerarius et Sturmius, dicta, celeritate calami pene incredibili sis assecutus, fieri nullo modo potest, quin illa ita alte animo tuo sint infixa, ut nulla possint oblivione deleri, easque radices egerint, ut solida eruditio, et fructus eruditionis, judicium, inde pullularit et efloruerit. Etsi enim, me autore, paulo serius ad utramque linguam et ingenuas artes discendas accessisti, tamen Deus conatus tuos, et diligentiæ assiduitatem ita fortunavit, ut longe et diutius et felicius et constantius sub præstantissimis agonothetis in isto literato stadio, in celeberrimis, inquam, Germaniæ et Galliæ Academiis, ita decurreres, ut ordinatim honores peteres, et magna cum laude laureolam consequereris. Quare nihil tibi justæ excusationis relictum est, cum, quod ego postulo, id tu præstare et debeas, et facile possis. Si vero gravior aliqua causa te impedierit, illud certe negari abs te mihi nolim, ut doctorum, quos variis in locis habes amicos, et sæpe ipse convenire, et ab iisdem conveniri soles, judicia exquiras, eaque libere aperteque ad me perscribas. Minus enim apud te, quid sentiant, dissimulabunt, qui offensam animi mei aliquam fortasse vererentur, si eadem apud me expromenda essent: sine causa illi quidem. Is enim ego sum, qui inter calumniatorem et monitorem plurimum interesse censeam. Nam hic quidem ex benevolentia et reipublicæ literariæ studio errata sine acerbitate animi et contumelia verborum reprehendit μετ' ἐλέγχων καὶ ἀποδείξεων: ille ex invidia et odio ea vituperat, quibus non edit meliora: sed eo magnum virum se visum iri putat, si eos incessat, quibus ingenii monimenta nominis aliquid et gratiæ et autoritatis etiam pepererunt. Vale. Augustæ Vindelicorum. VIII. Cal. Maii, Anno a restituta humano generi salute, M. D. LXVIII.

LUDOVICUS CARINUS

HIERONYMO WOLFIO

S. D.

Abrahamo Horchstettero, qui mihi tuas literas attulit, cum ob eas causas, quas tu commemoras, tum ob tuam commendationem, quæ plurimum momenti apud me habet, ut hominis mihi summo amore et iisdem studiis conjunctissimi, nulla in re, in qua opera mea uti volet, deero. De animo meo erga te ac voluntate scio te nil dubitare: velim tamen mihi occasionem dari ipsa re, quanti te faciam, declarandi. Facio autem plurimi, tum ob suavitatem facilitatemque ingenii, tum doctrinam singularem, quam tibi ardenti studio, summo multorum annorum sudore, jactura etiam valetudinis, peperisti. Quæ, ut spero, tibi fortunam, in hoc annitentibus amicis tuis, inter quos me etiam numerari volo, te dignam, et tuis studiis aptam, pariet. Qua in re bonam operam tibi navarem, nisi hæc tempora iniqua, quæ omnes doctos apud nos premunt, me impedirent. Quæ si immutata fuerint, quod quidem fore spero, et Deus mihi reditum in Germaniam confecerit, nullam occasionem tui juvandi præterlabi sinam. Interim, mi Wolfi, te spe melioris fortunæ sustenta: quæ quo tardior, eo splendidior ac lautior (crede mihi) tibi continget, et te ubi semel complexa fuerit, ac fovere cœperit, inter Crassos ac Senecas collocabit: hoc est, plane te beatum faciet. Uterer hic exemplis doctissimorum virorum, quorum tu similis es, tui confirmandi causa, quos sero quidem, sed tamen respexit tandem, hera illa imperiosa: quæ sola, ut inquit ille, utramque paginam facit: nisi eorum fortunæ imago animo tuo impressa insideret. De Demosthene tuo mihi muneri misso te multum amo: quem ita a te conversum esse conjecto, ut eum minime relicto pallio togæ pudere arbitrer. Huic evolvendo, quicquid temporis ex meis occupationibus eripere potero, impendam. Vale, mi Wolfi, et tibi persuade, nihil esse, quod non æque libenter pro te, ac pro me ipso, omni tempore sim facturus. Ex Pictavio, Idibus Augusti. Anno 1550.

HIERONYMUS WOLFIUS

D. LUDOVICO CARINO

S. P. D.

Tot tamque illustres benevolentiæ singularis in me tuæ significationes, clarissime vir, mihi gratissimæ sunt: consolationes autem, quibus jacentem meum animum erigere cupis, *διὰ τὰς συχνὰς ἀτυ-*

χίας· μικροψυχοτέρῳ τοῦ δέοντος γεγενημένῳ pene etiam necessariæ. Tametsi enim non parum vereor, ne, in hac valetudine, præclaras illas spes exspectare me fata non patiantur, tamen interim tuum frui quid vetat? Delectat etiam augurium hominis non modo amicissimi, sed doctissimi etiam, et longo multarum rerum usu exercitati. Quare facile patior, te prospicere aliquid, quod me præterierat. Illud quoque nescio quid boni ominis habere videtur, quod literæ tam lætæ Idibus Augusti, natali meo, (nam eo ipso die 34. ætatis annum complevi) datæ sunt. Quod autem me hominem, literis vix mediocriter imbutum, inter doctissimos numeras, eo plus humanitati tuæ debeo, quo minus istæ præclaræ dotes in me reperiuntur. In Demosthene autem legendo nolim equidem te bonas horas male perdere. Quis enim est græcis literis eruditus, quas tu ante me natum opinor perdidicisti, cui non omnes omnium conversiones sordeant? Ego sane, qui me puto non omnium esse vel delicatissimum, vel morosissimum, ingenue fateor, neminem adhuc, eorum etiam interpretum, qui se germanos Ciceropes esse putant, id a me impetrare potuisse, ut, tametsi omnium Græcorum scripta nobis eodem, aut etiam meliore genere orationis loquerentur, græcæ linguæ cognitionem supervacanei laboris esse judicarem. De meis autem interpretationibus quid ego sentiam, in præfationibus testatus sum. Itaque si præclaram istam de me opinionem retinere cupis, una hac ratione id assequeris, si non legeris. Minuet enim, ut ille ait, præsentia famam. πολλὰ γὰρ καὶ τῶν ἐμμέτρων ποιημάτων, καὶ τῶν καταλογάδην συγγραμμάτων, ἔτι μὲν ἐν ταῖς διανοίαις ὄντα τῶν συντιθέντων, μεγάλας τὰς προσδοκίας παρέσχεν· ἐπιτελεσθέντα δὲ, καὶ τοῖς ἄλλοις ὑποδειχθέντα πολὺ καταδεεστέραν τὴν δόξαν τῆς ἐλπίδος ἔλαβεν. Sed de hoc pro candore tuo et humanitate statues: neque eos imitaberis, qui cavillandi mei frigidissimas captant occasiones, ipsaque malevolentia jejunas: qui, quod se facere fortasse putant, nec existimationi suæ commodant, nec meæ nocent. Quid enim? nonne loca permulta sunt Demosthenis, partim corrupta, partim per se ita obscura, ut vatem oporteat esse interpretem? Quod si illi sibi, quam mihi, credi malunt, non invideo equidem, sed tamen grammatici certant, et adhuc sub judice lis est. Neque vero difficile est τῶν διδασκαλικῶν ἐπιβεβηκότι θρόνων, καὶ ἐξουσίαν καὶ δόξαν ἔχοντι, ἐκ τοῦ μονομεροῦς ἀναντιλέκτως ὥσπερ ἐρήμην τινὸς καταδικάσαι. Et, ut in tanto opere mihi somnus alicubi obrepserit, quid tum postea? Aliquando bonus dormitat Homerus. Humanitatis certe quidem fuerit, paucos sive lapsus, sive ἀγνοήματα, ei condonare, qui id tentarit, absit invidia dicto, quod nemo hactenus præstare aut voluit, aut potuit, qui permulta depravata correxerit, ambigua distinxerit, obscura illustrarit. Typographica vero errata, quæ neminem fere attentum fallunt, scriptori imputare,

summæ iniquitatis est. Ego certe, volens quidem, nullum folium prætermisi, quin ipse post alios omnes emendarem, sed importuni illi Cyclopes, dum ego relego, et quam accuratissime corrigo ea, quæ Oporinum variis curis distractum, et correctores parum attentos præterierant, imprimere mendosum exemplum perrexerunt. Ita mihi et labor periit, et existimatio mea culpæ alienæ pœnas sæpe dare cogitur. ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἔξω τῆς ὑποθέσεως οὐ γὰρ ἀπολογίαν γράφειν, ἀλλὰ τῇ φιλανθρωπίᾳ σου ἀντεπιστέλλειν προειλόμην. Ut igitur ad institutum redeam, si Demosthenem nostrum pulla et lacera toga indutum videbis, cogites velim, eum eversam lugere patriam, et in peregrinis finibus exulem et mendicum oberrantem, quicquid detur, æqui bonique facere. Qua de re venusta illa tua figura admonitus, paucos versiculos lusi, Musis et Apolline nullo, fateor equidem, sed a proposito tamen nostro non alienos. Hactenus Demosthenes βεβαρβαρωμένος (ut vides) χρόνιος ὢν ἐν βαρβάροις, quemadmodum Euripideus ille Menelaus: adeo ut λιτιέρσην canere potius, quam ἀττικίζειν videatur. Sed tu pro humanitate tua, et discipulo et magistro ignosces: et utrumque, ut facis, commendatum habebis. Vale, Lutetiæ Parisiorum, 19. Augusti, Anno 1550.

Ad nobiles et magnificos viros, virtute et autoritate præstantes, Hainricum Rechlingerum, Christophorum Peitingerum, duumviros: Et ad Consules ac Senatum inclytæ Augustanæ Reipublicæ: Dominos ac patronos summa observantia colendos,

HIERONYMI WOLFII

In Demosthenem et Æschinem Græcolatinos

PRÆFATIO.

Si tanta esset in me sapientis eloquentiæ facultas, viri amplissimi, domini et patroni colendi, quantum studii et laboris ab ineunte ætate in hunc usque diem conferre in eam rem nunquam destiti, nihil prius mihi esset, aut magis ex officio meo, quam vestram erga me beneficentiam celebrare, et justis efferre laudibus cum vos, tum Rempublicam vestram. Nunc, cum sapientia Dei donum sit, et oratores, ut et poetæ, non tam fiant, quam nascantur: meo me (ut prudenter Horatius præcepit) modulo ac pede metiens, nihil tale conari audeo: cum præsertim vestra urbs, toto terrarum orbe celebris, neque meis, neque cujusquam alterius præconiis egeat: et vos, pro vestra sapientia, omnem officii fructum, ipsum officium præclare judicetis. Illud tantum dico, vestra liberalitate et munificentia id mihi contigisse, quod ab ineunte ætate, præ aliis rebus omnibus, in votis semper habui, otium philosophicum: in quo nec

honesta deesset, et publice, ut spero, utilis augendæ ornandæque illustris Bibliothecæ vestræ et scholæ (in quam non exiguos sumtus facitis) pro virili mea tuendæ et adjutandæ, occupatio: neque calamo et scriptis complures per Europam studiosos adolescentes erudiendi occasio. Multa sunt egregia vestræ civitatis ornamenta: Respublica sequissime et prudentissime constituta: publica privataque magnificentia, hospitalitas, urbanitas, beneficentia in cives tenuiores: de omnibus bene merendi studium, lædendi neminem, nisi vis propulsanda sit: contra quam et mœnibus, et auxiliis, et commeatu, et omni armorum genere, ita parati et muniti estis, ut neque lacessatis quenquam, et nihil magis, quam pacem, concordiam, tranquillitatem, bonorum omnium amicitiam votis ac precibus a Deo Opt. Max. expetatis. Quæ tametsi excellunt, et magis incurrunt in cujusvis generis hominum oculos et sensus: tamen eruditi viri, et omnia vero judicio ponderantes, illud non in minimis vestris laudibus ponunt, quod, ut olim Athenæ, Alexandria, Tarsus, Berytus, et nostra ætate, Bononia, Lutetia, Argentina, complures aliæ illustres civitates, Musis etiam et Gratiis, hoc est, studiosis et doctis hominibus in vestra, vere augusta urbe, non hospitium modo, sed domicilium etiam esse voluistis. Etsi autem non ignoro, conqueri multos, neque fortassis absque causa, tum de moribus doctorum quorundam minus probatis: tum, scribendorum librorum nullum esse finem, quorum plerique nihil nisi aut ingenia occupent, rebus melioribus vacatura, aut Rempublicam Christianam, alioqui rerum suarum satagentem, magis etiam perturbent: mihi tamen de me dicere neque necesse est, neque decorum, vigesimum jam annum in hac urbe, sine cujusquam, ut opinor, boni viri ulla querela degenti: et mearum scriptionum hactenus longe aliam fuisse rationem, omnibus doctis candideque judicantibus, perspectum et exploratum esse confido. Neque enim mea somnia chartis illevi: neque rixarum aut turbarum quicquam dedi: neque insanabile scribendi cacoethes (quod tenere multos, in eorumque ægro corde senescere, Satyricus queritur) impetu quodam animi temerario atque cæco secutus sum: sed in convertendis et declarandis vetustis autoribus, seculorum omnium et nationum consensu approbatis, sedulo, nec sine successu mediocri, (quem, uti par est, divinæ benignitati acceptum refero) elaboravi. Id quod toties repetitæ in Germania, Gallia, Italia lucubrationum mearum editiones testari poterunt. Modus fortassis a me desiderari queat, et ignoratio tollendi manum de tabula, et supervacanea mei ipsius nocturnis diurnisque laboribus afflictatio reprehendi, cum et ætas et valetudo mea quietem potius atque otium postularent. Utinam vero non quidem ea essem ferrea et corporis et animi patientia, quæ Catoni Censorio tribuitur, rarissimique exempli est: sed illa tantum vel animi constantia et tolerantia, vel vi-

gore mentis atque ingenii vi, qua plerique olim et Græcorum et Romanorum proceres claruerunt; qui, quæ hominibus studiosis atque doctis, nostra ætate, gravis et laboriosa videtur occupatio, sive curandæ rei familiaris, sive lectionis atque scriptionis, eam illi animorum levationem atque oblectationem judicarunt. Quod ita esse, Xenophontis, Thucydidis, Lycurgi, M. Terentii Varronis, C. Julii Cæsaris, Ciceronis, Silii Italici, Boetii monumenta, et complurium aliorum exempla, testantur. Tum enim illi se occupatos esse, et negotiis implicatos putabant, cum aut amicos et clientes suos defendebant, aut consiliis atque armis Rempublicam tuebantur. Mea vero, non eo tantum, quod mihi vires quidem corporis exiguæ, ac prope nullæ, ingenium vero tenue atque infirmum contigit, longe alia ratio est: sed ob illud etiam, quod illis, patrio sermone scribentibus, in proclivi atque expedita fuerunt omnia, cum nos, peregrinis linguis, e mutis præceptoribus, cognoscendis, non parvam ætatis partem consumere necesse habeamus. Itaque non recreandi animi ergo, levandive tædii causa, me scriptitare, sed quia facere aliter, salva (quantulacunque illa est) existimatione mea, nequeo, et quas sustineo ærumnas, pene Herculeas videri mihi, speque mea plurimum me deceptum esse, ingenue confiteor. Nam cum annis abhinc quatuor et viginti, non tam mea voluntas, quam inexspectata quædam calamitas, et rerum meliorum spes, in typographicum pistrinum me conjecisset, parvi temporis molestia perpetuam studiis meis secure perfruendi facultatem me redemturum opinabar. Verum quanto aliter evenerit, nemo ignorat, qui aut bibliothecam vestram inspicit, qua meas lucubrationes dignati estis, aut bibliopolia scrutatur. Neque vero hæc gloriandi causa scribo, (quo quid ineptius?) aut ignoratione tenuitatis meæ, (quod enim difficile esse putatur, nosse sese, utcunque didici: studui certe quidem) sed ut fortunam meam narrem, quæ per labores, non tam jucundos et lucrosos, quam necessarios et inevitabiles, ad id ætatis et valetudinis me, nihil tale cogitantem, provexit, ut, cum maxime philosophandum esset, philosophari parum liceat, aut etiam libeat. Neque vero ego solus is sum, quem bonæ suæ rationes fefellerint: sed sive frustratio, sive calamitas hæc, cum multis mihi est communis, me longe sapientioribus. Demosthenes Pæaniensis (cujus eloquentia, quæ sine singulari prudentia et eximia virtute suum tueri nomen haudquaquam potest, quondam per Europam et Asiam celebrata fuit, et nunc etiam omnibus omnium nationum eruditis admirationi est) dum suos Athenienses, ignavia et luxu enervatos, ad recuperandum Græciæ principatum, quem ad annos LXX tenuerant, primum clade Hellespontiaca una cum libertate amissum, deinde Cononis industria receptum, nec multo post a Philippo Macedone callide interceptum, excitare studet, inter alia hoc quoque argumento utitur:

quemadmodum ipsi eos cives suos, qui Rempublicam semel gerendam susceperint, in otium se conferre ubi voluerint, non patiantur: sic et ipsis, qui totius Græciæ patronos se professi fuerint, ab eadem administranda, defendenda atque ornanda recedere, suumque negotium agere, esse nefas. Consimile quiddam, (etsi in magna dissimilitudine) viri ornatissimi, domini et patroni colendi, et ipsi mihi accidisse videtur: ut semel Græcis Oratoribus, Philosophis, Astrologis, Historicis ad interpretandum susceptis, in ea provincia, neque spe quæstus, (qui aut nullus est, aut certe non tantus, ut vel extremæ notæ quispiam notarius eadem mercede illos describendos susciperet) neque gloriolæ cupiditate, instar Crocodili se persequentes fugientis, fugientes persequentis, sed fatali quadam sive necessitate, sive calamitate, pene consenuerim: et vix hoc demum anno ab Atheniensi Republica (quæ peculiares olim servos habuit, quos δημοσίους vocabant) velut in libertatem assertus existimari queam. Et quidem gravi certamine defunctus, bellum difficile ac diuturnum confecisse mihi videor, qui Demosthenem, Æschinem, Ulpianum Rhetorem, cæterosque his adjunctos autores, ita emendatos, declaratos, illustratos et exornatos (quantum in me quidem fuit) exhibuerim, ut obtrectatores atque invidos meos hortari non dubitem, ut, si hæc mea non probant, ipsi proferant meliora. Qui etsi non pauci, neque parum molesti mihi fuerunt: tamen, si cum iis comparentur, qui bene de me sentiunt, meque et mea magnifaciunt et amant, facile, ut opinor, apparebit, et majorem et meliorem partem stare a nobis: eaque inter hos et illos exsistet proportio, quam apud Homerum Agamemnon Trojanorum et Græcorum esse affirmat: ut, si Græci in decurias conviviorum describantur, et singulis decuriis singuli Trojani ministri assignentur, complures decuriæ propter illorum paucitatem, horum multitudinem, sint pincerna carituræ. Neque ulli eorum, qui me reprehendunt et exagitant, non modo nihil elegantius et splendidius, sed (in eodem quidem scribendi genere) nihil prorsus intra quinque totas olympiadas, longissimum, in vitæ humanæ brevitate, spacium, ediderunt. Ut igitur illi verbis asperioribus me accusant et vituperant, ita factis fide dignioribus et absolvunt et laudant, et publice quasi proclamant, suis calumniis non habendam esse fidem, neque condemnandum aut contemnendum esse quenquam, nisi causa percognita et satis explorata. Interim vero me per annos complures hoc opus ita noctes diesque occupavit, ut non multo suaviorem vitam egerim, quam ii, quos Dionysius tyrannus in Latomias conjiciebat: ita certe quidem defatigavit, ut; qui mihi, post annorum XL servitutem, otium mediocre, quod vestra munificentia mihi fecit, honestoque stipendio decreto, hæc elaborandi potestatem et facultatem dedit, inviderit, omnes se Zoilos, omnes Momos, maledicentia et obtre-

ctandi libidine superare fateatur. Cæterum hæc qualia et quantulacunque sunt, non tam mea vobis, amplissimi viri, offero, quam vestra vobis restituo. Nunquam enim conari ea potuissem, nisi vestra benignitas, tanquam salutare quoddam sidus, mihi affulsisset. Neque vero vel primus hujus operis patronus, in cujus id nomine jam tertium apparuit, vel quisquam alius, levitatis arguere me poterit. Nam cum ille in prædia sua se recepturus, me quasi emancipatum e familia, vestræ fidei et liberalitati commisisset, una mecum etiam ea vobis tradidit, quæ Musæ meæ sub vestro patrocinio effecissent. Deinde ita prodit Demosthenes, (modo operæ typographicæ non de integro deformarint ea, quæ ego summo labore expolivi. longe a prelo absum, et alias alios codices et chartas typographo misi) sic igitur, inquam (quod quidem in me fuit) se spectandum Demosthenes cum non aspernando comitatu præbet,

JAM POSITIS NOVUS EXUVIIS NITIDUSQUE JUVENTA,

et tot auctus accessionibus, ut eundem esse vix quisquam agnoscat. Hoc quidem affirmare ausim, majore molestia pene unius orationis recognitionem mihi constitisse, quam totam primam interpretationem: sive, aut jam urgens, aut certe adventans senectus, laboris sensu nunc magis afficitur, quem tum juventutis vigor levabat: sive aliud est, quicquid in mentem inciderit, æstu quodam animi effundere: aliud, scribere meditata, et singula pene verba quasi statera aurificis expendere atque examinare. Neque tamen (quod sæpe testatus sum, et nunc postremo testatum esse volo) Demosthenicam eloquentiam expressisse me confido, qui et autoritate sua caret, (quæ quantum in dicendo valeat, quis nescit?) neque Lectores ita attentos habere potest, qui sua nihil interesse censent ea, quæ scripta sunt, ut fuerunt auditores, quorum et dignitas et salus agebatur: elocutione item et actione destituitur (cui et primas ille et secundas et tertias dedit) sed inventionem et collocationem tam rerum, quam verborum appendere, fide optima, et perspicuo puroque orationis genere repræsentare, sum conatus. Quæ et ipsa in sua nativa lingua multo sunt et magis propria, et significantiora, et jucundiora, et illustriora: eaque de causa interpretationi meæ Græcum archetypon est additum, quo hujus ornatissimæ et copiosissimæ linguæ vel periti vel studiosi fruantur. Nec tamen illud ipsum qui legent, ita miraturi sunt Demosthenem, (id quod Æschines, æmulus et adversarius ejus dixisse fertur) ut si ipsum audissent. Quanto alia res fuit, cum M. Tullius Consul, purpuratus, in sella curuli cum majestate assidens, ab omnibus bonis pater patriæ, et quasi alter urbis conditor habitus, solicitudinem de republica summam, salutis vero suæ prope neglectum præ se ferens, in summo orbis terrarum concilio (qui non tam senatorum, quam regum consessus videri po-

tuit) omnium oculis atque animis in ipsum intentis, consilium, auxilium, incolumitatem ab eo expetentium, contra conjuratos maxima suavissimaque voce, cum singulari dignitate actionis, motuque et gestu corporis totius decentissimo, peroravit: quam cum eadem illa oratio nunc vel tacite ab otioso quopiam et securo percurritur: vel a rhetorculo, adeo nullum animi motum et dolorem adhibente, ut etiam sententias, earumque circumscriptiones, vel ex imbecillitate spiritus, vel ob artis pronunciandi inscientiam divellat atque disperdat, sine ulla varietate pro suggesto recitatur? Neque vero vobis, viri amplissimi, qui plerique in Italia, Hispania, Gallia, partim studiorum causa, partim ob gravissima et publica et privata negotia versati, homines eloquentes, et sacros oratores concionantes audivistis, ulla tali consideratione et fictione est opus: ipsi recordamini, ut illi soleant non mulierculas tantum, rudemque plebeculam permovere, sed homines etiam graves et constantes omni varietate affectuum agitare, nunc excutere lacrymas, nunc easdem quasi abstergere, modo iram exstimulare, mox placare iratos, et flectere ad commiserationem, jam deprimere ad inferos, paulo post velut extra sese raptos supra nubes attollere, ut in paradiso, et illustrissimo summi cœli amphitheatro, incredibili gestientis animi lætitia et exsultatione versari sibi videantur. Sed ad Græcum archetypon redeo, in cujus mendis si non tollendis, at minuendis, aut saltem indicandis, quid jam olim præstiterim, doctis non est ignotum: et tamen ejusmodi id fuit, ut pro laude ingenii ac diligentiæ, temeritatis in divinando, et corruptelæ crimen mihi a nonnullis, improbioribusne, an stultioribus dicam, nescio, impingeretur. Nunc vero xv codicum inter se collatio, id quoque crimen diluit, conjecturis meis plerisque scriptura vetere comprobatis: et iis, quæ sive librariorum incuria prætermissa, sive codicum mutilatione deleta, nullius ingenio addi poterant, completis. Et tamen illi quoque tot, tamque vetusti codices, nonnullis locis parum auxilii tulerunt: quæ loca mihi pleraque plana et aperta fecit meum quoddam divinationis genus. Quod cujusmodi sit, quæritis? Neque Delphici tripodis simile, neque auspiciorum et auguriorum, neque aliarum sive superstitionum, sive observationum veterum, sed simplex et naturale, et nemini docto et sagaci ingenio prædito negatum. Quod igitur illud est? Artis Grammaticæ cognitio accurata, multa et diligens optimorum scriptorum lectio, quorum alii alios declarant: stili autoris observatio: animus in sententias non minus, ac pene magis etiam, quam in verba, intentus: eorum, quæ antecedunt et sequuntur, inter se comparatio: ea denique persuasio, quicquid vel in verbis absonum, vel in sensis frigidum appareat, id non a viris diligentissimis, prudentissimis, disertissimis scriptum, sed a negligentibus, imperitis, temerariis librariis esse depravatum. Habeo etiam animo meo consi-

gnatas notas quasdam, et ex animadversione variæ scripturæ quasi vestigia impressa, quæ illos in errorem duxisse videantur. Qua de re alibi egi uberius. Nunc ad manuscriptos codices redeo: inter quos is, quem vestra Bibliotheca suppeditavit, antiquissimus, et in plerisque optimæ fidei, sic excelluit, ut principatum sibi merito vendicet. Quo minus autem usus illo jam pridem fuerim, minutæ et exoletæ literæ, quas, nec speculis adhibitis, perspicere potui, obstiterunt. Tandem in mentem venit M. Simonis Fabricii, mei collegæ, viri doctissimi, et in Græcis literis exercitatissimi, quem, cum acie oculorum non minus, quam ingenii acumine pollere scirem, rogavi, ut periculum faceret, num quid ex illo fructus capere possemus. In quo ille, pro nostra necessitudine, alacriter morem mihi gessit, susceptoque negotio, tantum volumen celeritate mirabili perlegit, et singulari sagacitate omnes varietates deprehendit, notavit, excerpsit, marginibus impressi codicis adscripsit, additis etiam scholiis, quæ non ingrata, neque inutilia τοῖς φιλέλλησι fore spero. Qui una mecum tam illius industriæ, quam vestræ beneficentiæ se debere fatebuntur. Erat hic aliquid dicendum de laudibus Demosthenis, nisi is et ipse lectori sui studioso abunde se commendaret, et in promtu essent Ciceronis et aliorum de illo elogia, et meam infantiam viri eloquentissimi et celeberrimi claritas repudiaret. Unum igitur hoc superest, amplissimi viri, domini et patroni colendi, vos ut orem, ut postremum hoc opus meum, quod epitaphii loco mihi esse volo, (nam si qua forte alia secuta fuerint, ea nihil ad hoc esse videbuntur) pari humanitate accipere dignemini, qua commentarios meos Ciceronianorum libellorum, anno abhinc septimo, vestræ bibliothecæ splendore non indignos judicastis: meque ministrum vestrum et clientem observantissimum (ingravescente ætate, et valetudine, ut solet, subinde labascente, et ruente in deterius) commendatum habere pergatis: ab eoque mei defendendi ornandique studio, nec aut invidorum calumniis, (quas quis unquam cavere potuit?) aut imperitorum hominum ineptiis (quas a gravitate et sapientia vestra negligi et repudiari certo scio) deterreamini. Etsi enim apud nonnullos præsentia mea, et simplicitas, atque ab ostentatione et pompa abhorrens animus, vitaque solitaria, minuunt famam: tamen nec exteræ nationes Wolfium ignorant, et posteri scient, et studiosi juvenes, doctique homines, vestram in me liberalitatem ac beneficentiam celebrabunt. Quo minus autem munus hoc meum ab amplitudine vestra repudiatum iri putarem, cum vestra humanitas facit, D. Paulo autore, tanta virtus, ut eam in Deo Opt. Max. cum primis celebret, tum collegarum vestrorum DDD. Matthæi Welseri, Io. Baptistæ Hainzelli, Io. Matthæi Stamleri, ornatissimorum virorum, neque a Musis et Gratiis abhorrentium, autoritas, consiliique mei comprobatio. Valete, pu-

liter et privatim incolumes, ac perpetuo florentes. Ex augusta vestra urbe, quam Ptolemæus Vindelicam, Rheticam alii Augustam dici volunt. Idibus Augusti, natali meo. Anno restitutæ humano generi salutis M. D. LXX.

HIERONYMI WOLFII

Œtingensis ad candidum lectorem in Ulpiani conversionem Præfatio.

En, candide lector, alteram promissi laboris partem, Ulpiani rhetoris X et VIII orationum Demosthenis enarrationem, citius etiam, quam sum pollicitus: opus minus fortasse lectu jucundum, sed studiosis adolescentibus, ut mihi persuadeo, non inutile futurum. Quæ etiam causa fuit, ut molestissimum laborem hunc capere non sim gravatus, et summum devorare tædium, quod quantum fuerit, ii demum intelligent, qui mendas Græci codicis, in singulis fere paginis infinitas, observarint. Ad hæc ipsa commentariorum natura est talis, ut modica voluptatis illecebra laborem et defatigationem levent interpretis, tametsi emendatissimi essent: et ut lectorem requirant, difficultatibus aliquibus intelligendi ipsius autoris conflictantem. Quæ res una fere facit, ut, quæ per se utilia sunt, non modo citra fastidium, sed magna etiam cum aviditate legantur. Etsi autem non dubito, esse plurima, tum grammatica, tum oratoria, quæ studiosus lector explicari sibi diligentius et copiosius, atque etiam dilucidius optet: non tamen abjiciendi videntur ii libri, qui, cum multa utilia contineant, quædam etiam supervacanea admiscent, quædam necessaria prætereunt. De quibus incommodis ego quoque in omni commentariorum genere mecum sæpissime queror: et tamen, cum cogito, si mihi in eodem argumento versandum esset, me quoque præstiturum, fortasse non quod vellem, sed quod possem, veniam do, et boni consulo ea, quibus illi tradere meliora non potuerunt. Quanquam in hoc nostro enarratore injuria temporum, et quorundam temeritas, qui in alienis libris vel mutilandis, vel augendis, vel ex diversorum scriptis, variis quasi centonibus sarciendis, omnem licentiam sibi sumunt, maximam sustinere culpæ partem videtur. Sed in hoc suo quisque judicio fruatur. Me quidem Ulpianum legisse non pœnituit, propter et historias nonnullas indicatas, et vocabula exposita, et artificium multis in locis erudite, nisi fallor, explicatum. In convertendo quidem magnos labores, et non parvas molestias cum ceperim, nescio tamen, an fecerim operæ pretium: non quod ipsos commentarios aspernandos ducam (de quibus quid sentiam, exposui) sed quod in iis tanta est difficultas interpreti, ut superari nulla ratione posse videatur. Pri-

mum enim exemplar ita depravatum est, tum confusione distinctionum, et verbis Demosthenis ab Ulpiani explicatione nulla nota aut intervallo separatis: tum aut immutatis, aut additis, aut repetitis, aut omissis vocabulis, interdum etiam totis sententiis, ut affirmare non dubitem, me nullum vel in Græca, vel in Latina lingua codicem vidisse pejus tractatum. Deinde ἐξηγήσεις, quas enarrationes interpretari licet, videntur orationem requirere perpetuam, cujus hic alicubi vestigia quædam apparent: ut existimem, ubi verba Demosthenis seorsim ponuntur, ibi ab aliquo librorum corruptore, et importune studioso brevitatis, Ulpiani verba complura esse resecta, ut scholiorum faciem, non ἐξηγήσεων præ se ferant, atque assuta aliena. In connectendis quidem aliorum verbis magna est Græcorum felicitas, præter cætera vel in his duabus particulis, τὸ et δὲ, quibus ceu Delphico gladio utuntur: cum eadem Latino sermone sine longis et molestis ambagibus explicari nulla ratione possint. Huc accedit vocabulorum maxima et copia et varietas, et longe alia, quam Latinorum, ratio: cujus generis sunt, ut e multis pauca delibem, κεφάλαιον, τὰ ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους, σημεῖα, εἰκότα, τεκμήρια, ἀντιπίπτον, ἀντίθεσις, ἀνθυποφορὰ, σύγκρισις, ἀντεξέτασις, παράθεσις, ἀντιπαράστασις, ἔνστασις, ἀντίστασις, κατάστασις, προκατάστασις, ἔκφρασις, διασκευὴ, διατύπωσις, ἀποσιώπησις, ὑποσιώπησις, ἀναίρεσις, ἀπόστασις, ἀνατροπὴ, περιτροπὴ, πηλικότης, ποσότης, μέγεθος, εἴσοδος, εἰσβολὴ, εἰσαγωγὴ, προκατασκευὴ, προθεραπεία, προδιόρθωσις, συνδρομὴ, περιδρομὴ, συγχώρησις, σύστασις, ἐπιχείρημα, ἀπόδειξις, ἔλεγχος, ἐνθύμημα, νόημα, ἔννοια, et alia complura. nec enim omnia recensere institui. Jam quid facias in illis adjectivis, ἠθικὸν, παθητικὸν, πραγματικὸν, προκαταστατικὸν, συνεκτικὸν, ἀντιστατικὸν, ἐπιλογικὸν, προοιμιακὸν, ἀπροσδιόριστον, atque id genus aliis, quæ quomodo explicentur, nisi aut improprie, aut barbare, aut longis verborum ambagibus, equidem non reperio: ut nihil dicam, ea præcepta artium, quæ secutus est Ulpianus, ita abhorrere ab ea et Græcorum et Latinorum doctrina, quos hodie in scholis plerique sequuntur, ut sæpe difficile sit divinare, quid sibi velit. Hæc et hujus generis alia incommoda cum attentius perpenderem, parum abfuit, quin totum Ulpianum desererem, ipsius Demosthenis conversione contentus. Sed quum aliorum complurium editos in Demosthenem commentarios, qui sæpe in hoc opere citantur: cujusmodi sunt Apsinis Genethlii, Æsculapii, Alexandri, Diocori, Zenonis, Aspasii, et aliorum, e quibus multa in Ulpianum translata esse suspicor: et ipse Ulpianus quarta Philippica, τάδ', inquit, ἐν τούτοις ἀσαφῆ παραστήσουσιν οἱ ἐξηγηταί: et in oratione de fœdere Alexandreo, οὐκ ἔστιν ἄδηλον, inquit, τοῖς φιλομαθέσιν, ἐξ ὧν ἀνεγνώκασιν ὑπομνημάτων: eos igitur omnes commentarios cum tempus aboleverit, et huic uni tamdiu pepercerit, (etsi enim

quis fuerit hic Ulpianus, quibusve temporibus vixerit, non constat, tamen eum ante aliquot secula vixisse probabile est) cogitabam, in eo vel genium, vel utilitatis aliquid inesse oportere, atque ipse, ut dixi, memineram, me ab eo admonitum, non pauca Demosthenis loca et intellexisse rectius, et diligentius pervestigasse. Quare non committendum arbitrabar, ut Græcarum literarum rudes ea utilitate penitus fraudarentur. In animo igitur erat, præteritis aliis, quæ plus verborum et obscuritatis, quam eruditionis, haberent, utilissima quæque ex eo decerpta inserere meis Annotationibus, quas in totum Demosthenem jampridem institui, et quarta ex parte propemodum absolvi, absoluturus etiam cætera, nisi fortunæ iniquitas certam ac tranquillam sedem, et necessarium ad tantum opus, propter quod plurimi, tum Græci, tum Latini scriptores, evolvendi erunt, otium negaret. Sed ab hoc instituto duæ me rationes depulerunt: una, quod injuria fieri videbatur Ulpiano, si ejus opus, jam ante mutilum, magis etiam truncaretur. Quod enim ego in meis operibus et conversionibus iniquissimo animo ferrem, (et quis ita lenis aut socors est, quin sua scripta temerariis aliorum manibus attrectari et compilari ægre patiatur?) ab eo religiose mihi abstinendum in aliorum etiam lucubrationibus arbitrabar. Altera, quod, quæ ego supervacanea censuissem, alius fortasse cumprimis opportuna sibi et commoda judicasset. Quot enim capita, tot sententiæ, et suam quisque opinionem putat esse optimam, et quam paulo ante probavit, post ipse repudiat, ut mihi cum Luciano exclamare subinde libeat:

Οὐδὲν ἐν ἀνθρώποισι διακριδόν ἐστι νόημα,
Ἀλλ' ὃ σὺ θαυμάζεις, τοῦθ' ἑτέροισι γέλως.

Etsi enim illam academicorum ἀκαταληψίαν non probo, infinitæ tamen doctorum et sapientum (ut perhiberi se volunt) cum ab aliis, tum a semetipsis dissensiones, etiam cum nihil dant ambitioni, aut æmulationi, cum simplicis veritatis rationem habere se dicunt, me vehementer movent, ut multis in rebus agendum et pronunciandum esse cautius existimem. Proinde ne studiosi Latini sermonis in hoc opere deteriore conditione essent, quam Græcis literis eruditi, convertendas etiam has Ulpiani enarrationes suscepi, non alia re magis fretus, quam candore et humanitate æqui lectoris, (quis enim iis difficultatibus, quas supra exposui, circumvento, veniam non daret, nisi a communi etiam sensu alienus?) et assiduitate diligentiæ ac in doctrinæ studiis, quibus me iniquum Saturni sidus exiguo cum fructu et voluptate alligavit, tolerantia molestiarum et laborum. Codicem igitur Græcum, ubi id mihi citra temeritatem, atque adeo vere posse facere videbar, partim verbis Demosthenis, ad quæ tota explicatio referenda est, diligenter inspectis, partim sagacibus conjecturis adhibitis, locis plus bis mille correxi, neque fere pauciora

incorrecta præterii, et suspecta atque obscura mihi omnia stellulis signavi. Et sic primæ difficultati mederi sum conatus. De ipso autem artificii oratorii et Ulpianicæ doctrinæ genere, pro sua quisque persuasione vel probet, vel improbet, quod videbitur: modo illud meminerit, eum usitatam suis temporibus rationem, quæ multis ingeniosis et eruditis hominibus placeret, secutum, obstitisse atque invidisse nemini, qui doctius aut explicatius aliquid afferre vellet in medium. Sed hoc ad verborum interpretem eatenus duntaxat attinet, ut ne otio (quo ego certe minime abundo) abusus esse videatur: cætera ipsi autori præstanda sunt, sive is bene, sive male scripserit ac docuerit. Illud autem facere non dubitavi, ut alicubi perpetuam Ulpiani orationem, brevitatis servandæ et molestiæ vitandæ causa, sine ullo autoris detrimento, intersecarem, et verba Demosthenis parentheseos signo clauderem. Velati cum Ulpianus habet, *ἐν δὲ τῷ, οὐχ ἁπλῶς ἔδωκε τρόπῳ, σοφίζεται ὁ ῥήτωρ*, ego sic feci. *Non uno modo dedit.)* Hic captiose agit orator. Alioqui si *ἐν δὲ τῷ*, voluissem exprimere, dicendum fuisset: In his autem verbis, *non uno modo dedit*, captiose agit orator, quod neque dilucidius est, et prolixius, et tale, ut si paucis in versibus sæpius repetatur, fastidio lectorem enecet. Nemo igitur, opinor, hoc factum reprehendet, præsertim cum ita tractatus sit Ulpianus, ut ab enarrationibus ad annotationes, tanquam ab equis ad asinos, devolutus esse videatur. In artis autem vocabulis, quoniam Latinis partim prorsus carebam, partim satis propria non habebam, aut Græca ipsa reliqui, aut Latinam interpretationem, non quam volui, sed quam potui, quamque festinatio et mea et typographi passa est, adjeci. Oporino enim, acerrimi judicii viro, certis de causis, quas nec ipse improbavi, non visum est Ulpianum seorsim esse edendum, sed, quoniam tam mature ad calcem pervenissem, interpretem cum autore suo conjungendum. Maxime autem illud eum ad editionem impulit pene præproperam, quod me longinquum iter adornare intelligebat, in quo (apud exteras præsertim nationes) homo valetudinarius levi aliquo casu ita prosterni potest, ut nunquam resurgat. Maluit igitur Ulpianum qualemcunque edere, quam tot mihi labores omnino perire, quorum fortasse lectoribus etiam aliquis usus esse posset. Nam si spatium ac tempus detur, multa, quæ mihi quoque obscura nunc sunt, declarare posse videor. Quod quia non negligentia mea, sed fortunæ culpa, me pilæ instar huc atque illuc jactantis, prætermissum est, veniam meretur. Et alioqui totum hoc opus omnino tale est, ut cum Ovidio dicendum sit:

> Ea veniam pro laude peto: laudatus abunde,
> Non fastiditus si tibi lector ero.

Vale. Basileæ. Cal. Martii. Anno M. D. L.

Clarissimo Viro

HIERONYMO PAUMGARTNERO,

Patricio ac Senatori Norimbergensi, Vincentius Obsopœus

S. D.

Venit nuper in manus meas admirandæ vetustatis exemplar aliquod orationum Demosthenis, Hieronyme, vir clarissime. Quod cum cœpissem cum Aldino conferre, multis in locis illud cum vulgato discrepare comperi. Eos ego locos subnotandos putavi, inque publicam studiosorum utilitatem invulgandos. Quanquam vero his solus privatim frui potuissem, aut in occulto servare tacitus, tamen, cum ab invidentiæ morbo natura abhorream, et candidas musarum januas esse oporteat, ferre non potui, ut, proverbiali convicio, canis in præsepi dicerer. Dabo itaque in lucem utriusque exemplaris lectionem, non statim pronunciaturus, utra sit rectior, nisi in locis aperte mendosis: verum ejus judicii censuram doctioribus relicturus. Tantum enim mihi temere non ausim sumere, ut ea de re judicium faciam. Neminem vero hic meus labor proderit, nisi cui Demosthenes domi fuerit. In tenui labor est, fateor: sed tenuis non gloria, si quibus in locis Demosthenem aut correxerimus, aut illi pristinum nitorem hujus vetusti exemplaris subsidio restituerimus. Non attollam hic verbis quicquam, non sunt ista meæ industriæ, sed diligentiæ, quam conferendis exemplaribus impendi. Sunt hodie non parum multi, qui, cum in autore aliquo vel unicum adverbiolum, aut conjunctiunculam secus positam, aut supervacuam invenerint, Dii boni, quos protinus triumphos, quas gloriationes proferunt? quam insolenter sibi placent, nimirum se solos acutissime perspexisse, quod homines alioqui oculatissimos fugerit. Estque ob unam atque alteram dictiunculam protinus totus autor emendatior habendus, et ad vetustissima exemplaria restitutus credendus. Quid autem mendarum et erratorum hodie hoc mendacio in scriptoribus quotidie in lucem prodeuntibus nobis non obtrudunt typographi? Adeo solenne et usu receptum est, omnium librorum titulis addere: Ad vetustissima exemplaria restitutus, et ab infinitis mendis repurgatus. Si tamen hoc licet alteri in latino quopiam, neque tantæ classis autore, invento uno atque altero verbulo rectiore et emendatiore, exclamare: Reperi, non quod pueri clamitant in fabe se reperisse: cur mihi non idem liceat in Demosthene, autore tanto, tamque eximio? Quanquam quid nos repererimus, verbis jactantioribus opus non est: res ipsa indicabit. Atque utinam integrum exemplar nobis oblatum fuisset, ut ad eum modum omnes orationes inter se collatas emendare potuissemus, non permutassem opes

meas cum Crœsi aut Crassi divitiis. Sed enim, quæ nobis reperta sunt, ea aliis candide impertiemus: rogaturi lectores, ut hæc, qualiacunque sint, boni consulant, et his nobiscum utantur, et si quid rectius istis ipsi aliquando invenerint, nobis vicissim benigne communicent. Tibi vero, Hieronyme ornatissime, hoc quicquid est opusculi, nominatim dedico, cum Demosthenis amatori summo, tum lectori diligentissimo, et imitatori felicissimo. Neque enim antiquitate generis solum, sed pulcherrimis quoque virtutum ornamentis decoratus es, et utriusque literaturæ peritissimus. Accipe itaque libellum hunc studii in te mei monumentum et pignus, quod tibi amicitiæ nostræ quondam initæ, et condiscipulatus nostri memoriam refricet. Ornatissimos atque eruditissimos viros, Andream Osiandrum, Dominicum Sleupnerum, Venceslaum Lyncum, Thomam Venatorium, Ioachimum Camerarium, Michaelem Rotingium, D. Christophorum Kolerum, Erasmum Ebnerum, M. Hieronymum Schallerum, præterea D. Ioannem Magenpuchium, alterum Æsculapium, et reliquos literarii sodalitii proceres, meis verbis communiter saluta. Tu vero cum primis bene vale. Onoltzbachii, mense Novembri, Anno M. D. XXXIII.

Clarissimo Viro

HIERONYMO PAUMGARTNERO,

Hieron. F. consuli Norimbergensi, Hieron. Wolfius

S. D.

Fortes creari fortibus et bonis, etsi non semper id fieri videamus, Horatio facilius concedi potest, quam humanis et doctis humanos et doctos. Plerumque enim, paterna freti gloria, discendi laborem fugiunt, et literas et literatos contemnentes, et fastum ac despicientiam aliorum laudi sibi ducunt. In quorum utroque quantopere errent et peccent, nemini est obscurum. Tu vero, Consul ornatissime, contrariam viam ingressus, ad paternæ virtutis, eruditionis, humanitatis imitationem sic te composuisti, ut pater omni laude cumulatus, et illustri gloria per Christiani nominis orbem celebris in te revixisse videatur. Habet inclyta respublica Norimbergensis alterum, ac potius eundem Hieronymum Paumgartnerum, virum eruditum, civem patriæ amantem, senatorem gravem, consulem prudentem, et disertum. Habent homines docti et ingeniosi adolescentes patronum et Mecœnatem: recognoscunt cives tui prænomen et nomen idem: eandem staturæ proceritatem et formæ dignitatem cum grata recordatione patris intuentur: iisque rebus desiderium illius leniunt et consolantur. Fuit et mihi abhinc triennium, cum Norimbergæ in Christophori Fabii Iulii I. C. viri optimi

et Humanissimi, veteris amici mei, ædibus una pranderemus, et conspectus tuus iis de causis, quas exposui, perjucundus, et multo gratior comitas orationis, qua me ultro ad renovandam rerum paternarum amicitiam perhumaniter invitabas. Cui etsi ego meam tenuitatem esse imparem, facile video, tamen *αἱ καθ' ὑπεροχὴν φιλίαι* sic locum habere possunt, si cum iis etiam *φιλανθρωπίας ὑπεροχὴ* conjungatur, quæ in Deo Opt. Max. tanta est et tam admiranda, ut ejus cogitatione mens humana extra sese quodammodo rapta penitus obstupescat, et illa abysso divinæ bonitatis absorbeatur. Quam ego olim considerans, cum nescio quid de mense Decembri scriberem, in hoc distichon erupi:

Omnia quod superat miracula, CHRISTUS IESUS
Tam voluit nasci, cum DEUS *esset,* HOMO.

Facit igitur *ἡ τῆς φιλανθρωπίας σου ὑπεροχὴ*, ut *τὴν καθ' ὑπεροχὴν φιλίαν σου*, non fraudi, sed laudi mihi fore sperem: vicissimque eandem observantiam tuæ quoque præstantiæ polliceor, qua patrem tuum ab ineunte ætate usque ab obitum sum prosecutus. Nam cum illi puer etiamnum a Sebaldo Heideno præceptore meo amantissimo, nescio quo ingenii et studii cujusdam singularis nomine commendatus fuissem, et tum bene de me sentire cœpit, et de adulto, dum reipub. vestræ inservirem, præsens et absens bene mereri non destitit. Itaque ut viventem colueram, ita etiam defuncti memoriam versiculis non tam bonis, quam bono animo scriptis, (nam me perpetuo cum morbis molestisque laboribus conflictantem et Apollo et Musæ omnes destituerunt) te præsertim hortatore, celebrandum esse duxi: quos ideo ad te mitto, ut in eodem opusculo, non magno illo quidem, sed magno autori intelligendo serviente, quem et pater et filius magnificiunt, mentio utriusque, si minus honorifica, at ab animo grato et memori profecta, exstaret. Vale. Augustæ Vindel. Calendis Decembris. Anno M. D. LXIX.

HIERONYMUS WOLFIUS

Eusebio Episcopio suo

S.

QUANTI manuscriptos codices plerique faciant (quod nec ipse contemno) cum non ignorarem, dolui sane, Augustanæ Reipublicæ vetustissimum Demosthenis exemplar, cum ob temporis angustias, tum propter minutas et exoletas literas, a me, nec vitreis istis Lamiarum oculis adhibitis, potuisse perspici et cum impressis conferri. Sed cum mihi Luteciana editio de sententia D. Theodori Zwingeri, cujus judicio plurimum tribuo, et tua, mi Episcopi, cujus voluntati in re honesta morem gerere et debeo et cupio, perlegenda, græcolatini Demosthenis impressionem prorogasset, egi cum egregie docto

et honesto viro, Simone Fabricio, scholæ nostræ magistro diligentissimo, cujus et ingenii acumen, et acies oculorum, et in græcis literis judicium atque exercitatio nota mihi esset, ut eam provinciam (si aut res facultatem haberet, aut, si quod operæ pretium se facturum esse confideret) suscipere non gravaretur. In quo ille mihi pro necessitudine nostra non modo privata, sed etiam publica, (sumus enim collegæ in eodem græcas latinasque literas docendi munere) et ob rei literariæ promovendæ studium haud graviter morem gessit, atque, opere confecto, hoc modo ad me scripsit:

Optimo Viro

HIERONYMO WOLFIO

Compatri suo unice colendo

S.

Mitto ad te, mi optatissime compater, Orationum Demosthenicarum exemplar, in quo varias ac diversas lectiones ex veteri manuscripto codice diligenter et accurate perspecto, et ad editionem Hervagianam collato, bona fide notavi, multisque in locis gravissimum ac eloquentissimum oratorem fœde ac turpiter mutilatum depravatumque offendi: (præter enim innumera pene librarii menda, constructionisque verborum perturbationem, integros interdum versus præteritos atque omissos reperi) quem tamen studio, opera atque industria tua perpolitum, integritatique ac nitori suo restitutum, sic jam exiturum speramus, ut non multa in ejus orationibus, sive splendorem verborum, sive sententiarum ornamenta spectes, homines ingeniosi ac docti desideraturi sunt. Ego tantum profecto veteris codicis antiquitati tribuo, ut is vel propter solam numerorum concinnitatem et suavitatem admirabilem compositionis (quæ in altera editione desiderari aliqua ex parte videtur) publicis sumtibus totus describendus, pervulgandus atque edendus mihi esse videatur.

Nam cum unus Demosthenes inter omnes oratores græcos excelleret, quod summam prudentiam, summamque vim haberet dicendi, ejus fulmina (ut inquit Cicero) non ita vibrassent, nisi numeris contorta ferrentur, quorum ceu lineamenta ac vestigia quædam singularia in manuscripto codice apparere atque conspici posse existimo. Continet is liber fere omnes Demosthenis orationes præter *ἐπιστολὴν φιλίππου, Δημοσθένους ἐπιστολὰς, προοίμια δημηγορικὰ, ἐπιτάφιον καὶ ἐρωτικὸν λόγον, τὸν πρῶτον καὶ δεύτερον κατὰ στεφάνου ψευδομαρτυριῶν, τὸν κατὰ εὐέργου καὶ μνησιβούλου, τὸν πρὸς κάλλιππον, τὸν κατὰ νεαίρας.*

Scholia quoque græca in margine notata descripsissem, atque ad te misissem: sed video pleraque esse eadem cum iis, quæ in exemplari græco Lutecianæ editionis reperiuntur.

Reliquum est, ut ipse, quem omnes in omni judicio elegantissi-

mum judicant, pro ingenio tuo singulari, præstantissimum oratorem, artificio quodam et expolitione distinctum, notisque insignibus illustratum in lucem de integro nunc proferas, pristinæque dignitati suæ restituas: qua re non posteritati tantum plurimum commodabis, sed æternum etiam virtutis, doctrinæ, industriæ, laborumque tuorum præconium colliges, summamque gloriam ac laudem tibi comparabis. Vale.

SIMON FABRICIUS
Marcopibertanus Francus.

Ego vero singulari diligentia et judicio viri egregie docti delectatus, pleraque ab eo notata subjeci: quamvis animadverterem, Augustanum codicem habere non pauca et cum meis conjecturis et cum cæteris *ἐκδεδομένοις τε καὶ ἀνεκδότοις* consentientia. In hoc enim genere contra præceptum Isocratis *πλεονάζειν, ἀλλὰ μὴ ἐλλείπειν εἰλόμην*. Quod factum nostrum in optimam partem candidos lectores accipere, et ærumnis nostris suo commodo frui velim. In eo autem, quod idem Fabricius censet, totum exemplar esse de integro describendum, his de causis ab illo dissentio, quod et qui id bona fide præstare possit, eo ipso excepto, hic scio neminem, et eandem lectionem ex æquo probaturi omnes non essent: et ex hac varietate diversarum lectionum, ea quivis homo doctus facile deliget, quæ maxime probet: et *ἡ τετριμμένη ὁδὸς, κατὰ τὴν πάλαι παροιμίαν, ἐστὶν ἀσφαλεστάτη*. Vale.

I. TAYLORI
AD SUUM DEMOSTHENEM DEDICATIO.

Nobilissimo Illustrissimoque Dno. Dno.

IOANNI

Comiti GRANVILLE, *Vice-Comiti* CARTERET, *Baroni* CARTERET *de* HAWNES, *Insulæ* JERSEIENSIS *Ballivo Regio, Domino de* STO. OUEN, *Augustissimo Britanniarum Regi a Sanctioribus Consiliis, etc.*

OFFERO Tibi, Vir longe Illustrissime, Scriptorem, cui, incredibili omnium ætatum consensu, maxima vis dicendi conceditur, Atheniensem DEMOSTHENEM: Metam illam eloquentiæ humanæ, in quo sc. natura, quid erat in illo genere laudis summum, experta esse videtur, et monumentum posteris tradidisse, quantum optima animi indoles acute et feliciter inveniendo, quantum mellitissima lingua ornate et eleganter dicendo, quantum denique (ut fama fertur, nam id hodie non sentimus) studium et oris confirmatio apte et erudite pronunciando, consequi potuisset.

Eum ut ad Te potissimum deferrem, Vir Nobilissime, nobis felicissime cessit, quod non mea me magis voluntas incitaret, quam admoneret publica omnium exspectatio. Efflagitarunt, inquam, populares Tui, ut prodiret iste orator Tuo numini consecratus, eodem animo, quo sentiunt, eodem ore, quo profitentur, Te unice natum esse ad eum feliciter imitandum. Voluerunt, ut esset, aliqua saltem ex parte, locus Tuæ sollicitudini in eo auctore edendo, quem omnibus iis virtutibus, quæ civilem hominem decent, quem gratia dicendi, consiliorum gravitate, incredibili studio reip. et genere orationis, totum effinxisti.

Proinde merito gaudebam, eum maxime ex omni antiquitate ad hanc nostram ætatem, meamque operam reservari expoliendum. Cujus evulgandi ratio tam propriam Tibi et peculiarem hanc nostram nuncupationem fecit, quam diuturni temporis usus istiusmodi commendationes vel communes reddit, vel suspiciosas. Nihil enim assentationi, nihil consuetudini datum iri sensi: nihil de Te ita dici posse, ut idem illud de alio, vel in hac, vel in longa majorum memoria, dici potuisse videretur: tantum autem a me exspectare orationis necessitatem, quantum ab aliis solet vel emendicare fortuna, et exprimere adulatio.

Præterquam vero, quod omnibus notum sit, qui de hujusce gentis laudibus aliquid norunt, quantum nobilissimum hunc scriptorem præ cæteris antiquæ eruditionis et eloquentiæ auctoribus didicisti, nobis id etiam privatim innotescit, tantum eum Tibi adferre voluptatis in evolvendo, quantum publice adtulerit fructus ad imitandum. Quoties Te audivi (audivi autem sæpenumero) memoriter ea loca adducere, prout sermonis nostri ratio postulabat, quæ ille vel sapienter in usum suorum civium elaboravit, vel magnifice ad posterorum admirationem, toties Te memini tanta cum gratia, tanta oris suavitate, tam eleganter ea recitare, quam ille scripserit feliciter.

Jam vero quale est illud, non solum studio et assiduo labore efficere, ut hæ artes essent in Te summæ, verum etiam gratia et præsidio, ut apud alios quodammodo essent perpetuæ! Nam cum oratorem hunc nostrum emaculandum in me receperim, (recepi autem diligenter, cum tanti auctoris celebritate, tum Tui nominis religione non mediocriter permotus) nihil a Te non est elaboratum, ut prodiret tum ornatissime, tum etiam emendatissime. Proinde Demosthenem Tuum omni officiorum beneficiorumque genere demereri velles, et ut tantum jam foret in consilio tuo sollicitudinis, quantum olim erat in exemplo auctoritatis. Non in adumbranda operis imagine, non in ordinibus disponendis atque adornandis, Tuum deerat studium aut diligentia, non hortatio ad ea loca penitius recolenda, ubi desiderari videretur quædam animi intentio, non in iis una recolendis solertia et auctoritas. Nemo erat vel supellectile libraria,

vel ullo ad hanc rem aut usu aut consilio paulo instructior, cujus Tu fidem non implorasti. Postremo in quodam colloquio, cujusmodi consuetudine me honorare soles, cum de MStorum usu et præstantia sermo inter nos haberetur, atque in mentionem incideremus vetustorum exemplarium, quæ in instructissima Bibliotheca VIENNÆ AUSTRIACÆ adservantur, (idque memini me fecisse dolenti potius similem, quod propter vel itineris longitudinem, vel rei ipsius difficultatem, nostrorum hominum paucissimis eorum usus aliquis contingeret, quam optanti, neque exspectanti, fore, ut mihi aliquando contingeret) Tu protinus ea, qua merito eras apud AUGUSTISSIMAM IMPERATRICEM gratia, curasti, ut mihi necopinanti depromeretur exemplar et ætate et sinceritate spectatissimum, atque ad nitorem Tui DEMOSTHENIS accederet quasi cumulus, istius membranæ varietas, summa, quam vidi, et morosa diligentia exactissime descripta. Ita res maximas imperii, et gravissimas nostræ reip. curas cum literarum fortunis temperasti; atque ea studia, quæ per hosce aliquot annos summa cum inclementia nonnulli ne in otio quidem patienter adspicere solebant, Tu interea in maximis muniis exercitatissimus, non solum diligenter excolere, verum etiam utiliter propagare potuisti.

Scilicet a Te ereptum iri illud noluisti, quod est in isto fastigio dignitatis pene exoptatissimum. Noluisti tantum apud Te valere auctoritatem diuturno usu confirmatam, ut non in commovendis studiosorum ingeniis, et posterorum simul usui, Tuæque consuleres immortalitati. Nam uti nullum est magno viro impendii genus dignius, nullum honorificentius, quam quod erogatur in posteros, easque arbores conserere, quæ et alteri ætati sunt profuturæ: ita nulla est sincerior ratio laudis atque honestatis, quam prædicatio eorum virtutis, qui cultissimas disciplinas apud retroactam ætatem vel excitaverunt beneficiis, vel exemplo confirmarunt, vel propagarunt denique consilio et prudentia. Curasti igitur, ut Te ita posteritas sentiret, uti nos hodie non nisi de optimis sentimus. Eadem illa ætas, quæ cæteras res deterere aut obruere solet, Tuis semper aliquid additura est laudibus, suumque suffragium adponet, non huic tantum orationi nostræ, verum iis etiam, quæ, nescio an magis pudoris Tui conscientia permotus, an tenuitatis ingenii nostri, sentio tantum, eloqui non audeam.

Neque ab iis sane, qui negligunt omnem hanc rationem eruditionis atque ingeniorum exercitationem, vere illud dicitur, parum ad vitam atque ad remp. proficere, cultissimas licet, disciplinas, in quibus omnibus remissio quædam animorum et liberalis solummodo oblectatio quæritur; neque par esse, ut ea studia, quæ politioribus in artibus, atque in quadam elegantia literarum versantur, aut nostrum otium in iis excolendis, aut vestrum favorem in prorogandis

exercerent. Clamant ingenii facultates, parum in se esse laudabilis, si iis, qui eas in se habent, iisve, quos delectare possint, sint jucundæ, ni humano etiam generi essent quodammodo fructuosæ: proinde negligendam esse prorsus, aut exterminandam potius, eloquentiam, maxime autem cascam illam, et exoletam, et antiquorum solummodo literis inclusam, cujus si non omnis, at præcipua saltem, laus in delectu verborum, in decore clausularum, et in quadam ubertate orationis continetur.

Esse quandam incredibilem jucunditatem suavitatemque in eo genere literarum, quæ etiam occupatissimos percellere solet, nisi earum artium, quibus ad humanitatem informamur, plane rudes fuerint, neque ego negare possum, qui in antiquæ eloquentiæ auctoribus expoliendis aliquam ætatis partem contriverim, neque apud Te confiteri pudet, qui me, ut id constanter facerem, tantum omni beneficiorum genere impulisti, quantum incendisti hortatu atque auctoritate. Quid enim tam potest esse cognitu jucundum, quam gravissimis sententiis atque omni ornatu verborum distincta oratio et perpolita: ATHENIENSIUM præcipue, a quibus summa dicendi vis et inventa et perfecta esse creditur: atque ejus demum scriptoris, qui felicitate in excogitando, in explicando atque ornando nitore, tantum cæteris in ea urbe præstitit, quantum ea ipsa omnibus omnino nationibus antecellere judicatur?

Sed neque in isto genere laudis, si quid sit tamen in apta collocatione verborum, et in numerosa conformatione orationis laudandum, istorum hominum Excellentia passa est se contineri: neque ad Rempublicam adtulerunt infructuosam ingenii culturam, vel ii, qui in ista disciplina enituerunt, vel ii, qui eorum monumenta cum aliqua animorum attentione contemplantur. Quis enim nescit, multum utique conferre ad moderationem civitatis diligentissimam pervestigationem earum omnium rationum, quibus hominum mentes vel ad iram, aut odium, aut dolorem incitantur, vel ab iis reflectuntur? Verumtamen, quæ de naturis hominum et de vi omni humanitatis accurate in scholis disputantur, exarescant plane necesse est, nisi exsistat quidam, qui ea mentibus hominum ac sensibus, forensi usu, et gravitate quadam orationis, accommodare possit. Arma illa vel inflammandis animorum motibus vel extinguendis, scitissime quidem in umbra cudi potuerunt: in acie vero reipublicæ non poterunt utiliter nisi ab oratore geri. Deinde, si eorum laudamus industriam, qui de legibus jubendis aut vetandis, de perspiciendis rationibus constituendarum regendarumque civitatum, de sociis, de vectigalibus, de omni reipublicæ genere, cæterisque, sine quibus hominum societas aut esse, aut bene administrata esse non potest, quidquam literis mandarunt, quorum omnis, necessaria quidem, cognitio in exilitate quadam doctrinæ, et quasi in lineis reipublicæ

describendis versatur; quanto magis conformationem hujus disciplinæ, rationemque totius eloquentiæ, quæ et locorum opportunitate solerter disponere, et orationis lumine luculente distinguere possit, quæ illi vel prudenter investigarunt, vel artificiose tradiderunt? Perinde uti in mutis quoque artibus, tametsi eorum, qui aut in instrumentis conficiendis, aut in terendis coloribus exercentur, nemini subtilitas in suo artificii genere desit, dissimilis tamen laus et excellentior longe habenda est ea ratio ingenii, quæ in tabula perfectissimam istam imaginem exprimit, cujus in obtutu atque admiratione tota occupata erit posteritas.

His si addidero, intercedere quandam necessitudinem, qua conjungitur istius gentis eloquentia, non dicam cum Tua, qui propria quadam felicitate, non communi cæterorum exercitatione, DEMOSTHENEM exscribis, verum cum ea ratione dicendi, quæ hodie in foro, in curia, et senatu efflorescit; a plurimorum opinione non discedam. Habet enim eloquentia quosdam quasi flexus ætatis, et variam subinde maturitatem: et omnis noster forensis labor (sive id industria sit effectum, sive casu quodam contigerit, ut ad quandam quasi similitudinem contentionemque deveniretur) et sententiarum clausulis, et sermonis gravitate, et genere lacessendi et respondendi, tota denique figura orationis, quam studiosissimi quique magistri in animo conceperunt, græcæ laudi ab omni parte, quam Romanæ est propior. Nimirum ea eloquentia, quam in DEMOSTHENE, torrentis ritu, præcipitari non sine religione quadam contemplamur, deinde post ætatis aliquem decursum, in CICERONE, ubere flumine exundare, et latiori ambitu diffundi et expatiari, jam in pristinum alveum se recipere velle videtur. Non quasi aut huic impetu, aut illi ubertate præstemus; nec quasi in altero desit ornatus, in altero redundet; sed quod genere orandi ætas nostra velocitatem potius DEMOSTHENIS, quam CICERONIS copiam æmulata sit, licet ingenii præstantia et felicitate utrique multum cedamus.

Et profecto quemadmodum ea tempora, quæ DEMOSTHENEM tulerunt, imaginem Eloquentiæ nobis reliquerunt, quam feliciter imitari possimus, ita quandam similitudinem Reip. quam tueremur. Græcas urbes PHILIPPUS R. bello lacessivit. Inter eas maxime inclaruerunt ATHENÆ: nam et armorum usu et rerum gestarum fama cum plurimum posse videbantur, cæteris etiam providere et præesse solebant. Ibi cum Macedo nonnullas civitates largitionibus corrumpere, vi et obsidione concutere cœpit, num DEMOSTHENIS Tui aut deerat in prospiciendis periculis Solertia, aut in admonendis cogendisque sociis Sedulitas, aut in cunctorum denique animis excitandis Studium et Eloquentia? Alios enim nactus est, quos neque latuerunt quidem PHILIPPI insidiæ, neque propriæ fu-

git salutis ratio: verum qui otio et diuturnitate pacis nimium se passi sunt marcescere. Hi igitur Orationis quasi admotis facibus erant inflammandi. Alios rursus, qui licet Macedoniæ finibus proximi, incendium tamen istud omnium fortunarum aut non videre, aut non satis pro magnitudine periculi timere videbantur. Hi prudentia et omni consiliorum salubritate erant commonendi. Domi Cives suos edocuit, summum reip. esse præsidium, si quando eorum animos a Philippo abalienari sentirent, quorum opibus et amicitia istius olim crevit dominatio: subveniendum esse ei opportunitate cum consiliorum constantia, tum etiam maturitate auxilii: neque tum solum timendum esse Philippum, ubi Atticam invaserit, verum ubi aut oppressis Sociis P. A., aut deceptis, aut quoque modo disjectis, liceret id ei facere, quandocunque libuerit. Rursus cum communem rempublicam fœderatarum Civitatum Legatus obiret, (quid enim aliud judicemus Gentes, loco quidem, moribus et imperii genere dissitas, belli tamen fortuna, et libertatis vinculo conjunctissimas, quam faciem quandam et figuram reip.?) universos pares esse posse docebat; dispersos militia, aut discordes consiliis, aut animo fractos testabatur perituros. Omnibus autem palam edicebat, unam esse cum Philippo pacis rationem, eam nempe, in qua ille non hostilem animum deponeret, voluntatemque nocendi, verum etiam facultatem. Quid? Nos, quos conditio temporum fortunæ quadam similitudine pene concluait, anne morum consiliorumve disjunget inconstantia? Anne minora ea existimabimus, majestatem reipublicæ, salutem Civium, præsidium Sociorum, vindicias Libertatis, quam ii olim existimarunt, quibus gloria et auctoritate imperii non cedimus, felicitate et fortuna superamus? Non per illos, qui in acie Chæronensi, multitudine quidem oppressi, animis invicti, pro communi libertate Græciæ ceciderunt! Non per illos, qui in Dettingensi, melioribus auspiciis, regioque ductu, communem Europæ hostem fortissime repulerunt!

Tædet Te forsitan prolixioris Orationis nostræ: tædet etiam, puto, quoniam occupata est in recensendis Tuis virtutibus. Paucis tamen repetendum, quantum vel ex summis laudibus sibi jure arroget tenerorum ingeniorum conformatio, atque ea cultura, qua juvenum animi finguntur ad omnem speciem atque excellentiam virtutis. Neque enim ista commentatio ab ea fama, quam de Demosthene accepimus, neque a Tuis moribus abhorrebit, neque denique ab indole istius loci, unde has literas ad Te dedi; ubi usus sane noster et commoratio istam saltem adtulit jucunditatem memoriæ, ut plurimos præstantissimorum ingeniorum fructus partim in optimam spem maturescere, partim jam a rep. decerpi sentirem, quos ipse nostrorum hominum cura et præceptis consertos et excultos esse recordabar.

Demosthenes ille noster Platonem, uti Nos hodie eum cum Platone, et assidue audivit, et lectitavit studiosissime; atque ab eo fonte nonnullos rivos ad suæ artis studium a multis duxisse creditur. Neque academiæ solum operam dedit, et a summo isto Magistro ornate splendideque loqui didicit, verum Thucydidis eousque studiosus, ut eum octies sua manu descripsisse perhiberetur, et absumtis incendio quodam cunctis exemplaribus, eas historias memoriter redintegrasse, ab eo densitatem illam majestatemque sententiarum derivavit. A Dialecticis argumentationum subtilitates, a Rhetoribus genera causarum, infinitamque quæstionum varietatem adripuit: et cum ex sua arte colorem orationis, ex scena, atque histrionibus oris conformationem, gestum habitumque accersivit. Denique gravissima naturæ impedimenta incredibili meditatione atque exercitatione sustulit; et cum, sive laterum infirmitate, sive spiritus angustia, sive linguæ vitio, neque expedite neque plane quidem loqueretur, perfecit diligentia et industria, ut nemo eum non solum contentione dicendi, verum neque majestate vocis, aut ornatu pronunciationis ex omni memoria superaret.

Ecqua autem unquam sanctior aut sollicita magis Disciplina, quam Tua fuerit in iis Ædibus, quæ et elegantissimæ culturæ laude semper floruerunt, atque optimorum exemplorum auctoritate abundarunt? Nihil ibi defuit, vel ad fingendam, vel ad perficiendam eam speciem excellentiæ, quæ futura esset optima: non virtus propria, quam exerceres, non aliorum, quam imitareris. Et cum Naturæ contigerit beneficio, ut præstantissimam haberes animi indolem, quam excoleres, accessit etiam illud Sapientiæ, ut id velles quam severissime, tum Fortunæ, ut optimis innutritus præceptis id etiam posses pari cum utilitate. Non Tibi quidem eadem, quæ oratori Tuo, oblata est concertatio, neque necesse Tibi fuit luctari cum pervicacia naturæ: erat tamen contentio, ratione quidem confligendi non levior, victoriæ certe laude illustrior. Vicisti generis nobilitatem, industria, lenocinia ætatis, continentia, ædium denique istarum claritudinem, exemplo. Meministi, non qualis esses, sed qualis eras futurus. Cedebat juventus utilitati publicæ atque exspectationi communi: cedebat elegantia morum, studiorum severitati: natalium splendor, philosophiæ præceptis: dignitas artibus. Jam tum enim præsensisti eos honores, quos civitas erat Tibi debitura, atque uti deberet, elaborasti. Non enim prius eminere statuisti, quam Tibi in animo descripsisti, quantum esset laboris in eminendo. Mature ergo in literarum sinu excellebas, licet non hoc genere excellentiæ, quo deinde inclaruisti, eodem tamen animo excellendi. Pulchrum illud sane et honestum, ut, qui omnigenas artes benevolentia sua olim erat complexurus, prius id experiundo disceret, quale esset innutriri, quale antecellere in optimis.

Laudabilis quidem est omnis animorum institutio: neque tanta unquam fuit aut in nascendo ingenuitas, aut conditionis prærogativa, cui non aliquantulum addidit perceptio istarum artium, quas profitemur; sive contulerint ad exercitationem adolescentiæ, sive ad subsidium senectutis: sive sint, ubi Illa ætas suum otium consumere possit cum innocentia, aut hæc cum quodam fructu jucunditatis: denique sive tutandis, sive ornandis moribus sint repertæ. Tu interea parum contentus necessario illo, sed pervulgato, literarum usu, adtulisti ad hæc genera studiorum non magis ornamentum aliquod et dignitatem, quam invidiæ quasi cumulum, cum unumquemque nostrum, qui ad singulas eruditionis species comparamur, tantum naturæ benignitate, et industriæ laude antecellueris, quantum antecellas loco et conditione. Ea existimatione cum statim floreres, petebaris a republica, non ab ea ornari petebas. Consecutus es omnia honoris ac dignitatis præmia, atque ea quidem ætate, quæ non in adipiscendis honoribus, sed in animo fingendo, sollicita esse solet. Legationes arduas atque longinquas pro republica obiisti, cum adhuc maturum videri poterat de primordiis civilis scientiæ, et de rerumpublicarum generibus, moribus et institutis meditari.

Quam deinde ætatis partem transegisti, aut laudibus vacuam, aut sterilem felicitate? Non civiles rationes gloria caruerunt: non domesticæ gratia et fortuna. Tibi enim publicis licet et muniis, et honoribus innutrito, elargita est natura omnes elegantias privatæ felicitatis, quibus fruereris: elargita est etiam optimam artem fruendi. Natus summo genere, utroque parente nobilitatus, eaque usus conditione nascendi, ut non honoribus, quos contulimus, auctus, verum ad eos condecorandos factus videreris, magna cum omnium spe, magnaque fiducia ad rempublicam gerendam accessisti. Et quanquam, quæ natura aut fortuna darentur, in iis rebus Te vinci posses æquo animo pati, ut dixit ille CRASSUS, si tamen vinci poteras, utile tamen fuit reipublicæ, sicut Tibi gloriosum, tot quasi pignora constantiæ, in regem fidei, in rempublicam meritorum, in utraque prosapia numerari, quot numerat CARTERETORUM et GRANVILLORUM domus. Quid memorem Tuum summum maximumque honorem vultus, dignitatem oris, atque ætatis vegetam et indeflexam maturitatem? Quid multas magnasque necessitudines, urbanorum officiorum frequentiam, et politissimas in agro rusticationes? Rara illa et sincera undique felicitas, contigisse uni non magis in senatu eloquentiam, gravitatem in conciliis, in rebus agendis experientiam, quam in aditu facilitatem, elegantiam in congressibus, in sermone leporem, humanitatem in amicitiis, maximam denique dignitatem maxima comitate temperatam? Novimus Te pari constantia res serias maximasque tractare, atque has nostras elegantia: animumque Tuum ea celeritate hinc inde delabi, ut difficile esset dijudicare,

utrum major esset in rebus imperii concipiendis, an exquisitior, dum doctrinarum omnium fontes recluseris, an demum incredibilior, quod utramque laudem tam feliciter conjunxeris. Hinc non otium Tibi solummodo, sed bene dixeram negotium, literarum luce distinctum. Attamen tanti interea non Tibi sit vel Tuus ipse Demosthenes, neque ea, quam descripsisti, methodo concinnatus, neque iis, quas comparasti, suppetiis instructus, nequa ea, quam voluisti, manu recensitus, Te ut carere posset respublica; aut, utilitatis communis impendio, Te nimium allicerent privatæ hujusmodi elegantiæ. Sinito Te tamdiu a Tuo Demosthene divelli, dum præsentia curas: Jam dudum enim a Te provisum est, ut vestra commemoratio in animis et sensibus posterorum divellatur nunquam.

Interea autem, dum Te illuc sequitur, et in civilem vitam comitatur, gratulatio nostra, nescio, quod genus laudis et virtutis aut adriperem primus, aut cui insisterem lubentius. Memoremne Provinciam, quam Pro Rege, in ipso juventutis flore, administrasti, summa cum omnium exspectatione aditam, et procuratam admiratione, et relictam desiderio? Si domesticas nostras et magis proprias felicitates recolam, ibi meminisse oportet summam cum Optimo Rege gratiam, et nostræ reipublicæ rationes maxima animi constantia, incredibili ingenii vigore, optimo consilio et sapientia, feliciter et vigilanter sæpius gubernatas. Meminisse oportebit, qualis quantusque fueris in senatu, et in conciliis; summam atque incredibilem gratiam gravitatemque sententiarum, facundiam in voce, severitatem affirmationemque in vultu, in oculis, habitu, gestu, toto denique corpore naturalem quandam et ingenitam vim et eloquentiam. In negotiis publicis expediundis, quanta alacritas sine trepidatione, quanta vigilantia, propemodum cum animi remissione conjuncta? In Quæstorum Scribarumque operis excitandis novus et insolitus, sed reipublicæ utilissimus, ardor, sine strepitu, sine molestiis, et fere sine specie, diligentiæ. In Legatorum denique congressibus elucebat summa et maxima experientia, ea, quæ cujusque nationis vota et necessitates pene anteverteret; maxima tamen ubique comitas, neque ulla per interpretem oratio.

Verum, uti oratio nostra a Demosthene exorsa tandem in ejus editore desinat, abunde mihi gratulor, oblatam esse hanc opportunitatem, ubi vota publice nuncupare possim, ut hoc sedulitatis meæ et diligentiæ qualecunque monumentum, ita etiam perpetuum sit argumentum animi Tibi Tuæque dignitati addictissimi. Nunquam autem illucescat ille dies, ubi vota, quæ pro Te nuncupo, utilitate potius extorqueri videantur, quam fide Tibi deberi. Neque interea hæc eo dico, quo quidquam in hac nostra tenuitate, aut Tuis rationibus adjumenti, aut reipublicæ emolumenti futurum esse arbitrer,

verum ut palam declararem, id quod mea conditio patitur, et mores postulant, me nullius omnino beneficii, qualia multa in me contulisti, posse esse immemorem. Omnium autem novissime, gratiæ Tuæ et commendationi debeo, quod iis adjutus, tantum apud optimum præsulem Lincolniensem, morum et sanctitate pariter et elegantia spectabilem, valerem, ut munere illo honorifico, quo hodie apud eum fungor, me augere dignaretur: cujus ratione id mihi non solum oblatum est honoris, ut in ejus et curarum et consiliorum quasi communionem admitti contingeret, verum etiam beneficii, ut tantam amicitiam excolere, et virtutem propius imitari liceret.

Vale, Vir Nobilissime. Ut gaudeas, utque rem bene geras, ex animo comprecatur

Dignitatis Tuæ, honoris atque excellentiæ studiosissimus,

Tibique omni officiorum genere devinctissimus,

Datum e Coll. Div. Iohan. Cantab. ipsis Idib. Decembribus Anno MDCCXLVII.

IOHANNES TAYLOR.

IOHANNES TAYLOR

Tertium hunc Demosthenis Tomum Lecturis

S.

Quæ præfatus sum olim, cum Leptineam in publicum emisi, ea fere omnia hic repetenda esse arbitror. Nam uti tunc, quid in me præstandum receperim, ita hodie, quid præstiterim; simulque quid me impelleret, ut insolito hoc ordine edendi uterer, qui nonnullis præposterus videri potest, id utique lectorem eruditum meis verbis æquum est edoceri. Qui profecto eadem opera intelliget, eam methodum, quam tum mihi in hoc opere exsequendo præscripsi, jam maxima fide et religione a me esse observatam.

Eam igitur, quam dixi, orationem prodire jussi, et a studioso lectore versari, ut perspiceret meum in his Auctoribus evulgandis studium et consilium: ut haberet industriæ meæ quasi pignus aliquod et tesseram, unde experimentum capere potuisset, quid de futura editione exspectandum foret: maxime vero omnium, ut illud constaret, si quibus hæc mea opera aut intempestiva, aut non necessaria esse videretur, sc. non hactenus prodiisse editionem Demosthenis ea, qua par erat, fide et diligentia emaculatam.

Nam cum earum, quæ olim emittebantur, pleræque ex sanis et

vetustis satis exemplaribus hinc inde erant depromtæ, sequebatur, ut, quod singulæ vix perficere poterant, id ab omnibus collatis invicem et diligenter inter se comparatis æquum esset exspectare. Nimirum illa erat Francofurtensium provincia, qui, cum editionem Demosthenis A. D. 1604. in ea urbe procurarunt, omne illud, quod præcesserat, in suo opere complexuri videbantur. Membranæ, unde antiquissimæ editiones excudebantur, suppeditarunt variæ Italorum bibliothecæ: Jam vero, cum Hieronymi Wolfii, tum Gul. Morelii opera, accesserunt variæ lectiones, quas hic ex Gallicanis, ille ex Germanicis exemplaribus derivavit. Verumtamen sive festinatione nimia, sive illud accidit incogitantia et temeritate, sive denique eorum hominum ad tantas res exsequendas imbecillitate, nihil ab iis profectum est hoc nostro scriptore, eaque exspectatione dignum. Tantum enim abest, ut editiones antiquæ sibi invicem maturam lucem affunderent, ut aliquando et pessima fide, et indiligenti maxime manu exscriberentur.

Ut igitur meam qualemcunque operam tam utili consilio admoverem, id, quod Francofurtenses illi in animo agitarunt, effectum autem non dederunt, in me recepi: eaque modestia, quæ meos mores decet, ea tamen fiducia, quæ mentem sequitur infiniti ferę laboris consciam, lectori meo commendo hanc operis Demosthenici particulam vulgatis omnibus longe emendatiorem. Multum sane ad hunc nitorem privatim contulit Aldus cum P. Manutio Fil., Bern. Felicianus, qui fuit homo accuratissimus et diligentissimus, deinde Dion. Lambinus, omniumque laboriosissimus Hier. Wolfius, cujus editione utor. Hi mihi omnem istam, quæ in medio jacebat, laudem fere præripuerunt: reliquerunt arduam istam provinciam, sc. ut eorum demum et industriæ et solertiæ aliquid adderem, quod lectorem eruditum promereri poterat.

Editiones igitur istas binas a Manutiis, tertiam a Feliciano procuratam, necnon luculentam illam ornatamque, sed, quod dolendum est, minus accurate impressam, quam excuderunt Parisienses, opera potissimum D. Lambini, eas utique omnes verbo tenus diligenter et sollicite excussi: neglectis duabus Hervagianis, quarum unam ex Aldina, alteram ex Veneta Feliciani, claudestino consilio derivari comperi. Proximum erat, ut Codd. MStorum opem implorarem: quot autem ii qualesque fuerint, quos vel precibus vel gratia hactenus adhibere poteram, deprehendet bonus lector ex syllogo isto sive catalogo, quem huic allocutioni subjeci. Porro neque contemnendæ erant interpretationes, sive pristino latinorum sermone, sive recentioribus, quibus hodie utimur, a variis concinnatæ. Eas autem duplici consilio evolvebam, cum ut earum auctoritate motus, adno-

tarem, si quando in vertendo minus feliciter cederet Wolfio, qui tamen istam provinciam improbo labore, nec minori laude administravit: tum ut veritatem lectionis in textu Demosthenico forte fortuna elicerem; siquidem antiquiores interpretes, longe secus ac hodierni, sæpissime vetustissima exemplaria in usus suos sedulo conquirere, eorumque fidem in vertendo sequi solerent. De Demosthenis autem interpretibus, qui cum numero sint plures, linguis et laude diversi, commodior erit dicendi locus: ad notarum delectum propero. In ea autem operis parte, præter Wolfiana pene omnia, (recisis paucissimis, immo nullis) ubi textus laborare videretur, aut Codd. discrepantia quidquam conferre ad ejus aut nitorem, aut sanitatem, ibi consilium meum admiscui. Id autem quale fuerit, neque mei est loci disserere, neque, si id summopere voluissem, jam fuisset integrum, cum judicio communi me meamque in ea re existimationem penitus submiserim. Porro autem, quæcunque in eruditorum scriptis ad auctorem nostrum vel elucidandum, vel emendandum quidquam momenti habere viderentur, sedulo investigavi. Postremo plurimum acceptum refero humanitati et doctrinæ summorum et præstantissimorum hominum, Jer. Marklandi, et Jacobi Jurini, quorum amicitiam impense colere, atque operam egregie in Demosthene navatam maximi semper facere, et soleo et debeo.

His adjungam licet operarum Typographicarum curam, meamque in ea causa non vulgarem sollicitudinem, aut contemnendam diligentiam; characterum elegantiam, et paginarum accuratam convenientiam. Curavi omnium primus, ut, qualis foret ratio exarandi et distinguendi Græca, talis quoque in Interpretatione Wolfiana religiosissime adhiberetur; quantum id sineret utriusque linguæ, Græcæ sc. et Romanæ natura et proprietas. Siquando occurrant (occurrunt autem sæpenumero) verba, quæ legitima vocari possunt, leges sc. populiscita, testimonia, ritus, aut istius generis monumenta, ea omnia utrobique literis majusculis discriminari volui. Cum et in iis causæ ipsius rationes sæpissime contineri sensi, et præterea eo consilio quendam quasi Thesaurum, sive repertorium juris Attici lectori meo ob oculos repræsentatum iri credidi. Postremo autem omnium, flexus istos et diverticula orationis (incisa majora, sive paragraphos vocant) nova quadam ratione distinxi, non pari verborum clausula, aut æquali orationis portiuncula, ut illi solent, dimensus, sed argumenti potius pondere, et locorum, quos vocant, varietate; de eorum prolixitate, aut brevitate contra parum sollicitus. Istiusmodi ergo periodi ubique a litera majuscula ordiuntur. Ita sane provisum est, ut nec ea abesset utilitas, quam nonnulli ex tali distinctione expetiverunt, neque, textum identidem interpellando, suus a pagina decederet nitor.

Non autem inconsulto prima egreditur hæc orationum Demosthenicarum divisio, quam Wolfius tertiam constituit; in qua etiam parte nostræ pariter editionis demum erit reponenda. Scilicet id factum est auctoritate præcellentissimi atque honoratissimi Viri, cui non solum cunctas hujus editionis, verum etiam vitæ meæ atque officii rationes merito suo maximo lubens submitto. Cum enim unusquisque tomus seriem orationum complectatur, quæ et argumenti natura, causarum ratione et genere orandi a cæteris sunt distinctæ, et suis quasi limitibus circumscriptæ; et parum idcirco referret, quo ordine unumquemque aut typis mandarem, aut denique evulgarem: cum hoc, inquam, esset integrum, ideo maluit Vir nobilissimus, ut has orationes emitterem primas, quæ, cum cæteris nullo genere laudis cedant, tum etiam ejusmodi sint, ut novitate quadam lectorem eruditum delectare possint. Accidit enim, id quod infinita fere experientia cognovimus, ut unusquisque pene in iis orationibus, quæ remp. et civitatis rationes spectant, occupatus et quasi conclusus detineretur; paucissimi autem nescio qua inertia se produci sinerent vel ad contemplandam eam subtilitatem, quæ in Leptinea enitescit, vel impetum illum et violentiam, quæ in Midiana dominatur; neque porro intelligerent, quibus aculeis, quam arguta oratione, et quánto eloquentiæ flumine, perniciosis legibus, cujusmodi erant illæ ab Aristocrate, et a Timocrate rogatæ, eloquentissimus ille civis, reip. causa, restitisset.

Volumen interea II., sive tomus ille, qui Æschinis orationes tres, et duas Demosthenis ἀντιπάλους, sc. de perperam obita legatione unam, alteram de corona complectitur, magna ex parte jam est absolutus. Qui ubi confectus fuerit, simili lege et conditione faxo ut distrahatur.

Monendus es porro, amice lector, nobis jam institutum esse secundis consiliis, quæ aliquando ratione vincunt, telam hanc, quam texere occœpimus, in quinque sive partes, sive volumina dispescere. Auctor ipse, non Wolfiano magis consilio, quam genere concionum, quadrifariam distribuitur. Quo igitur absoluto, tomus ille postremus accipiet, inter alia, monumenta, quæ Vett. scriptores de vita, scriptisve Demosthenis etc. literis consignarunt: Ulpiani, aliorumque, quæ comparari possunt, scholia ad textum accommodata, et a mendis repurgata: novam adnotationum seriem, si qua forte occurrant vel explicatius confirmanda, vel in melius mutanda: MStorum lectiones varias, quas in notis nostris non attigimus: Indicem denique atticum locutionum uberrimum atque accuratum.

Patiatur æquo animo lector meus se a me denuo obsecrari, uti nolit vel MStorum, si qua fuerit, notitiam, vel in Demosthenem obser-

vatorum usum mihi invidere. Utriusque generis exempla plurima, currenti, ut aiunt, rota, lubenti et gratissimo animo me accepisse prædico. Me interea measque curas favente animo, quisquis es, accipito, neque nescius esto, me in iis, quæ fidem, modestiam, aut sollicitudinem desiderant, Demostheni non defuturum.

CONSPECTUS

EDITIONUM MANUSCRIPTORUMQUE,

Una cum NOTIS, *quibus, compendii gratia, designantur.*

Ald.] EDITIO Demosthenis Græca, Venetiis procurata ab ALDO PIO MANUTIO, A. 1504. Fol. Juxta istud exemplar descripta erat Editio Basileæ impressa ab Hervagio 1532. Fol.

Felician.] Editio Græca, rara et emendatior, quam curavit I. BERN. FELICIANUS, impressit autem Venetiis Franciscus Bruciolus 1543. 8. Hanc etiam, ne literula quidem immutata, typis suis exprimi voluit Hervagius, Bas. 1547. 8.

Manut.] Editio Græca, satis accurata et melioris notæ, quam dedit PAULUS MANUTIUS Venetiis 1554. 8.

Morel. Benenat. Paris. Lutet.] Pulcherrima et luculenta Editio Græca, ex Aldina expressa, et cum plurimis Codd. MStis in bibliotheca Regis Parisiensi collata. Eam utique inchoavit GUL. MORELIUS, Typographus Regius, intermissam vero, sive ob intestinum bellum, sive Morelii obitum, post decennium elapsum redintegravit Successor ejus I. BENENATUS: cujus rogatu DION. LAMBINUS Monstroliensis Editioni invigilavit, suasque notulas ad finem operis adjecit. Par. 1570. Fol.

MSS. Ald.] Lectiones variantes, quas ex Codd. quibusdam MSS. *Aldus Manutius* suæ Editioni subtexuit.

MSS. Felic.] Lectiones MStorum, quas similiter suæ etiam adjecit *Felicianus.*

MSS. Manut.] Iterum eæ, quas *P. Manutius.*

Codd. Regg. vel Paris.] Octo exemplaria in bibliotheca Regia Parisiensi adservata, quibus usus est *Morelius* ad editionem Lutetianam adornandam. Eorum notitiam, quam ille nobis invidit, mea opera deprehensam, Lectori erudito hic proponam: scil.

α.] Sive Codex Morelianorum primus eo utique indice in margine ejus editionis notatus, locum habet hodie in bibliotheca Regia 2190. Plurimas Demosthenis orationes complectitur cum Scholiis, sive glossis, hactenus ineditis. Videtur seculo decimo sexto, aut eo circiter fuisse exaratus.

β.] Hodie 2189. Codex probus, seculi undecimi. Orationes paulo plures complectitur, quam præcedens. Præmittitur Vita Demosthenis anecdota, a Zosimo Ascalonita conscripta: alia rursus ab anonymo quodam. Eas utique ad meos usus descriptas quinto hujus operis volumini reservavi.

γ.] Hodie 2270. Continet duodecim orationes, anno 1480. descriptas.

δ.] Exemplar istud, quantum elicere possimus, duarum tantum est orationum, sc. de Falsa Legatione et contra Midiam. Quem locum hodie obtinet, qua ætate descriptum, aut qua demum sit præstantia, pervestigare nequeo.

ε.] Hodie 2188. codex optimus, in quo totus Demosthenes describitur, seculi decimi tertii.

ζ.] Hodie 2276. Exemplar recens, utpote seculo decimo sexto exaratum, continet orationes in Leptinem, de Corona et de Falsa Legatione.

η.] Codex præstantior, seculi duodecimi. Videtur hodie ita designari, sc. 2772.

θ.] Hodie 2187. Plura complectitur. Codex, uti a Viro doctissimo describitur, cum optimis numerandus, duodecimo seculo exaratus.

Obsop.] Exemplar admirandæ vetustatis, verbis utor Obsopœi. Illud utique Anno 1533. cum editione Aldina contulit Vir ille eruditus, multaque inter conferendum scite observavit. Ea primus protulit Hieron. Wolfius, qui exemplar Pannonium nominare videtur.

Aug.] Exemplar et ætate et fide spectatissimum, ad civitatem, quæ Augusta Vindelicorum dicitur, pertinens. Demosthenis fere omnia complectitur. Excipiuntur enim solummodo epistolæ, orationes funebris et amatoria, exordia concionum, et privatæ orationes

quinque. Codicem illum in Wolfii usum ad minorem Hervagianam diligenter exegit Simo Fabricius Marcopibertanus, Francus. Vide Hieron. Wolfii literas nuncupatorias ad Senatum Augustanæ reip. datas, literas item Simonis Fabricii, hujus codicis variantibus præfixas, supra pag. lxxiii seqq. porro autem, Reiserum, Hoeschelium, et Ebingerum, qui de bibliotheca istius civitatis commentati sunt.

Ital.] Codex Italicus, atque haud scio, annon ex ditione Veneta, cum editione Aldina comparatus. De quo nihil præterea Francofurtenses, qui videntur primi adhibuisse.

Vindob.] Codex Augustissimæ Vindobonensis Bibliothecæ, Nesselio philosophicus græcus Par. IV. N. LXX. bombycinus, et bonæ notæ, in folio, constans foliis ducentis triginta novem. Liber ille, qui plurimas orationes complectitur, diversæ est ætatis: Nam post orationem de Rhodiorum libertate incipit perantiquus character decimi circiter seculi, quo cæteræ deinceps orationes hoc codice comprehensæ exarantur. Hunc gratia et interventu Nobilissimi Comitis GRANVILLII, in usum meum accuratissime contulit Dominicus Bricherius Columbus I. F. Patricius Finariensis.

Baroc.] Codex Baroc. Num. LXXIII. tredecim circiter orationes continens cum epistola prima. Scribitur in charta bombycina, foliis ducentis sexaginta duobus, atque ad seculum fere decimum tertium aut quartum assurgit.

Lindenbrog.] Codex optimus, sed incertæ patriæ, cujus varietates decerpsit Fred. Lindenbrogius, atque sedulo ad oram adnotavit posterioris Hervagianæ, in bibliotheca reip. Hamburgensis adservatæ. Apographum istud debeo humanitati I. Christiani Wolfii in ea urbe Professoris celeberrimi, qui in me immerentem plura ultro indicia animi benevoli contulit. Neque prætereundum est, quod nuperrime aliud similiter apographum ejusdem codicis ad eandem pariter editionem adnotatum humanissime ad me transmisit Vir præstantissimus Kenneth Mackenzie Iuris Cæsarei in academia Edinburgensi Professor: Cujus studium et benevolentiam hac grata animi mei significatione carere nolui.

Ven.] Codex, ut cōnstare posse arbitror, Sancti Marci Venetiis. Variantes excepit Vir industriæ et fidei summæ Petrus Pithœus, cujus in remp. literariam merita declarabit tibi Thuanus Historicus: Ex Aldino exemplari in bibliotheca Bodleiana Oxoniis, cui ea adleverat Pithœus.

Bodl.] Variæ lectiones, notæ et observatiunculæ, desumtæ e margine Exemplaris Hervagiani prioris, in eadem bibliotheca.

Cant.] Annotatiunculæ, ut credi par est, Claudii Groularti (de eo vide Præfationem Lysiæ, pag. 15.) ex Aldino exemplari in bibliotheca Regia, quæ est Cantabrigiæ.

His subnectam licet Codd. qui mihi magno usui et adjumento fuerunt, licet ad hunc tomum non pertineant. *Voss. Baroc.* 2. *Baroc.* 3. *Laud. Mead. Locker. Coislin. Reg.* 1. *Reg.* 2. etc. *Bern. Mor.*] Sive sint ii, qui concionum nonnullas, quas Demosthenes in Senatu habuit, complectuntur: Philippicas intelligo, vel quasdam de isto grege. Ex iis nactus sum Vossianum, Baroccianos duos, Laudianum etc. Sive sint ii, qui Æschinem solum descriptum habent. In qua familia primus memorari debet codex Viri præstantissimi et a me multum colendi *R. Mead* Archiatri. In eo exarantur tres ejus orationes, cum epistolis duodenis, nimirum omne, quod de isto homine ad nos pervenit. Codex doctissimi viri *I. Locker*, Londinensis, orationem contra Timarchum et Olynthiacas duas habet, et est bonæ frugis plenus. Plurimum etiam me debere profiteor gratiæ et humanitati domini *Richardi Ellisii*, τοῦ μακαρίτου, de literis ipsis, iisque, qui literis bonis operam navant, bene meriti. Hujus enim gratia excussi mihi sunt Codd. Parisienses, in quibus Æschines ille describitur, veluti Coislinianus num. CCXLIX. membranaceus, decimi plane seculi: ex Regia bibliotheca itidem plures, sc. numero, 2778. 2775. 3273. 3279. Deinde excerpta quædam ex MStis ignotis, quæ in Æschine suppeditarunt oræ librorum vel *Edv. Bernardi* in Bibl. Bodl. Oxon. vel *I. Mori* Episcopi Eliensis in Regia Cantabrigiensi.

Harl.] Codex Harleianus adservatur in bibliotheca Illustr. viri *Edv.* nuper *Comitis Oxoniensis*, qui, cum viveret, me amicitia sua multisque animi benevoli argumentis auctum esse voluit. Eleganter quidem scriptus, antiquus et bonæ indolis. Ultra orationes publicas (sunt autem illæ præter Philippicas etc. orationes Æschini oppositæ) non progreditur: Et eo sane termino plurimos Codd. MStos concludi sensi. Liber ille quondam ad Ecclesiam Ripponensem in agro Eboracensi spectabat.

Codex *Iacobi Harris* Sarisberiensis, Armigeri, Viri non solum literarum elegantia, verum omni genere laudis præstantissimi. Pertinebat olim ad *Eman. Martinum* Decanum Alonensem, cujus descriptione utor, sumta ex ejus epistolis VI. 12. " Codd. porro manu exaratos nactus sum aliquot—Alter antiquiorum Rhetorum

selectas orationes [continet] ut Demosthenis, Aristidis, Himerii, Hyperidis, Libanii: cui adjectæ sunt Philostrati vitæ Sophistarum et Platonis Gorgias. Videtur autem hic codex fuisse olim *Nicephori Gregoræ*, ut ostendit ejus chirographum in interiore tabula hinc inde scriptum. Quo etiam nomine permagno a me æstimatur." Hactenus ille. Codex est Pergamenus, et melioris notæ, et easdem fere, quas superior ille Harleianus, complectitur orationes, nempe quas *publicas* vulgo nominare solent. Ex eo nactus sum solummodo Variantes Philippicarum IV. Nam cum MS. ille beneficio Viri amicissimi ad me Cantabrigiam mitteretur, ut cæterarum, quæ supererant, varias ipse *ἀπολαξεὶ* excerperem, in itinere, mala quorundam fide, interceptus est, et ex eo tempore diu frustraque a me quæsitus: sive imprudentia, sive consilio et dedita opera sit discerptus. Hunc SI QUIS adhuc, nec prece nostra, nec pretio delinitus, domi in pluteo CONCLUSERIT, VEL quovis modo FRAUDEM FAXIT, DEÆ FIDEI SACER ESTO.

EXCERPTA
E TAYLORI SCHEDIS
DE
DEMOSTHENIS ET ÆSCHINIS
CODICIBUS MSTIS ET EDITIONIBUS,
VITA, FORTUNIS, REBUS GESTIS, ORATIONIBUS, &c.

IN magno numero voluminum, ab Antonio Askewio V. C. olim ad me Londino missorum, quibus olim Io. Taylor, ad Demosthenem Æschinemque suum edendum usus fuit, est volumen molis ingentis, in quod Taylor quæcunque legenti occurrerent de vitis et fortunis paris hujus oratorum contulit. Ipse præscripsit indicem capitum hunc.

Codd. MSS. Editiones. Antiqui Critici. Neoterici seriatim. Forma Operis. Critici iterum. Auctores ab Ulpiano laudati. Demosthenis orationes dubiæ, argumenta etc. Præfat. *Στίχοι*. Miscella. Contenta Voluminis quinti. Period of LXXX. years. Ex Scholiasta MS. Æschinis. Compendium vitæ, [Demosthenis puta.] Miscella. Vita Demosthenis. Auctores emendati in Editione Dem. Cantabrigiensi. Sophistæ. Vita Philippi. Demo-

sthenes varii. Post Philippica. Hæc fere omnia verbotenus fideliter relata hic prodemus.

CAPUT PRIMUM

De codicibus mstis Demosthenis in primis, sed et Æschinis.

Romæ. In Bibliotheca Vaticana juxta Montefalconium. Pluteo 2. orationes quædam. Orationes 47. Orationes quæ reperiuntur. Demosthenes cum Scholiis. Plut. 3. Zosimi Ascalonitæ Scholia in Dem. Juxta Ryckium vero Demosthenes cum Scholiis ineditis Zosimi. Ryckii (scripsit ille, credo, in Capitolio) Catalogus MSS. Codicum Vaticanæ asservatur in Bibl. Regia Cantabrigiensi. Apollonius in Æschinem. Æschinis Vita et Opera. Ej. epistolæ.

In bibliotheca Reginæ Sueciæ, hodie Vaticanæ Codex 855. Dem. orr. et Vita per Liban. Cod. 1643. Dem. orr. quædam ex græco translatæ. In bibliotheca Palatino Vaticana juxta Sylburgium Cod. 104. Dem. orr. quædam et Epistola Philippi. Cod. 113. Dem. Orr. quædam cum Libanii prolegomenis. 142. Olynthiacæ et pro Corona. 162. Dem. Orr. 30. 193. Dem. Orr. cum scholiis marginal. 224. Dem. Orr. privatæ. 340. Philipp. 3, et 4. et pro Corona. Ibidem juxta eundem Cod. 51. In tres Æschinis oratt. scholia. 132. Æschinis Epistolæ. 134. Æschinis oratt. π. παρ. et in Ctes. 58. Dionys. Hal. de Demosthene. In Bibl. Barberina Demosthenis editio Basil. 1549. in octavo cum notis mstis.

Florentiæ. In bibl. Medicea juxta Montefalcon. See Langius at the end of Lambecii Prodromus. Plut. 4. Cod. 24. Dem. or. funebris. 33. iterum. Plut. 9. 30. orr. nonnullæ. Pl. 50. 1. Exhortationes trium Philosophorum, vid. Æschinis, Demadis atque Demosthenis. Pl. 53. 17. orr. 4. e græco in lat. translatæ per Io. Aretinum. Pl. 56. 1. Anonymi argumenta in nonnullas Dem. orr. Pl. 57. 29. Olynth. tres. Pl. 59. 4. Dem. orr. privatæ. 8. variæ. item 9. et 10. et 19. 26. oratt. 21. et Epp. 6. 27. orr. 38. 29. orr. tres. 39. aliquot. 46. π. παραπρ. 47. Olynthiacæ. Plut. 57. 12. Æschinis Epp. 45. Eædem et Æsch. oratt. tres, vita et Apollonii Enarratio. nec non Pl. 58. 6. 59. 5. 63. 33. 70. 4. et 28. 80. 18. item 66. 31. Glossæ in Æsch. Orr.

In Bibl. Monasterii Benedictinorum B. Mariæ juxta Montefalc. Dem. Orr. codex membran. recens. Orr. et epistolæ cod. bombyc. Sæc. 16. Alius membran. recens. Æschines in ch. bombyc. Sæculi 16. Ej. epistolæ in codice recenti. In bibl. S. Marci Dominicanorum Dem. orr. contra Æschinem. Item Philippicæ. Leon. Aretinus transtulit cum præf. ad Nicol. Medicem.

Cesenæ in bibl. Fr. Minorum, quæ olim fuit Malatestarum, Dem.

Orr. MEDIOLANI. in bibl. Ambrosiana juxta Montf. Dem. Orr. cum scholiis Bonamici et aliorum. Codex alius bombycinus recens. Codex alius Sæc. 16. Harpocrationis lexicon, atque in eodem codice, qui recens est, orationes 10. oratorum. Æschinis oratt. tres ter in membr. et bombyc. Ejusdem epistolæ.

VENETIIS e catalogo Laur. Theupoli Eq. Codex 416. Fol. membran. Sæc. 10. foliorum 323. Dem. Orr. omnes quæ exstant, et epistolæ præfixis Libanii et aliorum argumentis. Cod. 417. 4to. Sæc. 15. foliorum 300. Dem. Orr. 50. Cod. 418. 4to. membr. Sæc. circiter 11. foll. 338. Dem. orr. 32. Cod. 419. 8vo. chartac. Sæc. circiter 15. foll. 351. Dem. orr. 14. Codd. 420. 8. Sæc. circ. 14. foll. 460. Dem. orr. et epistolæ cum Libanii argum. Cod. 438. 8. Sæc. circ. 14. chartac. foll. 280. Dem. or. π. παρ. et π. στεφ. cum Libanii orr. et quibusdam Luciani. Cod. 510. 8. chart. Sæc. circ. 15. foll. 203. Dem. Philipp. 1. 2. Olynthiacæ tres. alia. Ad mstum quendam Venetum conformatur celeberrima editio Brucioli. Editio Aldina in bibl. Bodleiana confertur cum codice antiquo msto manu P. Pithœi. Codex ille est Venetus hoc titulo 5. A. supra designatus. Adnotavit enim Pithœus quodam in loco ταῦτα εἰσὶ ἐν παλαιῷ τοῦ ἁγίου Μάρκου. Et orationes habemus istius viri diligentia collatas quinquaginta. NB. Double Transcript. One Harleyan. the other more faithful. viz. transcribed from the marg. of one copy of Aldus into another.

Card. Bessarionis apud Montfauc. Bibl. Bibl. Mss. et Lamy Delic. Erud. Capsa E. Demosth. orr. omnes in pergameno. Caps. F. Dem. orr. 50. et epist. in papyro. Dem. orr. 22. et epp. pergam.

In locis incertis. Codex Italicus, atque haud scio annon ex ditione Veneta, cum ed. Aldina comparatus, usi sunt Francofurtenses primi in editione sua adornanda. Æschinis codex Fulvii Ursini. v. P. Fabri Agonist. l. 30. init.

Codices manuscripti Gallici. PARISIIS. Octo Dem. exemplaria, in bibliotheca regia, quorum ope Morelius Lambinusque editionem suam concinnarunt. Eorum notitiam et ætates habes ad initium tomi tertii Dem. Ed. Cantabr. De codicibus regiis Lutetiæ vide Cl. Sallierii literas. Ibidem in eadem bibl. regia sunt Æschinis hæc. N. 3280. Æschines. et alii quatuor a Cl. Sallierio ad ed. Stephani de anno 1575. diligenter collati et a me sic designati 2775. orr. tres. (mihi Reg. 1.) 2778. orr. tres. (mihi Reg. 2.) 3273. π. παραπρ. (mihi Reg. 3.) 3279. contra Timarch. (mihi Reg. 4.)

Præter octo ista exemplaria regia, quibus usus est Lambinus, sunt etiam Cod. 2753. bombycinus, continens Dem. Æschinis etc. opera, scriptus ab Antonio Mediolanensi circa A. 1480. Montefalc. Palæogr. Gr. p. 84. Vocabatur ille aliquando Antonius Damilus, genere Cres. Codex 2771. bombycinus itidem Dem. opera Nico-

hus Blastus scripsit A. 1484. Montfauc. ibid. NB. In codice 2753. continentur Dem. Æsch. et Aristotelis Opera. Antonius ille Damilas Mediolanensis (dicitur etiam Cretensis, quia in Creta natus et educatus) Mediolani consedit, et multos codd. græcos descripsit circa A. 1480. 1490.

Codices Regii Paris. juxta Catalogum impressum. 2930. Æschinis oratt. tres cum Scholiis in ed. Sæc. 15. 2934. Dem. orr. 58. et Epp. et procemia. Sæculi. 10. 2935. Dem. vitæ 11. Oratt. 28. et procemia. Sæc. 11. 2936. Dem. opera cum Comm. Ulp. et Schol. ined. Sæc. 13. 2937. Dem. orr. undecim. Sæc. 15. 2938. Dem. vita, orr. 13. Æschinis vita A. 1480. 2939. Dem. orr. sex et Schol. Anno 1484. 2940. Dem. orr. 16. Sæc. 13. 2941. 42. Dem. orr. editæ duobus tomis. Sæc. 15. 2943. Dem. or. adv. Aristocratem. Sæc. 15. 2944. Ulpianus in or. pro Corona et Demadis apologia, Sæc. 15. 2945. Ulpian. in sex Dem. orr. 18. Sæc. 16. 2946. Scholia nondum edita in Dem. orr. 18. Sæc. 16. 2947. Æsch. orr. tres. 2961. Libanii vita Dem. et Dem. orr. 17. et Philippi epistola Sæc. 15. 2990. fragmentum orat. Dem. constans tribus paginis, Sæc. 16. 2993. Dem. orr. 13. Sæc. 16. 2994. Dem. orr. 21. et Epp. Sæc. 11. 2995. Dem. orr. eædem cum argum. et schol. Sæc. 13. 2996. Dem. et Æsch. orr. de legat. cum schol. Sæc. 13. 2997. Dem. 25. Sæc. 13. 2998. Dem. orr. 19. et Æsch. duæ Sæc. 14. 2999. Dem. orr. 12. anonym. de Æsch. vita Apollonius de Æsch. vita etc. Sæc. 15. 3000. Dem. orr. 20. Sæc. 15. 3001. Dem. orr. tres Sæc. 16. 3002. Æsch. orr. et Epp. Sæc. 15. 3003. iterum, Sæc. 15. 3004. Æ. et D. orr. pro corona Sæc. 15. 3012. D. Philippicæ cum Ulp. Comm. Sæc. 15. 3021. Æsch. Epp. Sæc. 15. 3044. Æ. Epp. Sæc. 15. 3044. iterum, S. 16. 3052. iterum et Libanii Vita Dem. Sæc. 16. 3054. Æs. Epp. S. 15. 2995. A. sive Appendix Dem. orr. quinque Sæc. 14. 1760. Æs. Epp. S. 15. 2755. iterum S. 15. 2832. iterum S. 14. 1638. Dem. Olynth. 1. et 2. S. 16. 1773. Olynth. 3. et Phil. 1. Anno 1497. 2043. D. orr. septem S. 16. 2508. Dem. vita ab editis diversa et orr. 15. Sæc. 14. 2596. D. Olynth. 1. A. 1447. 2844. Dem. orr. quatuor cum margin. emendatt. A. 1498. 2489. Dem. Epp. manu Angeli Vergetii S. 16.

In bibl. Colbertina hodie Regia, 3510. Æ. adv. Ctes. 3754. Æ. quædam. 4923. Æ. epistolæ. 4927. iterum. 4958. iterum.

In bibl. Baluzii V. C. hodie regia, Anonymi oratio contra Æschinem, cujus titulus *οὐκ ἀντεῖπε τῷ Φιλίππῳ.*

In bibl. Coisliniana Codex 249. membr. Sæc. 10. complectitur tres Æsch. orr. cum scholiis græcis et Epp. 12. cujus variantes in orr. tribus nactus sum. v. Montfauc. Bibl. Coisl. Video quæri, utrum

sint scholia tantum ad orat. primam, quæ est contra Timarchum; an ad duas priores.

In bibl. Cardinalis Radulphi Æsch. orr. tres cum proleg. et epp. iterum ej. orr. tres. iterum ej. epistolæ.

Codices Msti ANGLICANI. OXONII *Baroc.* 1. Codex Baroc. n. 73. habet orr. 13. v. Conspect. *Baroc.* 2. ibid. n. 45. Olynth. 1. et sic cum schol. Ulpiani Barocc. ibid. n. 139. oratio funebris μειοῦρος. *Baroc.* 3. n. 69. (q. 96.) Ecloga vocum quarundam rhetoricarum e Philippicis Dem. Cod. Baroc. n. 159. expositio vocum rhetoric. in Philipp. *Laud.* Codex Laudianus n. 26. complectitur Dem. orr. 12. has: Olynth. tres, Phil. 1. de pace, Phil. 2. de Halonneso, Cherronneso, Phil. 3. et 4. Advers. epistolam Philippi. Epla Ph. π. συντ. π. συμμορ. de Rhod. libert. pro Megalop. de fœdere Alexandri. desinit in p. 165. ed. Frankf. *Ven.* Aldinum exemplar in bibl. Bodlei. collatum cum codice Veneto. *Bodl.* Observatiunculæ ad oram Exemplaris Herwagiani prioris in eadem bibliotheca. *Notæ item et observatiunculæ ad oram edit. Manutianæ 1554. in eadem bibliotheca. *Bern.* Variæ lectiones quibus adjunguntur Iosephi Scaligeri conjecturæ una cum scholiis græcis in tres orationes Æschinis ad oram exemplaris Aldini Rhetorum Græcorum in eadem bibl. L. 14. Art. E penu D. Bernardi. v. Dodwell. de Cyclis. Brooke in Ed. Æschinis advers. π. παραπρ. præfat. Æschinis vita cum argumentis orr. et vita per Apollonium in cod. Savill. Barocc. n. 72. Libanii vita Demosth.

CANTABRIGIÆ Annotatiunculæ Claudii Groularti ad oram exempl. Aldini in bibl. Regia *Cant.* Iacobi Duporti seu Thomæ Stanleyi notæ ineditæ ad Dem. orr. Annotatiunculæ ad Æschinem ex ora exemplaris Aldini Rhetorum græcorum in eadem bibliotheca quod olim fuerat Ioannis Mori, Episcopi Eliensis. Ibidem in bibliotheca collegii Caio-Gonvill. Libanii Vita Dem. msta aut collatio cum impressis, cujus apographum etiam habet bibliotheca regia inter codices Abrahami Selleri.

LONDINI et alibi cod. *Harlei.* v. Conspect. T. III. codex *Harvei.* ibid. *Mead.* complectitur orr. tres Æschinis cum Schol. græcis et Epp. 12. *Lock.* tenet Olynth. 1. et 2. Æsch. in Timarch. *Rawlinson.* Dem. funebrem. In bibliotheca Ecclesiæ Cathedr. Claudio Cestriensis Rhetores græci H. Stephani cum notis mstis H. Dodwelli. Codex *Askew.* orat. pro corona. videtur esse ex bibliotheca Vindobonensi. vide Letter Murray from Hamburg. infra codex 70. Vindobon. Codex mstus biblioth. *Guelfert.* (Wolfenbuttle) ele-

* Taylor nonnulla ziphris annotaverat, ut sæpissime fecit, cum sibi in memoriæ adminiculum chartis mandare vellet ea, quæ alios scire nollet.

ganter scriptus pergameno, annorum circiter 500.* Dem. Aldinus with MSS. notes per D. Gally ex biblioth. Altempsiana. Demosth. Ald. with MSS. notes apud D. Askew. Rhetores græci collati apud Askew.

Codices msti *Germanici*. VINDOBONÆ in bibliotheca Cæsarea juxta Lambecium et Nesselium. Cod. philosoph. XLIV. 4. 135—137. Olynthiaca secunda cum Libanii Argumento gr. chartac. 4. Codd. philos. et philolog. quæ est Nesselio pars quarta, codex XX. Ulpiani commentarii græci in XVIII. orr. Dem. chart. 4. Ita Nesselius. Dubitatur tamen utrum sint Ulpiani. Textus Demosthenis non apparet. Ejus tamen allatis verbis subnectuntur annotationes quædam his orationibus olynthiacis tribus, philippicis quatuor, contra Androtionem, contra Midiam, pro Corona, c. Aristocr., de falsa leg., c. Leptinem, de Rep. ordin., de classibus, de Megalopol., de Rhod. libert. Codex 48. Dem. orr. gr. cum notis interlinearibus et marginalibus chartaceus, antiquus, Folio. Nessel. Attamen in ipso codice ea non continentur, neque hujusmodi codex prout descripsit Nesselius, hodie reperiri potest. Codex 59. 2. Apollonius c. Æschinem et reliquos. (sic.) 3. Æschinis, discipuli Socratis, epistolæ, græcus, chartaceus, antiquus et optimæ notæ. Codex 70. orr. variæ gr. chartac. folio. Nobis ita designatur *Vindob.* v. Conspect. editt. et mss. initio T. III. Olynthiacæ tres, Philipp. 1. et 3. de pace, de Cherrhoneso, de Haloneso, ad Philippi Epistolam, Philippi Epistola, de Rep. ordin. 1. de classibus, de Rhod. libertate, in Midiam, pro Corona, in Aristocrat. in Timocrat. in Leptin. pro Megalopol. de fœdere cum Alex. oratio adversus Midiam ita scripta est, ut integra textus verba præcedant in qua enarratione pagg. 88. 89. integram paginam Ulpianarum enarrationum continet codex, quæ desunt in editis inter verba *ἀνακαλέσασθαι δύναται* et *οὐδ' ὕβριζε τῇ διανοίᾳ*.—Ita f. leg. Verba præcedunt (sc. Enarrationi. In qua Enarratione p. 88. 89. integram paginam enarrationum continet codex, quæ desunt etc. Pag. 89. Anonymi, quod vulgo legitur argumentum in orat. de corona (cujus varias lectiones excerpi curavit Prof. Mascovius, Lipsiensis, qui Editionem in octavo hujus orationis adornavit) cum Ulpiani enarrat. Cætera, quæ desiderantur in Incusis, etiam a Msto absunt, ita ut postea continuus textus sequatur. Anonymi argum. in orat. adv. Aristocrat. quod quidem ab impressis abest, tum textus et Ulpiani enarratio. Oratio adv. Timocratem similiter explicata. Anonymi argumentum diffusius in Dem. de falsa legat. cum Ulpiani enarr. sine texto. Libanii arg. in or. c. Leptin. et anonymi alterum et textus cum Ulp. enarrat. Orationes de ord. rep. de clas-

* In hac regione sunt quædam ex Adversariis Taylori forfice excisa. Wolfenbuttelæ ignorant ipsumque codicem, et quomodo in potestatem Taylori pervenerit.

sibus, et pro Megalop. similiter cum Ulp. item pro Rhodiis et de fœdere c. Alex. Codex 82. 3. Æschinis Epp. gr. chart. Codex 101. orationes variæ gr. chart. fol. oblongo, nec adeo antiquus, nec eleganti scriptus est charactere, mediocriter tamen emendate. Continet Dem. orr. 18. tantum cum Libanii argumentis singulis orr. præmissis, et codicis initio ipsius Dem. per eundem vita, qualia in editis legimus. Codex 105. orr. quædam cum notis margin. Gr. Chart. fol. Busbeck. Pars prior vix legi potest ob defectum atramenti et chartæ. Pag. prima adnotatæ sunt orr. ad 29. et exordia orationum ad 63. tam sequitur Dem. vita per anonymum Orationibus præter argumenta Libanii singulis præposita, ad oram adscripta sunt scholia, excerpta uti videntur ex Ulpiani Comm. sed hæc in plerisque desiderantur. Codex 137. or. de corona gr. chart. 4. in fine adjectum est argumentum recens scriptum. Codex 181. Olynthiacæ gr. chart. 4. Busbeck. Aliter tamen ac Nesselius. Continet Philippicæ primæ partem alteram tantum de pecuniaria ratione, Philippicam tertiam, non integram, cum Libanii arg. De Cherrhoneso (cum Liban. arg.) non integram or. de pace, imperita manu. Philipp. secundam male descriptam. Codex ille nec antiquitatem, nec optimam præ se fert notam ob recentem et inconcinnam scriptionem, et omnia puerorum exercitationes videntur. Codex 188. 4. 135-137. Olynthiaca secunda cum Lib. arg. Gr. chart. 4. Olynth. 2. tantum inchoata et initium primæ cum Liban. arg. parvi momenti. Codex 196. Æschinis, Demadis (sic) et Demosthenis ad populum Athen. Porro autem in eadem bibliotheca editio Aldina 1508 cum castig. mstis Iacobi Tusani.

Codex *Augustanus*, optimæ fidei collatus ad Herwag. secundam (v. Nos ad or. in Leptin. p. 34. Dem. nostri) a Simone Fabricio. v. Consp. ad init. T. III. Codex Obsopœi, sive codex Pannonicus, exemplar admirandæ vetustatis. v. Conspect. Codex Lindenbrog. cujus varietates descripsit Lindenbrogius ad oram Herwagianæ in bibliotheca Hamburgensi. Similiter addita margini ejusdem editionis in bibliotheca Kennet Mackenzie Scoto-Britanni. v. Conspect.

Codices MSS. *Batavi* vel *Belgici* aliique. Dem. Æsch. MSt. fide Swertii Ath. Belg. In Bibl. Perizon. codex mst. in quo continebantur Dem. orr. plurimæ, Lysiæ unica. Dem. MSt. Eliæ Obrechti v. Jebb ad Aristidem T. 2. p. 472. Æschinis epistolæ cod. Pantini Decani Bruxellensis. v. Fabric. B. G. T. XII. p. 313. Demosth. orr. quamplurimæ ejusdem Pantini, ibid. Codices *Vossiani*. Dem. Olynth. tres Philipp. I. de pace n. 47. Æsch. Epp. 90. Comparatio Dem. et Æsch. 121. Æsch. Epp. Salmasii notæ anecdotæ in Rhetoras gr. MSt. bibl. Lugd. Bat. in eadem editio Aldina manu eruditi viri passim notata.

CAPUT SECUNDUM

Adversariorum Taylori. Editiones impressæ Demosthenis, Æschinis, etc.

A. 1470. Olynthiaca prima latine Bessarionis cum notis. Paris. v. Maittaire Ann. Typogr. T. I. p. 87. et Chevailler ad origg. typogr. p. 57. A. 1481. Dem. orr. Venet. Ita Beughem Incun. typogr. Sed errasse videtur. A. 1485. Æschinis orr. per Leon. Aretin. Venet. Idem Beughem, sed falso, aut certe minus accurate. Res ita se habere videtur. Æschinis et Dem. orr. [adversariæ credo, de corona] per Leon. Aretinum [in linguam Lat. versæ] Venet. 1485. 8. Bibl. Norib. Snab. p. 83. 154. 155. Catal. Bibl. Harl. et Maittaire T. I. p. 469. A. 1488. Æschinis oratio contra Ctesiph. de Dem. coronatione latine per Leon. Aretinum Ven. Fol. ad calcem opusculorum quorundam Ciceronis. A. 1497. Dem. oratio in Æschinem interprete Aretino. Ita Beughem ibid. Rectius fortasse hoc modo Æsch. et Dem. orr. contrariæ [de corona autumo] latine Leon. Aretino interprete per Anton. Koburger 28 Martii. Fol. Anno 1499. Dem. et Æschinis Epistolæ græce Ven. Ald. 4. Beughem. Catal. Bibl. Fabr. 1503. Ulpiani Scholia in 18. Dem. orr. græce Ven. Ald. Fol. 1504. Demosth. orr. etc. græce Ven. Ald. Fol. inter Rhetoras græcos. 1518. Æschines græce Ald. octav. Ita Catalogus exquisitior H. Harris Leicestriensis. verum falso. *Æschylus* enim, non *Æschines*. 1521. Olynthiacæ tres græce Lovanii mense Februario penes me. Æschinis et Dem. epistolæ græce Paris 4to sine anno notato. 1522. Æsch. et Dem. orr. de corona gr. ex academia Anselmiana Hagen. 4. quære num quatuor adversariæ. 1523. Olynthiacæ per Par. Garmond. q. Catal. Lond. 1523. contra Aristocratem gr. ib. q. iterum. 1524. Olynthiaca prima latine Camerarii Hagen. 8. 1524. Olynthiacæ græce Compluti apud Michaelem de Guid. 4. v. Catal. Bibl. Mattaire P. I. p. 79. 1525. or. in Midiam et Olynthiaca secunda Lovan. 4. q. in bibliotheca Fabriciana. 1526. adv. Leptinem gr. apud Theodoricum Martinum Lovan. 4. eodem anno contra Aristogitonem græce Witteberg. 8. Mattaire A. T. p. 673. ex edit. et cum præfatione Melanthonis. Eodem de Rhod. libert. latine interprete Hagendorphio Hagenoæ 8. Maittaire A. II. 676. 1527. Ulpian. etc. [v. 1503.] in ædibus Aldi et Asulani Fol. 1528. Ph. Melanthonis præf. in Æ. et Dem. orr. ex offic. Rob. Stephani. *Eod.* Dem. et Æ. orr. de Corona L. Aretin. Basil. Cratandr. 1530. Philippicæ [comparent solummodo Phil. I. et oratio de pace] græce Paris. apud Colleg. Sorbonæ. 8. 1531. Philippica I. de pace, Ph. secunda, de Haloneso, de R. Cherrh. Ph. 3. et 4. ad Ph. Epistolam, epi-

stola Phil. græce apud Gu. Morrium Lutet. Sorbon. 4. *eod.* Æsch. et Dem. de corona ibid. 4. [q. quatuor adversariæ.] 1532. de Syntaxi, de classibus, de Rhod. lib. de Megal. de fœdere c. A. gr. Paris. Christ. Wechel. *eod.* Dem. orr. cum Sch. Ulpiani gr. Basil. Herwag. Fol. 1536. Dem. epistolæ gr. Lovan. ex offic. Rutgeri Rescii. 8. penes me. *eod.* Æschinis Epp. etc. Lovan. penes me. 8. 1537. Æsch. et Dem. epp. lat. Petro Nannio Alcmariano interprete Lovan. etc. penes me. 1538. Olynth. tres lat. Clobardi Antwerp. *eod.* C. Aristogitonem gr. Paris. Tilet. 4. *eod.* Olynth. tres et Phil. duæ priores græc. ap. Nicol. Bryling. Basil. 8. 1539. C. Dionysodor. gr. Paris. Tilet. 4. *eod.* C. Conon. ibid. 1540. Dem. et Æ. orr. de corona Lat. Aretini. 1541. Olynth. tres, Phil. prima et de corona gr. Romæ 8. in bibl. Iacobi Harris Sarisberiensis. *eod.* Olynth. tres Gallice per Louys de Roy Paris. Vascosan. in bibl. Reg. Cantabrig. 1542. de ord. Rep. de Rhod. lib. pro Megalop. gr. Paris. Tilet. 4. *eod.* de classibus gr. Paris. Tilet. 8. 1543. Dem. orr. gr. Venet. Feliciani. *eod.* Libanii præparatio ad Dem. orr. gr. lat. Renati Gaillonis Paris. Wechel. 4. 1545. Dem. et Æ. de corona gr. Argentor. 1545. Dem. Epp. gr. Paris. Tilet. 4. *eod.* Dem. et Æ. orr. cum argum., oratorum vitis, et Æ. epp. Lat. Venet. apud Hier. Scotum 8. (Paris.) 1546. Ph. quarta gr. Paris. apud Iac. Bogardum 4. Price Rawlinson. Eandem fuisse arbitror in bibl. Harleyana ubi sic notatur: Dem. oratio ad Philippum gr. Paris. 4. *eod.* de Rhod. libertate gr. Lovan. apud Servat. Sassenum 4. *eod.* de Megalop. et de fœdere ad Alex. gr. Lovan. ap. Servat. Sassenum. 4. *eod.* Dem. et Æ. Epp. gr. Paris. Wechel. 4. (Rawlinson.) 1547. Dem. orr. græce Basil. Herwag. 8. Editio penes me etc. in Bibl. Colleg. Gonvill. Caii Cantabrig. item in bibl. Barberiniana Romæ cum notis MSS. porro in bibliotheca Hamburgensi collata cum cod. msto Lindenburg. itidemque apud Kennet Mackenzie Juris Cæsarei apud Edimburg. Professorem collata cum eodem codice. *eod.* Olynth. tres, Phil. quatuor, c. Aristogitonem duæ gr. lat. Francfurt apud Petr. Brubach. 8. Catal. Maittaire P. II. p. 85. Eædem orr. penes me, sed græce tantum deficiente pagina principe. 1548. C. Leptin. Gr. Paris. Xtian. Wechel. 4. *eod.* C. Aphobum duæ Paris. Wechel. 4. Catal. Maittaire T. 1. p. 86. 1548. de pace Lat. Leoniceri Bas. 8. 1549. Dem. orr. gr. lat. Basil. Oporin. Fol. Vehementer ambigo de fide istius ed. græcolatina. Wolfii et aliorum versio Dem. circa hoc tempus, ex eadem officina et in eadem forma, et ad eam ipsam video adludier. *eod.* Phil. quatuor Lat. Manutii Venet. 4. *eod.* Dem. Æ. orr. adversariæ gr. Venet. apud Franc. Turrisanum. 8. *eod.* orr. aliquot inusum adolescentium. Basil. 8. in bibl. Vindobon. *eod.* 1549. Les quattre Philippiques traduites du grec en Francois per Jean l'Alemant Paris. 8. Vide omnino

Lalemantis epistolam de hac versione præfixam ejus versioni orr. c. Aphobum Basil. Opor. Fol. 1550. Dem. or. falsa leg. gr. Argent. Rihelii 8. 1553. Æsch. c. Ctesiph. gr. Paris. 4. [Hactenus, neque ultra perduxerat Taylor recensum harum editionum.]

CAPUT TERTIUM

Antiqui Critici Demosthenis.

Editio antiqua ἡ ἀρχαία Schol. ad Mid. n. 268. ed. Lutet. Editio popularis, ἡ δημώδης, vulgata. Schol. ib. n. 246. Two Copies of Dem. [hinc ziphræ aliquot] Vide Nos sæpiuscule ad Edit. Paris. Lambini in ultimo tomo. C. Aphobum l. n. 15. εἰς ὀγδοήκοντα μνῶν ἀξίαν. One εἰς π. μνᾶς. Another π. μνῶν. περὶ παραπρεσβ. n. 398, ἀρχαία et δημώδης, item n. 413. Contra Aphobum l. n. 14. 15. collat. cum c. Aphob. ψευδομαρτ. n. 11. et c. Onetor. l. n. 11. editio, qua utimur e binis est conflata. Schol. Olynth. sec. n. 24. Schol. de Coron. n. 19, 20. p. 139. et 145. n. 108. et 109. locus spectabilis adv. Callipp. n. 9. 1. Philipp. Var. Lect. n. 11. 12. 13. And so we came by two sets of Scholia. v. Nos ad Mid. n. 268. ed. Paris. Omnino Hermog. p. 353. ed. Crispini, Schol. π. παραπρ. n. 524. Crit. N. Ulp. n. 144. 247. Sch. π. παρ. ἓν τινι βίβλῳ in an old book. σχολ. ib. n. 265. ἐν τοῖς ἀρχαιοτέροις βιβλίοις. σχολ. 524. τοῦτο, οὗτος ὁ λόγος ὠβέλισται, κατέγνωσται σχολ. ad Mid. n. 246. 173. et sæpe. Ita Hermogen. de orat. c. Neæram Ulpian. ad Midian. 66. l. 13. edit. Cantabrig. Wolfii præf. ad Ulpiani Conversionem, Eunapius in vitis Sophistarum. Præf. Lysiæ Accurata ὑπομνηματιστῶν, quos legit Ulpianus, diligentia, Rabbinorum ad instar, qui figuram, quam vocant τὸ παραγραφικὸν numerarunt, et in or. de corona 72. vicibus usurpatam repererunt. σχολ. ibid. n. 22. οἱ πρὸ ἡμῶν ἐξηγησάμενοι σχ. ad init. Phil. quartæ innui potissimum videntur Alexander Diocorus, Zeno et Genethlius n. 268. π. παραπρ. οἱ προθεωρίας καὶ διαιρέσεις συγγράψαντες idem ad or. de Cor. τινὲς τῶν πρὸ ἡμῶν σχ. ad π. παρ. n. 401. οἱ πρὸ ἡμῶν διελόντες *ibid.* οἱ ἐξηγηταὶ ibid. Antiqua Commentaria. σχ. ad init. or. de fœd. Alex. οἱ πρεσβύτεροι commentatores in argumento ad Halones.*

Callimachus. Præf. Lysiæ or. c. Charidemum pro Satyro tutelæ. Dinarcho tribuit Photius Cod. 265. or. contra Theocrinem Dinarcho eidem. Dionys. Halic. in Dinarcho. κινακογράφος. v. Dionys. Halic. ad Ammæum. Præf. Lys.

Dionysius Halicarnassensis. Scripsit ad Ammæum de Demosthenis oratt. περὶ Δημοσθ. δεινότητος. Ejus alius quoque tractatus de Dem.

* Crudæ hæc et impolitæ, ut inveni, ita protuli. Condat inde aliquando qui volet et otio abundabit, scitum quid et elaboratum.

v. extremum π. Δ. δειν. Alius item ad init. Ep. ad Ammaeum. Schol. Ulp. p. 35.

Cæcilius. Præf. Lysiæ et notæ mstæ ibid. Fabr. B. G. T. XIV. p. 35. Cæcilii comparatio Demosthenis et Ciceronis, Plutarch. in Dem. Comparatio Dem. et Æsch. Liber de Dem. oratt. genuinis.

Sallustius. Suid. Plutarchus in Pyrrho. Cicero 1. Tuscul. Photius bibl. p. 570. Fabr. B. G. T. I. p. 870. 871. Suidas e Damascio tradit Sallustium quendam orationes Dem. universas δημοσίους memoriæ mandasse.

cienti orationem meditatam, dixit: erubescerem, si tanto populo consulens extemporali oratione uterer. Plut. X. orat. v. Historiam Midiance Plut. polit. præc. p. 390. ad illam causarum operam, ad quam ego nunquam nisi paratus et meditatus accedo, adjungatur hæc juris interpretatio, quæ non tam mihi molesta sit propter laborem, quam quod dicendi cogitationem auferat, sine qua ad nullam majorem unquam causam ausus sum accedere. Cic. I. de Legg. Hermog. π. μεθ. δειν.

Ciceronis sales et dicteria. In his vincit romanus, gravitate græcus. Quintil. VI. 3. X. 1. Cicero dicax etiam dicebatur. Macrob. Sat. II. 3. VII. 3. Seneca Controv. 8. E quibus (Atticis) tamen non omnes faceti, Lysias satis et Hyperides, Demades præter cæteros fertur, Demosthenes minus habetur. Quo quidem mihi nihil videtur urbanius. Sed non tam dicax fuit, quam facetus. Est autem illud acrioris ingenii, hoc majoris artis. Cic. Orat. Dicacitas proprie significat sermonem cum risu aliquos incessentem. Ideo Demosthenem urbanum fuisse dicunt, dicacem negant. Quintil. VII. 3. Bons Mots. ὄνου σκιά. prov. usus Sophocles in Cedalione, Aristophan. in Dædalo, Lucian. in sectis, Demosth. in Philipp. Menander in Enchirid. Plato in Phædro, Procop. in quadam epistola, Orig. præf. ad librum 3. adv. Celsum. Aristoteles apud Suid. in διδασκαλίαις ait hoc nomine fabulam exstare. Plut. X. orat. Zenob. Apostolius XX. 4. Suid. ὄνου σκιά. ὑπὲρ ὄνου σκιᾶς. σχ. Aristoph. Vesp. 191. Apulei. Metamorph. l. 9. extremo. Demosthenes Scytha matre barbara natus, quid dixit. Rutil. Lup. T. Tit. Mater. Timothei dictum Bons Mots. *Cum Demade.* Me Demosthenes. sus Minervam. Hæc Minerva nuper in Collyto in adulterio deprehensa est. Plut. Vit. et præc. pol. p. 390. Collyto. Juven. *Cum Phocione.* v. Corn. Nep. Phoc. Phocio short and pithy. Dictum Polyeucti (Polyeuctus ille cum Lycurgo et Demosthene legatus ad Peloponnesios) μέγιστον Δημοσθένην, δυνατώτατον δ' εἰπεῖν Φωκίωνα. Plut. in Phoc. et polit. præc. NB. quære num δειν. an δυναν. quotiescunque assurgeret Phocio dicturus, dixit Demosthenes ἡ τῶν ἐμῶν λόγων κοπὶς ἀνίσταται. Plut. in polit. præc. in vita Dem. in v. Phoc. Stobæus serm. 37. p. 221. Demostheni dicenti ad Phocionem, occident te Athenienses, si quando cœperint insanire, respondit Phocio, te vero, ubi ad sanam mentem redierint. Plut. in Phoc. p. 184. et Apophthegm. p. 113. Annon hoc potius Demadis, quam Demosthenis? v. Plut. Moral. Mulier parata est depositum reddere etc. Valer. Max. VII. 3.

Hic desinebat Taylori diligentia compilandi. Nam loci e Stobæi et Maximi atque Antonii florilegiis transscripti, qui Adversaria Taylorana demosthenica claudunt, huc nil faciunt. Fessus equidem sum describendo, et nunquam hæc edidissem, quæ jam dudum

a Schotto et aliis occupata et in vulgus nota sunt, nisi voculas metuissem malevolorum, qui de fide mea fuissent dubitaturi, si quid a Tayloro profectum celassem, atque clamaturi, me Tayloranorum optima quæque suppressisse, aut mihi arrogasse. Ego profecto, ita medius fidius, si prævidissem in schedis Taylori me non inventurum esse meliora iis, quæ inveni, nunquam operam dedissem, ut eas adipiscerer; et sic locum omnem calumniæ atque suspicioni exclusissem. Sed fideliter verbo tenus reddidi, quæ inveni, in quo erunt, qui superstitionis me atque vecordiæ notent. Quid agerem, ubi cavere non possem, quominus in alterum scopulum humanæ iniquitatis impingerem; malui excessu religionis peccare, quam committere, ut Manium Taylori contemtor atque violator viderer.

ANTONIO ASKEW,

MEDICO ET CRITICO FELICI,

S. P. D.

IO. IAC. REISKE.

Demosthenem tibi meum, Askewi, Vir Clarissime, cur inscribam, caussæ mihi sunt, id quod te non fugit, publicæque, privatæque. Quæ nos intercedit satis vetusta necessitudo, Leidæ Anno 1745 inchoata, cum aliquamdiu, per locorum, quibus disjungimur, intervalla, negotiorumque dissimilitudinem, interquievisset, nuper eam benigna tua et imprimis liberalis promissio de schedis Taylori, Demostheni consecratis, quæ in potestate tua sunt, ad me mittendis, renovavit. Quæ promissio spem de te meam, ut non superavit modo, sed etiam antevertit, ita nihil poterat ea mihi neque jucundius, neque honorificentius accidere, cum ea sit Taylori schedarum auctoritas atque præstantia, ut si eas nihil aliud quam edidero, tametsi nulla de meo domestico penu auctas accessione, vel solæ tamen sint meam Demosthenicarum reliquiarum editionem, non ornaturæ modo, neque commendaturæ, sed plane etiam necessariam reddituræ. Et te, Askewi, tantum virum, quantus in rep. litteraria meritis tuis cognitus es, tanti me facere, ut provinciam, quam ipse tute in te suscepisse nuper a fama ferebaris, in me transferres, mihique schedas reciperes crediturum, tanti faciendas, ecquæ præjudicii gravitas! quam splendida, si vanus sim, jactantiæ materia! Quam de tuo erga me animo dubitationem silentii tui diuturnitas injecerat, eam istæc tuæ voluntatis veluti subito prorumpens quædam aura disjecit. Vere tu adhuc es vetus ille, qui Leidæ eras, certus et calidus amicus. O si fatalis nescio qui casus, o si fati mei maligni-

tas ne intercessisset, Italiam tecum peragrassem, Græciam, Asiam, Franciam, Britanniam; tot nobiles spectassem populos, musea, bibliothecas; viros adissem litterarum laude florentes; calamo exaratos tractassem optimorum auctorum, antiquitatis principum, codices, vetustate fideque venerabiles; monumenta vetusti ævi clarissima coram intuens veneratus essem; rivos, montes, oppida, tractus, poetarum atque historicorum seu natalibus, seu sedibus, seu testimoniis nobilitatos, salutassem; artificum in quocunque seu ingenii, seu manus exquisito opere summorum officinas lustrassem, calcassem vestigia. Particeps nunc essem gazarum, quas tu illinc, et magnas, et singulares, in Britanniam tuam tecum retulisti. Sed secus visum fuit superis, quibus gratias etiam habeo, a rebus adversis quam plurimis doctus, in mediocritate sortis meæ conquiescere. Ecquis enim auctor mihi sponsorque sit, futurum fuisse, ut itinerum tot molestias toleraret, tot evaderet discrimina, corpusculum hoc, quod natura mihi tribuit, ita valetudinarium? Comitatus te si essem, mi Askewi, ut condictum inter nos erat, nescio an Xanthi nunc arenæ, Simoentisve, ossa mea tegerent, neque liceret, id quod nunc licet, Demosthenis, aut si qui sunt alii e vetusta Græcia mihi familiares, eorum ossa legere, pro virili mea lavare, ungere, sertis redimire. Deo enimvero gratias habeamus, Askewi, qui te quidem salvum ac sospitem, spoliisque Orientis insignem, patriæ, amicis, litteris reddidit, quas tu multis egregiisque modis ornas; me autem in provinciam misit, non amplam quidem illam, neque quæstuosam, neque admodum delectabilem, eam tamen, in qua bonas, quas a puero amavi, litterulas, per otium, non plane nullo ad publicum fructu, exercere possim, in consuetudine conjugis, quæ mihi divinitus obtigit, fida et sollers studiorum meorum socia. Hæc hactenus. Ad te redeo, mi Askewi. te si aiam hujus mihi operis auctorem fuisse, haud vereor, ne a vero multum discessero. Diu enim inter spem boni successus, metumque adversæ fortunæ desperationemque cum dubius pependissem, eo inprimis accensus ad audendum permotusque sum, quod tu mihi de schedis Taylori ad me mittendis fidem tuam obligares. Quo factum est, ut spretis impedimentis, discriminibus et terriculamentis, quæ me plurimaque maximaque circumstabant, operi manum admoverem extrudendo. Quicquid ad Demosthenem decoris ab hac editione mea olim judicabitur accesisse, quod quantum sit futurum res diesque docebit, ejus partem haud contemnendam auctoritati tuæ, mi Askewi, grata posteritas imputabit. De singulari tua græcarum litterarum peritia ecquid ego multa hoc loco prædicem, de qua inter omnes constat? Jam Leidæ, cui deus bene velit, almæ studiorum meorum juvenilium nutrici, Leidæ, inquam, vidi penes te spissum volumen a te conscriptum, tum adhuc juvene, animadversionum ad græcos auctores,

sed tragicos inprimis, quod, qua eos assiduitate, qua ingenii felicitate, qua judicii severitate tractares, testaretur. Erit olim posteris, cum in lucem illæ prodibunt, de quo sibi congratulentur. Interim salutem civium tuorum tuæ artis felicitate tueris. Etiam hoc Britanniam tuam ornas, quod bibliothecam, a te magno sumtu, neque minore contentione, et felicitate adeo, collectam, usibus virorum doctorum patefecisti, tam locupletem, tam instructam codicibus græcis latinisque calamo exaratis, et editionibus auctorum veterum, typographiæ nascenti æqualibus, aliisque, paullo quidem illis junioribus, hactenus tamen magni faciendis, quod margines earum seu varietates lectionum e bonis vetustis libris exscriptas, seu doctorum virorum scitas observationes præferant; ut certus sim hodie superesse privatum neminem, cui sint hujusmodi copiæ cum tuarum seu numero, seu excellentia atque raritate comparandæ. Quas tu copias non sepelis, non domi premis invidus, sed roganti cuique, qui bene honesteque iis usurus esse videatur, impertis. Legetur in annalibus litterarum et tolletur nomen tuum, piisque pro salute tua, donec supereris, cumulabitur votis, et in famæ perpetuitate vivet, quoties e gazis tuis præclarum quid proferetur, ut nuper fecit sempiternæ vir memoriæ, amicus noster, in Herodoto suo, Petrus Wesselingius. Laudiorum quam celebre, quam perenne sit nomen, Pembrokiorum, Bodleyorum, Seldenorum, Cottoniorum, Bernardorum, quos imitaris, ecquem fugit? Verus hic est et pæne solus ejusmodi opum usus et fructus, cum monumenta sunt de virtute dominorum, de sapientia, et industria, et officiositate, et caritate patriæ, et cura constantis gloriæ et providentia posteritatis, testantia magis, quam de fortunis; cum horrea sunt et armaria bonæ mentis, cum fontes publici, non materia otiosæ et inertis jactantiæ, non stela infamis, inscitiam dominis, et vanitatem, et invidentiam, et illiberalitatem et ἀμουσίαν exprobrans; non paratum vermibus atque muribus pabulum, non præda vetustatis, ultro eas, etiamsi aliæ clades atque injuriæ absint, tamen lento tacitoque dente depasturæ. Male profecto vera suæ gloriæ momenta tenent, male existimationi suæ consulunt, si qui petentibus chartaceos suos thesauros occludunt, brevi post ab ipsa vetustate dilapsuros; quæ vetustas, nisi continuis doctorum virorum manibus detergatur, assiduisque multorum rimantium et exscribentium studiis identidem regeneretur quasi, ministerioque typorum ad remotissima secula, nitida semper et recenti florens juventa, propagetur, cum ipsa semet absumit, atque in cineres dilabitur, tum gloriam pristinorum conditorum atque possessorum secum trahit. Musarum pæne ausim Alastoras ejusmodi appellare pestilentes homines, litterarum lucem exstinguentes. Cujusmodi in pestes ut iterum atque iterum impegi, ita rursus de edendo Demosthene deliberantem mea me secunda fortuna proceribus Augustanæ reip. Oeffe-

lio, Bruckero, Lessingio, Bartholomæo, VV. CC. conciliavit, qui sua cujusque bona ita benigne, pæne dixerim, mihi ingesserunt, ut esset in iis recti et elegantis vir judicii, Oeffelius, qui rogandum me potius censeret, suis ut vellem bonis uti, quam se, ut eorum copiam faceret; majusque se dantem, quam me accipientem, beneficium auferre affirmaret. Quæ quamquam tardioribus, aut quæstui deditis, habebitur humanitatis quædam intemperantia, perspicaciores tamen et liberaliores consentientem eam veritati invenient orationem. Hujus viri, cujus in laudes gestit animus excurrere, ita me mores ejus politi, ita candor animi, ita litteræ mirificæ, ita latinitas exquisita, qua suas ad me litteras condit, cepere; sed locus non patitur; hujus igitur subtilitatem atque elegantiam judicii sibi proponat imitandam, si quis intelligat, in quo sua, in quo publica litterarum res agatur. Nos profecto, quotquot sumus vulgo derisui, homines navi, honorum, et mollitiei, et luxus, et splendoris, et divitiarum contemtores, ætatem macris in litterulis agentes, iisque otium, fortunas, bonam valetudinem, spiritum ipsum insumentes, ultro etiam eramus invitandi, atque, suis ut bonis uteremur, rogandi ab his, si qui iis, aut a fortuna oblatis, aut labore partis, sive per negotia, sive quacumque alia de causa, ipsi uti nequeant. Nescio enim an possessori bonorum singularium et inventu rarorum majus etiam decus publicatio eorum afferat, quam obscura et infructuosa, quasi in carcere quodam mancipatio, minuti testis animi, aut cupiditatis bona sua prostituentis. Quid enim aliud bibliothecarii, membranas suas venales habentes, quam lenones, puellas suas plus licenti vendentes, et quæstum ex iis facientes? Beatos itaque illos, qui a te, Askewi, a gazisque tuis propius absunt, quibus in iis, in tuaque humanitate et communicandi facilitate paratum est præsidium! Beatos posteros, quibus hic fons a te apertus manabit! Beatum me quoque, cui tu hoc tribueris, ut ministerio meo Taylori schedas, viri de Demosthene cæterisque oratoribus atticis egregie meriti, orbi litterato velles impertire. Summi a me Taylorum, sic meritum, fieri, cum hic testor bona fide, tum in præfatione, et alibi sæpe testatus sum. In locos autem ejusdem præfationis cum incides, mi Askewi, eos, ubi de Taylori atque Marklandi, civium tuorum, de Demosthene meritis, libere, pro sensu meo, judicandum mihi esse duxi, tam bene de tua, populique tui universi, æquitate spero, ut confidam, ejusmodi locos offensioni vobis non esse futuros, reputantibus hoc primum, humanis in rebus omnibus nihil esse perfectum numerisque omnibus absolutum; deinde, privatum hoc esse meum de vestris civibus judicium, quod nemini pro lege irrogatum velim; et a quo prævideo fore ut bene multi in diversa discedant; tum, paris hujus virorum clarissimorum causam ad populum illum, quem litteris suis illuminarunt, universum nil pertinere, cujus digni-

tati ab illorum pancis quibusdam facileque ferendis lapsibus nil quicquam decedit; nævos denique si quos in corpore cæteroquin formoso notemus, totum ideo a nobis nullo modo contemni. Egomet ipse quam numero multi sint magnique operæ a me ad ornandum Demosthenem collatæ nevi, ut probe teneo, et nescio an magis etiam, quam illi, ei qui erunt, ejus reprehensores, ita nil me puduit ipsum ore meo profiteri. Neque enim fieri potest ut mihi desint Toupii, et si qui alii sunt, aut erunt, ejus similes Momi, qui, facto quasi agmine, in me censeres asperi et iniqui consurgent. Quorum ego minas et impertunitatem tanti non feci, ut ab iis absterreri me paterer, quo minus in publicum prodirem; bene mihi conscius, a me in tanta multarum rerum insuperabili et penaria et iniquitate, qua septus fui, tantum elaboratum esse, quantum bonus et æquus quisque aut expectet, aut flagitet; plus etiam, (juvat enim ad deprimendum vanorum istiusmodi hominum nasum nonnihil insolescere et juveniliter gloriari) plus etiam, quam alius quispiam eodem loco, quo ego fui fataliter conclusus, præstiturus fuisse videtur. Tibi, mi Askewi, si non prorsus displicuero, qui arbiter sis hujusmodi rerum, et intelligens, et æquus, rem gessisse modis non omnino pœnitendis mihi videbor. Bene vale. Scr. Lipsiæ d. 8. Aprilis 1770.

ERUDITO LECTORI

S. P. D.

IO. IAC. REISKE.

Demosthenem edere, ex oratoris et rei dignitate, quam sit arduum, tametsi non ignorarem, neque me fugeret ingenii mei mediocritas, quæ a spe tantæ laudis procul abest, satius tamen duxi, conari, quam plane desperare. Propositam metam etiamsi non contingas, satis tamen ad laudem merendam arbitror esse, si navitate hæc consequaris, ut nobile aliquod et præclarum facinus ausus, a secunda fortuna non plane desertus esse, ad contentionem tibi nihil fecisse reliquum, processisse, qua petuisses, et fundamentum haud spernendum operis, cui manum ultimam posteriores imponant, posuisse videaris. Jacta itaque esto alea. Prodit, quod felix faustumque sit, Demosthenes nostra qualicunque opera, non perpolitus ille quidem, quod vel sperare sit arrogans et vecors, ita tamen emaculatus, id quod aienti mihi haud vereor ne res ipsa contradicat, ut superiores omnes editiones hæc nostra lectionum præstantia fideque sit superatura.

A tot tantisque viris collaudatus est certatim Demosthenes, et

hodie de laudibus ejus oratoriis ita constat, ut putidus sit et sibilis explodendus, si qui soli facem accendat. Tot præterea sunt et tam gravia atque spissa agenda et meditanda, et enucleanda, tam edituro hunc oratorem, quam ad eum præfaturo, ut vix finem operis inveniat, et pæne totam ætatem in eo uno consumendam habeat. Ego vero, ut mens mihi læva fuit, quod vehementer dolet, ad gustandum et imbibendum Demosthenem, et multo etiam serius ad edendum adjeci animum, quam ut exasciatum quid promittere, aut præfationis saltim copiosæ, plenæ, et vere pragmaticæ spem facere liceat. Juvat capita quædam hic attingere eorum, quæ præfationem paranti non leviter perstringenda, sed penitus excutienda et in plena luce collocanda sint. Debet ille e. c. de ratione veterum Demosthenem in scholis suis interpretandi, et in scriptis imitandi exponere; quæ imitatio est multiplex. non enim solummodo illi imitantur, qui locos oratoris quosdam aut verbotenus recitant, et scriptis suis intexunt, aut allusione quadam adumbrant; cujusmodi locos indagare, indicare, et cum exemplo primigenio comparare, munus imprimis nobile editoris est; quod nobis ne tentare quidem licuit; sed et illi imitantur, qui, ut Aristides fecit, orationes scribunt æmulas Demosthenicis, sive in idem consentientes argumentum, sive in partem contrariam. Debet porro de illis agere atque judicare, qui vitam Demosthenis literis mandarunt, de Ulpiano, et aliis vetustioribus in Dem. commentatoribus; de rationibus, quibus diversis veteres usi sunt, orationes Dem. distribuendi; de lexicis item rhetoricis, et quæ sunt alia hujusmodi plura, quibus omnibus vix homo sufficiat pertinacis et infatigabilis assiduitatis, qui totum literaturæ græcæ ambitum pervagatus, non memoria, id quod negatum est, sed adversariis conclusum habeat, ubi diligenter annotaverit singulos quosque locos veterisque novæque literaturæ quomodocunque ad Demosthenem facientes, qui bibliothecarum sinus, ad quas paucis aditus patet, Italiæ imprimis, ubi multa egregia et parum cognita, minusque etiam, quam pro merito, æstimata jacere atque situ perire necesse est, excusserit. Nobis autem, ab istis omnibus præsidiis, seu fortunæ, seu memoriæ, atque industriæ, desertis, ut qui sero Demosthenis edendi consilium ceperimus, pæne imparati, prætermittenda, aut certe vix leviter perstringenda sunt hæc omnia, et posteris, si qui erunt, de quo desperandum non est, editoribus relinquenda. Juveni fortunato, ætate et amicitiis florenti, cui datum sit exteros adire, qui gratia, vel auro, sibi obserata bibliothecarum scrinia reserare possit, cui vires sint integræ, ingens et excelsus animus, invicta laborum patientia, acres oculi, multo etiam acrius judicium, et diligentia vigil, quicquid legat, ad Demosthenem unum referendi, et in commentariis condendi. Nos vero jam senium pæne ingressi cœpimus cum Demosthene hospitium contrahere; unde

tempore post natus est ejus edendi conatus, qui si non omnino nihil expedisse videbitur, ut de re sic satis commode, inter tot incommoda circumstantia, gesta lætabimur. Ut brevis sim, agam quod potero, cum neque quod velim et assecter, neque quod assectandum et præstandum video, consequar. Missis igitur aliis omnibus id unum hac agam præfatione, ut fontes emendandi Demosthenis, et quomodo iis sim usus, demonstrem. Primum itaque de libris Demosthenicis typorum beneficio vulgatis (editiones vulgo usurpant) disputabo, tum de codicibus calamo exaratis, quibus editores quique suis in editionibus adornandis usi sunt, denique quid a me novi decoris ad hanc nostram editionem collatum sit, exponam.

SECT. II.

De editione Demosthenis Aldina.

ALDUS nempe Manutius, pater quasi quidam, et nutritor græcæ literaturæ, in aliis, quos multos e situ et tenebris bibliothecarum in lucem publicam protraxit, auctoribus græcis præstantissimis, Demosthene quoque nos beavit primus, e typographeo suo Venetiis A. 1504. prodito. Volumen est in folio minore modicum, bipertitum: Pars prima procedit ad p. 320. quæ pagina exhibet Libanii argumentum ad orationem primam in Aristogitonem. tum novus orditur paginarum ordo, rursus a p. 1. ad p. 286. pergens. In p. 273. desinunt ipsæ Demosthenis reliquiæ. A p. 274. autem usque ad p. 286. continua serie leguntur Libaniana argumenta in orationes eas Demosthenicas, quæ illam paulo ante dictam primam in Aristogitonem excipiunt, cum hoc titulo λιβανίου ὑποθέσεις εἰς τοὺς μετὰ τὸν κατὰ ἀριστογείτονος, δημοσθένους λόγους. Nam in primo tomo Aldinæ singulis quibusque orationibus præmissa sunt argumenta, non Libaniana solummodo, sed etiam ab alio quopiam ignoto græculo profecta. Finem operis faciunt variæ lectiones ab Aldo, seu Musuro forsitan, aut Carteromacho, e tribus, quæ penes eos erant, codicibus vetustis collectæ, sed incredibili cum supinitate. Aldus ipse testatur in hac sylva variantium, eam e tribus mstis esse congestam. Nam ad locum qui in editione nostra p. 371. v. 21. legitur (in Parisina p. 220. 12. in Aldina p. 155. T. I. versu 10.) hæc annotata leguntur in illo indice Aldino (nam sic appellito in commentariis meis suo tempore publicandis, Taylorus Msptos Aldi appellare solet) ἐν ἄλλῳ δὲ ἀντιγράφῳ, τρία γὰρ εἴχομεν. οὕτως.—Qua socordia confectus sit hic index, ex eo intelligatur, primum, quod in ipso opere Demosthenico sæpe positi sint asterisci, ad illum indicem ablegantes, quibus tamen nil ipsius indicis respondet; tum, quod in indice reposita

sint illæ ipsæ lectiones, quæ jam in texto leguntur, varietate lectionis suppressa et dissimulata. Titulus huic editioni præfixus est hic

Δημοσθένους λόγοι δύο καὶ ἑξήκοντα.
Λιβανίου σοφιστοῦ ὑποθέσεις εἰς τοὺς αὐτοὺς λόγους.
Βίος Δημοσθένους κατ' αὐτὸν Λιβάνιον.
Βίος Δημοσθένους κατὰ Πλούταρχον.

Demosthenis orationes duæ et sexaginta.
Libanii sophistæ in eas ipsas orationes argumenta.
Vita Demosthenis per Libanium.
Ejusdem vita per Plutarchum.

In calce tituli est signum Aldi, anchoræ implicatus delphin. In aversa statim prima pagina orditur præfatio Aldi his verbis ALDUS PIUS MANUTIUS ROMANUS DANIELI CLARIO PARMENSI S. P. D. unde juvat hæc excerpere, (integram enim in operis nostri calce dabimus) unde nonnulla, quamquam obscure, intelligentur ad hujus editionis historiam pertinentia. Nescio enim quæ fuerit istius ætatis mala consuetudo, rem, de qua exponere vellent, adumbrandi magis, quam enarrandi. Verba itaque Aldi, quæ tradi hoc loco et accipi refert, (nam pleraque præfationis in vita fortunisque Demosthenis exponendis cum versentur, huc nil faciunt) hæc sunt.

Abhinc fere triennio desyderanti tibi orationes Demosthenis, brevi me informatas mea cura publicaturum recepi; sed tot id tentanti mihi acciderunt impedimenta, ut persæpe excudi cœptas intermiserim, Carteromacho etiam nostro demirante — cum etiam admodum quam pauca earum orationum exempla excudenda curaverim, idque coactus, quod in nullo ante accidit volumine excuso in thermis nostris. Quorum omnium mihi testis est optimus Angelus Chabrielus, patricius Venetus. — Nescio quomodo liber hic omnium, quos imprimendos vel latine vel græce curavimus, exit in publicum ex ædibus nostris. — Rursus si pulcherrimis characteribus et perquam decenti forma habituque, nec non castigatissimus exit in manus hominum. — Has vero Demosthenis orationes Clari doctissime nomini tuo nuncupatas ex Neacademia nostra emittimus ob multas causas. — Tu quia in inclyta ista urbe alumna virorum nobilium Epidauro, cui nunc Rhacusæ est nomen, et latinas et græcas literas profiteris, instituisque juventutem istam eloquentiæ studiosam arte dicendi. — Hæc visum fuit ex ista Aldi præfatione excerpta hic proponere e tam multis aliis, quæ Aldus ibi disputat a proposito nostro prorsus aliena. quibus nos hodie facile careamus, ea tum temporis non sine fructu dicebantur, neque erant non necessaria. Sed ex illis, quæ retuli, cognoscantur hæc, Primum, illum Danielem Clarium, cui nuncupatus est Demosthenes Aldinus, fuisse Parmæ natum, ludi literarii, qui Ragusæ tum esset, magistrum. Huic eidem Danieli Clario Aldus inscripsit a se A.

1501. editum Prudentium, cui addita sunt alia complura opuscula argumenti sanctioris, quæ recenset Fabricius B. G. T. X. p. 332. deinde triennio Demosthenem Aldinum sub prælo hæsisse, tum magni fecisse Aldum, magnificeque deprædicasse sui Demosthenis elegantiam, et curam in ejus emendatione positam. Chartæ utique sunt mundæ, typi pro ista ætate belli, editio sic satis emendata. Mendis quidem laborat multo paucioribus, quam pro istius sæculi tarditate, in primis bonarum literarum exordiis, in tanta subsidiorum criticorum penuria, exspectetur. Imo insunt ei multæ egregiæ lectiones, quas temere ab insecutis editoribus neglectas necesse fuit a me rursus ad lucem et usum revocari atque vindicari. Præfuit enim editioni illi, id quod suspicione non prorsus improbabili e verbis Aldi colligo, Carteromachus, vir græce latineque doctissimus; quem ab A. 1500. ad 1507. typographeo Aldino rectorem operarum, et edendorum operum auctorem inspectoremque, quem hodie Correctorem appellant, præfuisse constat. Cur thermas appellet Aldus suam officinam typographicam, id vero non intelligo. Nisi si id more sui sæculi fecit, quo probabile est balneum vel thermas appellatum fuisse idem, quod nos hodie officinam appellamus, interdum quoque vaporarium, quod ejusmodi officinæ fornacibus in usum operarum instructæ essent, ne per hyemem ob frigoris sævitiem ab opere feriandum esset. Subobscurum mihi item hoc est, quod de paucitate exemplarium, quæ excudi curaverit, admonet. Inducit me tamen iste locus in suspicionem, quæ dubium expediat, cur Aldus eodem anno bis Demosthenem ediderit; de quo certo constat, quamvis rem ipsam mireris. Duæ utique sunt Aldinæ Demosthenis non parum inter se discrepantes, sed eundem ambæ anaum præferentes, eandemque præfationem, paginis item et versuum numero inter se consentientes. In lectionibus autem sæpe a se multum discedunt; id quod statim planum faciam exemplis prodendis, quæ dubium hac de re nullum relinquant. Videtur nempe Aldus eo, quod pauca tantummodo Demosthenis exemplaria curasset excudi, effecisse, ut cito ea distraherentur. Requirentibus itaque et flagitantibus exemplaria a se satis fieri aliter non posse videns Aldus, quam nova instituenda editione, rursus eodem anno Demosthenem prælo suo submisit, sed diligentius, et e melioribus codicibus, emaculatum. Prioris editionis exemplum penes Obsopœum fuit, et Mounteneyum, et, quod suspicor, etiam penes Taylorum; mihi nullum licuit usurpare; posterioris vidi exempla duo, unum, quod Weimaria Bartholomæus V. C. ad me misit, quo non licuit mihi plusquam octidue uti; alterum, quod indulgentia Ordinis Amplissimi Lipsiensis, ex ejus bibliotheca publica, toto biennio penes me habui. Quam plurima hujus rei exempla et argumenta, unde constet ab Aldo, eodem anno, duas, inter se discrepantes, sub

eodem titulo, prodiisse Demosthenis ἐκδόσεις, dabunt singulæ pænè paginæ libri, quo varietatem lectionis Demosthenicæ undecunque conquisitam exhibebo. quem librum, quod in molem grandiorem excederet, ideo placuit a reliquo corpore nostrarum annotationum segregare, et peculiari volumine, quod operæ a nobis Demostheni navatæ primum erit, concludere. Ponam tamen hic exempli causa locum unum alterumve, unde liquido constet, exemplaria Aldinæ, quibus usi sunt Obsopœus et Taylorus, ab eo discrepavisse, quo ego usus sum. v. p. editionis Parisinæ, (qua ubique in hac præfatione utor, quæ necessariis de causis prius excudenda fuit, quam nostra græcorum Demosthenicorum editio.) 6, 17. 26, 15. et 29. 34, 30. 36, 29. — item 11, 24. 4, 5. 15, 11. 16, 20. 18, 3. et 8. 31, 16. et 31. Hæc cum anno superiori exarassem (præfationem hanc anni 1768. mense Septembri conscripsi; nunc autem, die 17. mensis Novembris 1769. excudendi factum est initium) obtulit interim fortuna secunda mihi exemplum Demosthenis Aldini venale, quod ære meo meum feci prorsus simile illi primæ editioni Aldinæ, qua usi sunt Obsopœus, Mounteneyus et Taylorus. ut dubium omne, quo antea agitabar, de gemina Aldi eodem anno facta Demosthenis editione mihi jam exemtum, reique veritas, meis oculis testibus, demonstrata et extra controversiam posita sit. Præclarum est, et magni a me fit, quod exemplum Demosthenis Aldini meum teneat eodem volumine conclusum Ulpianum quoque et Harpocr. Lexicon ab Aldo eodem anno editum. Distinctionis causa exemplum Obsopœo usurpatum, Aldinam antiquiorem, alterum, cujus adhuc plura supersunt in bibliothecis exempla, illam emendatiorem puta, posteriorem appellabo. Reperi quoque in libro Weimarano subobscura hujus ejusdem rei vestigia. Nam p. 543. 9. ed. Paris. hæc reperi in Weimarana Aldina annotata ad p. 57. 36. T. II. ed. Aldinæ, ubi est in exemplo posteriori ἑτεροπλοίω hæc a manu recentiore. (ἑτεροπλόῳ. in pr. ed. ἑτ. πλείῳ. sed p. voluit πλοίῳ.) Sed necesse est ut illum, quicunque fuit, qui ista annotavit, oculus fefellerit. nam in Aldina mea est ἑτεροπλίῳ (per iota.) Patet tamen eum siglis illis *pr. ed.* designare voluisse primam Aldi editionem. quid autem *p.* solitarium sic positum sibi velit, haud intelligo. Pari modo, ad locum, qui in Parisina p. 553, 23. legitur, hæc reperi ab eadem recentiore manu annotata, quæ non intelligo. (pr. περὶ em. ut hic.) non potest fieri, quin nota *pr.* editionem Aldi primam, vocabulo *hic* autem secundam designarit: nam in ea, qua e bibliotheca civitatis Lipsiensis usus sum, et quæ eadam est cum Weimarana, legitur illo versu bis παρά. non περί. , Et annotator ille Weimaranus codices suos mstos non vocabulis *pr. sec. tert.* sed ciphris 1. 2. 3. designare consuevit. In meo exemplo Aldinæ dubium est quid primitus ibi fuerit. nam est quidem ibi utique περὶ sed sic ut

e et *l* atramento inscriptæ satis clare videantur, nulla tamen apparente rasura.

Aldo idem jam ante evenerat ut Theocritum eodem anno eodemque sub elogio geminum, alterum ab altero vehementer dissidentem ederet, ut in præfatione ad novissimam poetæ Syracusani editionem, hic Lipsiæ curatam, demonstravi; neque dubito, quin, si auctorum latinorum græcorumque editores diligentius in primas cujusque auctoris editiones inquirant, quod e re literarum est fieri, constet, et ab Aldo, et ab aliis, ejus æqualibus, eandem operam fidemque in operibus suis ad incudem revocandis meliusque item et melius recudendis positam esse.

Ut mater est Aldina texti Demosthenici, typis provulgati et propagati, sic eadem mater est critices quoque Demosthenicæ, hoc est studii lectiones variantes, in libris demosthenicis occurrentes, colligendi et in medio ponendi. Aldus enim primus indicem editioni suæ subjecit, variantium lectionum, quas in tribus codicibus Dem. reperisset. Tot enim omnino codices sibi præsto fuisse Demosthenem edenti ipse fatetur eo loco, quem supra recitavi. Intelligebat nempe Aldus, ut erat ipse vir doctus, seu Carteromachus, cujus consiliis ille tum in adornandis suis græcorum latinorumque auctorum editt. utebatur, magnitudinem fructuum, qui e collatione variarum lectionum ad emendandum et recte intelligendum auctorem quemque enascuntur. Sive inciderat forte fortuna in ejusmodi codicem, cujusmodi est Bavaricus, quo uti mihi licuit; quo in codice sæpissime variæ lectiones aut supra versum, aut ad marginem, ab ipso librario, qui codicem exaravit, annotatæ sunt alias meliores, alias pejores, ut fit, ipso texto. Indicem hunc Aldinum, conservavit Herwagiana prima, quæ proxima Aldinam consecuta est, nil mutatum. Sed auctiorem dedit Felicianus, (Paulus enim Manutius vix videtur Felicianeo quicquam de suo addidisse.) Morellus postmodum copias Parisinas, Wolfius Augustanas addidere, Taylor Britannicas et alius generis, mihi tandem fortuna quædam secunda fontes quosdam novos aperuit. Sic enata est illa ingens lectionum Demosthenicarum farrago, de qua paulo post pluribus agam. Aldina vero ista critices Demosthenicæ elementa plane sunt tenuia et informia. Mihi mos est in commentariis meis illum *indicem Aldinum* vel *Aldi*, vel *Aldinæ*, ut occurrit, appellare. Taylor *Manuscriptos Aldi* appellat.

Notabilis adhuc superest, mihi non prætereundus, error insignis in Aldinam admissus, et illinc in Herwagianam propagatus, a Feliciano primo feliciter sublatus, in Procemiis, ubi multa misere permixta et conturbata sunt, ut extricari et in ordinem redigi nequeant, foliis a bibliopego transpositis, qua de re pluribus dicetur ad p. 763. 35.

Desunt Aldinæ, et proinde quoque Herwagianæ, Demosthenis epistolæ, quas primus Wolfius adjungendas reliquo corpori judicavit. Aldus autem satius judicabat eas secerni, qui paucis ante annis easdem epistolas in syntagmate suo græcarum epistolarum edidisset; cujus syntagmatis exemplaria tum temporis adhuc sat copiosa suppetebant. Hæc de Aldina.

SECT. III.

De editione Herwagiana prima.

Excepit eam Herwagiana, prima a me dicenda. Quatuor omnino Herwagiana officina, quæ Basileæ fuit, edidit, duas græcas, duas græcolatinas. Prima itaque earum prodiit Basileæ per Iohannem Hervagium mense Septembri MDXXXII. hoc titulo: Δημοσθένους λόγοι δύο καὶ ἑξήκοντα. Habes Lector Demosthenis græcorum oratorum omnium facile principis orationes duas et sexaginta, et in easdem Ulpiani commentarios quantum extat: Libanii argumenta: Tum collectas a studioso quodam ex Des. Erasmi Rot. Guilhelmi Budæi atque aliorum lucubrationibus annotationes: Ad hæc ipsius, Plutarcho Libanioque auctoribus, vitam, et lectionem denique variam adjectam.—Excipit hunc titulum Erasmi Roterodami ad Io. Georgium Paumgartnerum, epistola, qua Demosthenem cum commendatione sua ad illum tum adhuc juvenem mittit. Nil tamen ideo moveor, ut credam ab Erasmo navatam esse Demostheni emendando operam. Leguntur quidem in hac editione, quæ ad Aldinam expressa est, non nulla melius, quam in Aldina. Sed possunt illa a Sim. Grynæo, aut si quo alio Herwagius tum uteretur mendarum typographicarum correctore, profecta esse. Ab Erasmo tantummodo præfatio postulabatur, commendationis ergo, quo liber esset vendibilior. Præstat hæc editio multis rebus Aldinæ; chartarum magnitudine, typorumque; tum quod appositos statim ad texti oram Ulpiani commentarios habet, qui ab Aldo seorsim editi fuerant; accessit denique huic editioni primæ Herwagianæ primum quasi fundamentum commentariorum in Demosthenem e scriptis Erasmi et Budæi aliorumque a Iacobo Rubero collecta farrago, in Wolfiana quoque editione servata. Sed singula hæc diligentius videamus. Erasmus in illa epistola nihil a se ad ornandum Demosthenem collatum commemorat. Verba ejus huc pertinentia e longiuscula quidem epistola, a qua homo criticus tamen parum abeat doctior, (sed tum temporis loco præfationum homilias scriptitabant) hæc sunt: Accipe igitur Demosthenem qui nunc prodit, ceu positis novus exuviis nitidusque juventa — multum debemus Aldo, qui nobis primus oratorum principem dedit; plus de-

bemus Herwagio, qui non parum addidit illi tum dignitatis, tum etiam commoditatis, haud mediocribus impendiis parique vigilantia, ut jam merito possint omnes admirabundi dicere *οὗτός ἐστιν ὁ ἐκεῖνος δημοσθένης*. Hæc Erasmus. Sed viderit, qui prædicationi suæ fidem faciat. Haud infitiabor splendidiorem oculis accidere Herwagianam, quam Aldinam, quarum illa majoribus literis, hæc minutioribus est excusa. commoditatis item hoc affert haud parum, quod ex adverso dat oratori commentatorem. Est denique sæpissime Herwagiana emendatior, quam editio primigenia. Arbitrer tamen nihilominus Aldo deberi plus, quam Herwagio, cujus opera fuisset cessatura, si materiam ille nullam suffecisset. Plerasque mendas Aldinæ servavit Herwagiana, novis adeo quibusdam auxit, ex ea in posteriores derivatis; non nullas tamen sustulit, non ope msti codicis, qui nullus apud Herwagium fuisse videtur, nullus certe usquam commemoratur, sed solo ingenio, haud constat cujus. Verumtamen suspicione in Simonem Grynæum feror. Nisi huic suspicioni hoc obstat, quod Grynæus tum temporis, cum Demosthenes in officina Herwagiana excuderetur, in Anglia peregrinatus sit. Quare satius erit de Iacobo Reubero suspicari, de quo paulo post pluribus dicetur, aut de Ioanne Oporino. Non videtur Erasmus in hujus laudis communionem admittendus. Haud abundabat Erasmus otio, neque videtur ei ingenium fuisse Demostheni emendando par. Aliis in literis, theologicis imprimis, regnabat. Ab hoc genere profano erat alienior. In hac editione, prorsus ut in Aldina, ab oratione prima in Aristogitonem novus orditur paginarum ordo; quo fit ut hæc quoque, pariter atque illa, in duo quasi volumina, dispescatur, sed ea molis imparis; quorum prius ad p. 532. procedit, alterum ad p. 207. Sed in Herwagiana cur id ita sit institutum, ratio reddi quædam potest, cur in Aldina, nulla. In Timocratea, quam proximæ consequuntur illæ duæ, quæ Aristogitonem insectantur, commentarii finiunt; qui commentarii ut a corpore orationum ipso discernerentur, necesse erat, ut typis majoribus oratio demosthenica excuderetur, minoribus oratio enarratoris. Hoc jam conticescente suadebat commodum emtorum, ut qui typi hactenus essent in enarratorem insumti, iidem nunc oratori ipsi consecrarentur; ne volumen in molem abnormem excurreret, neve sumtus geminarentur. Consultius quoque Herwagius, seu qui pro eo Demosthenem edendum curavit, argumenta Libaniana disposuit; quæ argumenta orationum in causis privatis omnium cum Aldus in unum locum congessisset, et in calce suæ editionis quasi abdidisset, melius consuleus hic, quisquis fuit, argumenta singula singulis orationibus præfixit. Sed in exemplo meo Herwagianæ desidero argumentum orationis in Aristogitonem primæ, quod in Aldina tomi primi paginam ultimam implet. Videant quibus est Herwagianæ

copia, num in suis exemplis pone p. 532. illud argumentum habeant. meo quidem deest, nescio bibliopegi culpa, an ipsius typographi. Finem denique facit hujus editionis farrago quædam annotationum e Budæi maxime commentationibus de Asse, et in Pandectas, consuta, studio cujusdam Ruberi, de quo hæc prædicat Ioannes Oporinus in admonitione ad lectores, quæ ultimam operis paginam implet: Utinam fatis Iacobum Ruberum, divini ingenii juvenem, et in inquirendis excutiendisque id genus autorum locis mire sedulum, aut vivere diutius, aut meliore, dum vixit, otio frui, visum fuisset: qui si, quod ceperat, perducere ad umbilicum potuisset, alium nos olim Demosthenem et observationes in eum absolutiores — habituros fuisse satis exploratum habeo. — Farraginem illam annotationum, seu compilationem, si mavis, Io. Oporino tribuit Morhof Polyh. T. I. p. 962. Farrago hæc annotationum etiam in Wolfiana editione servata est. De qua quid statuendum sit, neque ipse inquisivi, neque novi qui alius statuerit. Obiter perlustranti videntur sic satis utiles lectu et adhuc esse, et tum temporis etiam magis fuisse. De Iacobo illo Reubero nihil mihi constat. Annotationes illæ ultra orationem tertiam in Aphobum non procedunt. Quare autem Oporinus hoc defunctus sit quasi perorandi officio, ratio reddi non potest, nisi si statuamus, id quod consentaneum est, Oporinum in officina Herwagiana correctoris partes egisse; a quo etiam facile fiat, ut profectæ sint illæ passim occurrentes meliores lectiones ibi locorum, ubi hæc Herwagiana editio ab Aldina discedit. Laudo equidem istorum temporum modestiam, cum ad hujus sæculi jactantiam specto. Turpe tum judicabant viri docti in emendatiunculis quibusdam trivialibus exsultare, quod hodie multi faciunt. Suadet tamen prudentia, suis quæque auctoribus tribui, ne posteri errent, neque nesciant, unde lectio quæque profecta sit, num e libris bonæ notæ, an ex ingenio viri docti, et cujus, quo de auctoritate cujusque lectionis certo pronunciare possint, sciantque, quibuscum sibi negotium sit, et quos aut laudare aut notare debeant. Sed hæc obiter. Eidem Oporino tribuo aliam admonitionem, quæ item in calce Herwagianæ legitur, et hæc est: Hactenus collectis in Demosthenem annotationibus quantum in præsens licuit, utere et fruere. nam et aliarum, quæ in reliquas orationes pertinent, edendarum occasionem nobis fore propediem superis bene fortunantibus speramus, una cum Harpocrationis lexico, et locorum quorundam varia lectione ad vetustissimi exemplaris collationem a D. Petro Danesio Io. Sphyractis industria nobis et impetrata, et, quanquam id quidem serius, extrema quippe manu jam imposita operi, transmissa. — Quam hic spem facit seu Herwagius, seu Oporinus, de nova, emendatiore et instructiore Demosthenis editione, ea exitu carnit; neque in lucem, quod sciam, prodiit hic promissa collatio

exemplaris Danesiani. Quantum ex obscura Herwagii oratione colligo, res sic habet. Herwagius, per Io. Sphyracten, rogaverat Danesium, ut, si quid haberet opis ad emendandum Demosthenem, id conferret. Motus his precibus Danesius codicem nescio quem Demosthenis cum Aldina contulit, eamque collationem ad Herwagium misit. Sed ea sero venit opere jam absoluto. Falluntur ergo viri docti, qui perhibent, collationem codicum a Danesio excussorum in hac Herwagiana reperiri. Nihil ejus ibi est, neque in vestigium ullum collationis hujus Danesianæ incidi, unde aut constaret, aut suspicio saltim nasceretur, qua sorte una sit illa collatio, quasve in manus pervenerit. Hæc de Herwagiana sufficiant. Versatior si essem in historia literaria Sæculi XVI. poteram hic multo plura, eaque scita neque injucunda de illo Clario, cui Aldus suum Demosthenem adscripsit, de Carteromacho, de Petro Danesio, de Baumgartnero, Sphyracte, Reubero, Oporino afferre. Quo in genere cives mei, Germani, gloriolam affectant, exteris ridiculam. Mihi vero ingenium ab ejusmodi sedulitate, non prorsus illa quidem infructuosa, neque plane contemnenda, abhorret.

SECT. IV.

De editione Feliciani.

Venio nunc ad editionem, quæ Demosthenicarum omnium fertur optima, et emendatissima, qua quod carendum mihi fuerit ægre fero. Non dubito quidem eam in hac urbe esse, in bibliotheca viri celeberrimi, in qua partem ejus memini multis ante annis videre, sed ille a me rogatus negavit sibi ejus copiam esse, quacunque tandem ductus caussa, de quo integrum cuique sit pro suo sensu existimare. Quicquid ejus est, hac editione, in curanda mea, carendum mihi fuit necessario, illa puta, quæ Venetiis anno 1548. ex officina Francisci Bruccioli, in forma octava tribus voluminibus cura Io. Bernardi Feliciani prodiit. Ex hac sæpe bonas lectiones Wolf profert, interdum *Felicianeam*, vel *Felicianum*, alias *Brucciolensem*, vel *Brucciolum*, appellans. Præterquam quod multæ texti Demosthenici mendæ in hac editione emendatæ sunt, et in primis illa abnormis perturbatio in procœmiis rursus ad ordinem revocata, index quoque variantium Aldinus auctus et emendatus est. Hæc universe habeo pauca de hac editione quæ dicam ex aliorum fide. De editione Feliciani testimonium Wolfii, quod insigne est ad cognoscendam ipsius Wolfii editionem, v. p. 72. col. a. initio annotationum Wolfii (ad procœmia Demosthenica) ut et in epistola priore ad Fuggerum; unde intelligitur Wolfium curasse, ut Herwagiana secunda, seu minor, in octavo, ad Felicianeam expressa, a se emen-

data, pro fundamento suæ majoris poneretur. Loquitur de editione, quam Herwagianam secundam appello, Basileæ A. 1547. in forma octava, tribus voluminibus prodita, quorum non nisi duo prima penes me sunt volumina. v. annotat. Wolfii ad procemium 22. De Feliciani meritis literariis libenter equidem dissererem, si quid in adversariis annotatum haberem. Neque tamen ideo illaudatus a me discedet vir egregius, quem magni facio. Quæ interim ille in literis gesserit, qui cognoscere cupient, eos ad ejusmodi libros ablegabo, qui de vitis excellentium Italorum exposuerunt. Interea dum hæc excuduntur, spem mihi per literas facit amicus Argentoratensis de hac editione Feliciani e bibliotheca sua ad me mittenda. Quam ubi adeptus ero, licebit mihi de ea aliquanto diligentius exponere.

SECT. V.

De editione Pauli Manutii.

Feliciani editionem insecuta est editio Demosthenis ex officina Pauli Manutii, quam in annotationibus appellare soleo modo Paulinam, modo Paulum, modo litteris P. Man. designo. Titulus illius editionis non est unus universo præfixus operi, sed trium voluminum (tot enim volumina totum opus conficiunt) suus cuique præfixus est proprius, et primo quidem hic Δημοσθένους λόγων τμῆμα πρῶτον. Demosthenis orationum pars prima, in qua deliberativæ orationes sedecim, cum exordiis deliberativis et duæ demonstrativæ continentur. Secundo hic Δημοσθένους λόγων τμῆμα δεύτερον. Demosthenis orationum pars secunda, in qua judiciales novem ejus publicæ orationes continentur. Tertio hic Δημοσθένους λόγων τμῆμα τρίτον. Demosthenis orationum pars tertia, qua judiciales tres et triginta privatæ ejus continentur orationes. Unicuique horum titulorum subscriptum est Corrigente Paulo Manutio Aldi filio. Venetiis A. 1554. quæ verba dubium est quomodo accipi voluerit Paulus. Qui si voluit solummodo significare, se mendas typographicas e chartis musteis adhuc et a prelo madidis sustulisse, næ partes suas egit admodum indiligenter et imperite. Scatet enim editio Paulina mendis typographicis tot numero et tam turpibus, ut omnes alias longe hoc in genere vincat. Sin autem suggerere Paulus voluit, Demosthenem a se e libris antiquis calamo exaratis meliorem esse factum, id quod videtur omnino de se jactare voluisse, fumos vendidit. Ego equidem, quamquam video bonas in ea multas esse lectiones, Aldinis meliores, nullam tamen omnium suspicor esse, quæ non e Felicianea derivata sit. Feliciani editionem a Paulo Manutio exscriptum esse ait Taylor ad T. II. p. 370. Nusquam tamen Paulus Felicianum nominat. Qua in re num boni et honesti viri nomen tueri queat

Paulus, viderint alii. Nobis incompertæ sunt minutæ quæque rationes illarum editionum; constat tamen Paulum græcis literis minus, quam latinis, valuisse. Ordo orationum in hac editione paulum ab Aldina discedit. In primo volumine sunt omnes συμβουλευτικοὶ, quibus adjunguntur procemia, et duo ἐπιδεικτικοὶ, scil. funebris et amatorius. Hæc tria in Aldina, ut et Parisina, ad finem rejecta sunt. In secundo sunt oratt. pro corona, de falsa legatione, Leptinea, Midiana, in Androtionem, in Aristocratem, in Timocratem, in Aristogitonem duæ. Reliquæ privatæ tertium volumen implent. Hanc editionem aiunt e Felicianea expressam esse. Potest fieri ut verum aiant. Solebant tum temporis typographi Itali in se latrocinia exercere. Juntæ se primos edere, aut correctiora, ferre, quæ Aldus edidisset, et Aldus contra, quæ Juntæ. Similis videtur æmulatio, similes excursiones mutuæ in fines alienos intercessisse Paulum Manutium et Brucciolum. Deprehendi tamen nonnunquam illas duas editiones Bernardinam et Paulinam inter se discrepare. Ex. c. p. 286. 2. Potest fieri ut Paulus locos, in quibus a Bernardo discedit, ex ed. Hier. Wolfii prima (A. 1549.) acceperit, de quo diligentius quærendum. Indices cuique volumini sui sunt subjecti, qui videntur iidem esse cum illis, quos Felicianus suæ addiderat, iisdemque vitiis laborant, quibus Aldinus. Nonnunquam indices lectionem eandem, quæ in texto est, reddunt, suppressa varia lectione, quam exspectabas; sæpe in texto asteriscus est positus ad indicem ablegans, quem si consulis, delusum te sentis. Ille tacet, tu frustra quæsivisti. Indices Pauli ubi cum Aldino consentiunt, sunt ex Aldino sumti; quapropter pro uno solummodo suffragio habebuntur. Dolendum veteres hanc critices partem tam supine tractasse, ut e quo codice una quæque lectio esset depromta non indicarent, quamvis constet inter criticos multum referre, ut, quo e codice lectio quæpiam derivata sit, ne nesciatur. Nam in auctoritate codicis magnum est præjudicium ad auctoritatem ipsius lectionis. Nihil hæc habet editio, quod in Aldina non esset, præterquam præfationem græcam, qua Paulus hanc editionem Λουδονίκῳ Βεκατελλίῳ τῷ Ραβέλλου ἐπισκόπῳ, ἀποστολικῷ Ενετίῃσι λεγάτῳ inscribit.* Reddetur hæc epistola tota in calce nostri operis una cum aliis dedicationibus et præfationibus. Epistolæ hujus hoc propemodum argumentum est; fuisse queritur Paulus, qui segnitiem sibi exprobrarent, quod hæres factus typographiæ a patre relictæ egregie instructæ, nil curaret patrem imitari, sed opes tam præclaras non exercendo

* Papadopulus in Historia Gymnasii Patavini (ℊ. Gelehrten Lexicon T. I. c. 867.) dicit Ludov. Beccatellium episcopatum Ravelli oblatum a Ranutio Farnesio recusasse.

Loci de Beccatellio apud Manutium in epistolis (ed. Henr. Stephani) p. 115. Epistolæ clarorum virorum a Paulo Manutio A. 1554. editæ p. 65.

sineret disperire. Sibi vero non animum defuisse præclarum quid emendi, sed pecunias. quare sibi necessario quiescendum fuisse, donec Ludovicus Beccatellius sibi de pecuniis abunde prospexisset. His adjutum se primum omnium, quæ edenda decrevisset, sive dudum ante jam essent, sive nondum edita, Demosthenem edidisse, diligentissime a se emendatum, et cum optimis exemplaribus collatum. Verba ipsa Pauli hæc sunt. *τούτους τοιγαροῦν τοὺς λόγους ὡς οἷόντε ἦν ἐπιμελέστατα διορθωσάμενοι καὶ τοῖς δοκιμωτάτοις τῶν ἀντιγράφων ἀντεξετάσαντές, σοι προσφωνοῦμεν.* Sic gloriam editi Demosthenis, et si quid postmodum editurus esset, Beccatellio esse tribuendam.—Constat ex his, Demosthenem primum esse librum omnium a Paulo Manutio proditorum. Comparasse ait *τὰ δοκιμώτατα ἀντίγραφα*, quæ autem illa fuerint, unde petita, manuscripta, an typis excusa, an ab alio quopiam jam usurpata, reticet. Editione Paulina mihi licuit uti benignitate Io. Friderici Fischeri V. C. Professoris in Universitate Lipsiensi, et Rectoris Scholæ Thomanæ, optime de bonis literis meriti, qui eam e sua bibliotheca mecum communicavit.

SECT. VI.

De editione Wolfii prima græcolatina.

Venio nunc ad editionem primam græcolatinam. nam superius a me commemoratæ græcæ solummodo sunt.* Primus totum Demosthenem latinum fecit Hieronymus Wolf, Augustanus, vir de Demosthene immortaliter meritus,† qui Demosthenem semel græcum, bis græcolatinum, ter latinum edidit, quarum editionum successiones persequemur.

Latine primum edidit Wolf Dem. Basileæ A. 1544. ni fallor, in folio, splendide impressum opus, quod ipse olim habui, deinde rursus, præpostero contemtu, cujus me nunc pœnitet, vendidi.

Deinde græcolatinam Basileæ A. 1549. apud Oporinum in folio, qua carui. quare de ea verbis Fabricii (Bibl. Gr. T. I. p. 926.) mihi referendum est, quinque partibus, quarum tres priores opera De-

* Morhof T. I. p. 962. Etsi Carolus Clutinus Parisiensis orationes omnes Demosthenis una cum Libanii argumentis et Ulpiani commentariis ante Wolfium transtalisse a Michaele Neandro perhibeatur præfat. Erotemat. L. G. p. 231. ab eodem tamen hæc immatura morte præventus non edidisse dicitur. Wolf itaque primo A. 1545. tomis quinque in 8. apud Io. Oporinum, et, eam ille doctissimi Wolfii labor calculis eruditorum approbaretur, factum est, ut mox secundum, atque item tertium ederetur. Tandem vero e quarta interpretis recognitione prodiit Basileæ apud Episcopium A. 1572.

† Vitam egregii viri, ab ipso conscriptam, et ex ejus schedis a Iacobo Bruckero V. C. editam in calce hujus operis reddam.

mosthenis, secundum distributionem Pauli Manutii, seu Feliciani potius, quarta vitas Demosthenis, Wolfii notas, et gnomologiam, Ulpianique commentarios, quinta translationes quarundam Demosthenicarum ante Wolfium per varios latine redditarum continet. Videntur ex hac editione conjecturæ quædam Wolfianæ in marginem Parisinæ et in indicem Lambini, Parisinæ subjectum, esse translatæ.

Wolfii interpretatio prodiit rursus Venetiis A. 1550. tribus voluminibus, iterum Basileæ A. 1554. in 12. ex Wolfii recognitione. Idem A. 1569. Basileæ specimen Demosthenis a se iterum recogniti dedit, in 8vo. apud Herwagium, continens tantum orationes olynthiacas tres et vitam Demosthenis et Æschinis græce et latine, cum annotationibus copiosissimis, quæ omnia sunt in editione tertia, A. 1572. prodita, de qua paulo post dicetur, verbotenus repetita. Insignis hoc de specimine locus legitur Demosthenis Wolfiani T. VI. p. 200. a. totus adscribendus, si vacaret.

SECT. VII.

De editione Parisina.

Successit editio omnium ad id temporis splendidissima et perfectissima Parisiis A. 1570. in folio, quæ quod fundus est editionis nostræ, pluribus de ea mihi dicendum est. Soleo illam modo Parisinam, modo Lutetianam, ut sub stylum venit, appellare. Taylorus eam plerumque Benenatum appellat, quod illud exemplum, quo ipse uteretur, Ioannis Benenati typographi nomen in titulo præferret. Cœpta fuerat hæc editio A. 1558. a Guilielmo Morelio, sed morte ejus, et bellis civilibus interrupta, diu cum jacuisset, anno 1570. demum prodiit, quod Dionysius Lambinus in præfationibus iterum atque iterum inculcat, cujus verba quia paulo copiosiora sunt, operæ parco adscribendi. Multis magnisque laudibus hæc editio priores superat omnes, sed neque rursus vitiis caret; id quod e nostra hac præfatione, sed e libro variantium maxime constabit. Hic historiam ejus contexam. Fatis defuncto Morello, qui fuit typographus regius, homo pauper quidem, teste Lambino, sed doctus et frugi, cum pervenisset opus ad orationem de falsa legatione, jacuit per novem annos et plus, donec Benenatus, matrimonio cum vidua Morelli contracto, totius instrumenti typographici heres et artis successor factus, ad continuandum et peragendum opus animum adjecit. Is Dionysium Lambinum adiit, rogans, ut editionem curaret atque gubernaret, verum ea cum cautione, ne quid ipse suo arbitratu in texto mutaret, sed vulgatæ inhæreret. Ita schedas Morellianas Lambinus in ordinem composuit, qui geminam præfixit edi-

tioni suæ præfationem, alteram nomine suo, qua de opera a se Demostheni a Morello derelicto navata exponit; alteram nomine typographi Io. Benenati, in qua pæne eadem iterantur, additis nonnullis, quæ ad historiam sui typographei pertinent, item de signis, quibus usus esset Morelius ad designandum, vel codices manuscriptos, e quibus collegisset lectiones variantes, vel eorum seu defectus, seu accessiones, item de numeris, aliis ad textum, aliis ad commentarios pertinentibus. Superest adhuc alia, Lambini præfatio dignitate prima, græca epistola ad Carolum IX. Franciæ regem, qua Lambinus ei hanc editionem dedicat. Illa sic orditur. Διονύσιος ὁ Λαμβίνος, Μονστρολιεὺς Καρόλῳ τῷ τῆς Φραγκίας βασιλεῖ, τῶν χριστιανῶν βασιλέων μεγίστῳ τε καὶ χριστιανικωτάτῳ εὖ πράττειν. Cujus argumentum qui volet ex ipsa cognoscat, nostram ad rem haud facit. Præfationes has excipiunt elogia Demosthenis et de eo testimonia, ex auctoribes græcisque latinisque pæne omnibus conquisita, minutis typis, per folia viginti. In his sunt vita Demosthenis e Plutarcho et Pseudoplutarcho, Libanii epistola ad Montium, Luciani encomium Demosthenis, Dionysii Halicarn. epistola ad Ammæum, et infinita alia hujusmodi, postremo Ulpiani ad Demosthenem prolegomena. Tum sequitur ipsum corpus orationum, cum commentariis Ulpiani ad latus positis, qui commentarii hac in editione quarta fere parte, ut asseverat Lambinus, auctiores sunt, quam Aldus eos ediderat. Morellus enim quicquid scholiorum in codicibus regiis seu Parisinis invenisset, immiscuerat Ulpianeis ab Aldo editis, sine ulla discriminis nota. Quod dolendum. Debebant cujusque codicis scholia seorsim edi, aut saltim scholia quæque quibus e codicibus essent sumta, signis aut verbis indicari, non omnia in unum cinnum commisceri, cum bonis futilia. Suum cuique debebat relinqui. Importuna et stulta ea fuit sedulitas editorum, ineptias et nugas frigidissimas accumulandi, cujus hunc ferimus fructum, ut sæpe miremur eundem auctorem pugnantia inter se tradere. Quod fieri secus non potest, si diversissimorum auctorum fragmenta inter se compinguntur, et sub ejusdem scholiastæ nomine venditantur. Sic obtruduntur alicui ea, quæ noluit dicere, et de quibus nunquam somniavit. Si quando contingat, ut nos quoque scholia edamus, de quo nondum certo decrevimus, (inviti autem faciemus, cum edemus,) servabimus quidem ordinem editionis Parisinæ, nova autem, quæ e Bavarico codice, itemque ex Augustano prodemus, ea quæque seorsim, eo ordine, ut in codice quoque invenimus, prodemus. Scholia hæc, ut in aliis editt. ita in hac quoque ultra Timocrateam non procedunt. Nam quæ ad posteriores orationes adspersa sunt, ea oppido pauca sunt, vix decem omnino, et minimi facienda. Procedit sic opus usque ad pag. 789. non eo ordine, quem Wolf in suam editionem importavit, sed

Aldino, quem etiam reliquæ editiones, præter Wolfianam, omnes servarunt. Prima Wolfiana, qua careo, si epistolas Demosthenis non tenet, de quo viderint, quibus copia primæ Wolfianæ est, prima dedit eas Parisina. nam in epistolis Demosthenis finit hæc editio. mantissæ loco adjectæ sunt variæ lectiones et notæ in orationes Demosthenis et in scholia Ulpiani. Videbimus de his paulo post. Instituit Morellus orationes Demosthenis in paragraphos dividere, quibus numeri sui sunt in margine interiori appositi. In exteriori sunt iidem numeri scholiis additi, quo statim inveniri posset, quo scholium quodque referendum esset; variæ lectiones ad textum pertinentes occupant marginem interiorem, exteriorem autem eæ, quæ ad scholia redeunt. Pars ea, quam curavit Morellus, multis modis præstat parti posteriori a Lambino curatæ. Chartarum ipsa forma novum, sed deteriorem dominum et gubernatorem prodit. Chartæ in parte Moreliana sunt firmæ, et candidæ, in parte ea, cui præfuere Lambinus et Benenatus, sunt tenues, flaccidæ, bibulæ, sordidæ. In priori parte non satis mirari possum demonstratam a Morello diligentiam, ad minutias sæpe delabentem; obsiti sunt spississima copia variantium margines illius primæ partis; codices, unde quæque lectio esset sumta, indicati. In parte Lambiniana multo rariores varietates lectionis, et quæ tandem afferuntur, earum pæne ubique reticetur auctoritas; pleræque harum sunt aut ex Aldina, aut ex Obsopœi codice, (de quo post) aut Felicianea, aut e Manutiana, aut ex alio quopiam auctore, conquisitæ; rarissimæ sunt, quas suspiceris e codicibus regiis Parisinis esse haustas. Nescio an Lambinus eos nunquam inspexerit, sive quod laborem defugeret, sive quod eorum copia ipsi negaretur, quod credibile non est. Pars Moreliana emendatissima est, vix unum aut alterum sphalma typogr. in ea memini deprehendere. Pars contra Lambiniana mendis scatet et numero plurimis et fœdissimis. In Morello intemperantiam diligentiæ notes,* in Lambino incredibilem secordiam et inopiam. Morellus codicum suorum vel quisquilias ipsas corrasas nobis ingessit, Lambinus ne gemmas quidem inde conquisivit, dissimillimus decessori successor. saltim demonstrasset unde lectionem quamque sumsisset. Jam vero nescias quid codici msto, quid impresso, et cui, quid ipsius Lambini debeatur ingenio, aut Wolfii; nam et ejus conjecturas, auctore tacito, alias in margine Lutetianæ, alias in indice retulit. Index hic non meras conjecturas Lambini præbet, quod Taylor opinatus est (raras quidem illas tenet) sed plerasque lectiones Aldinæ aut aliarum vetustarum editionum;

* Taylor (ad p. 231. 36.) editionem Parisinam *præ cæteris minutiarum prodigam* appellat. (T. II. p. 164. 1.) Editio Benenati longe optima, quod ad contextum attinet. Markland ad p. 304. 19.

et est supplementum marginis Lutetiani. Conjecturæ Lambini raræ ibi sunt, quod dixi, et quæ sunt, plerumque in interpunctione recte constituenda, et corrigendis sphalmatibus, laborant. raræ sunt ingeniosæ, doctæ, certæ, Demosthene et Demosthenis editore dignæ; multæ contra triviales, multæ inanes et ineptæ.* Conjecturæ, aut emendationes si quæ sunt in indice Lambini proditæ, dubium est, sintne Lambini, an potius Morelli. Veniam tamen ego equidem facile Lambino dem. Subito inciderat in negotium non provisum, accesserat imparatus. deprecari non potuerat. Parisiis tum non erat, qui melius ipso rem gessisset. Intra annum, quantum ex ejus præfatione colligo, hanc operam exantlavit. Quæ omnia satis eum ad æquos excusent. — Morellus in parte a se curata ubique citat octo codices Demosthenis mstos e bibliotheca regia depromtos, quos his literis designat *α. β. γ. δ. ε. ζ. η. ϑ.* ego in libro variantium *primum, secundum, tertium,* et sic porro appello. Quibus numeris hi codices hodie signati sint, indagavit Taylor. et his verbis demonstravit in præfatione ad suum Demosth. *α.* sive codex Morelianorum primus locum habet hodie in bibliotheca regia 2190. numero. reliqua, una cum judiciis de valore cujusque codicis Parisini, quæ Taylor tulit, apud ipsum velim legi.

Citat interdum Taylor lectiones tanquam e Parisinis codd. haustas, quarum mentio nulla fit in editione Parisina. Ergone locupletior et diligentior penes eum fuit illorum codicum collatio? Non videtur. Imo potius edit. Parisinam sæpe nomine codicum regiorum appellat, quos eum oculis non vidisse constat ex ann. ad p. 277. 28. Sæpe citat Taylor codices Parisinos perperam, ubi par erat lectionem marginis Lutetiani solummodo laudari. Non omnes lectiones variantes in margine Lutet. annotatæ sunt e codicibus regiis Parisinis, sed ea solummodo, quibus adscriptæ sunt literæ *α. β. γ.* etc. Reliquæ lectiones, quæ his notis carent, tametsi possint itidem illinc ductæ esse, tamen certo id doceri nequit, et possunt alii fontes earum lectionum demonstrari, e. c. codex Obsopœi, aut editio Aldina, aut quæpiam alia vetustior, aut index alicujus vetustioris editionis, aut auctor aliquis vetustus, ut Hermogenes, Aristides, Dionysius Halicarn. Longinus, alii, aut Wolfii annotationes, etc. Universe, non videtur Lambinus codices Parisinos usurpasse, et in exemplo, quod Morellus reliquit moriens, ipse a Benenato accepit sibi traditum, unde operæ Parisinæ editionem suam expresserunt, Herwagiana prima puta, non nisi paucas quasdam reperisse e Parisinis primo et quinto solis ad orationes a Le-

* In margine Parisinæ si qua lectio tacito auctore proponitur cum Augustano primo consentiens, videtur ea ex Parisino primo esse accepta, nisi aliunde de auctoritate ejus constet.

ptinea inde posteriores annotatas. cæteræ lectiones illi exemplo a Morello adscriptæ, unde essent, ignorasse, neque discere curasse.

Miretur quis, Fabricium in bibl. Gr. T. I. p. 926. affirmare, editionem Parisinam, de qua nunc sermo nobis est, prodiisse ex officina Michaelis Sonnii; cum Dionysius tamen Lambinus ipse, qui poterat rei gestæ testis esse certissimus, eam Benenato tribuat, quo factum ut a Tayloro aliisque Benenati editio appelletur. Eximam hunc scrupulum. Sunt penes me duo exemplaria Parisinæ hujus editionis, inter se rebus omnibus, præter titulum, simillima. in alterius titulo conspicitur signum Adriani Turnebi, thyrsus angue implicatus, cum subscriptione *βασιλεῖ τ' ἀγαθῷ κρατερῷ τ' αἰχμητῇ* Lutetiæ M. D. LXX. apud Ioannem Benenatum. alterius exemplaris titulo suppositum est scutum quadratum cum basilisco e flammis exsurgente versus digitum dextræ e nubibus exsertæ, cum symbolo circumscripto *si deus pro nobis quis contra nos.* Subscripta sunt hæc verba *Lutet.* MDLXX. *apud Michaelem Sonnium sub scuto Basiliensi, via Iacobæa.* Fieri potest ut Michael ille Sonnius partem impendiorum ad istam editionem perficiendam de suo contulerit, eoque jus impetraverit nomen suum in fronte operis proscribendi. Conveniunt hæc duo exemplaria inter se quam perfectissime, ut ovum ovo non possit esse similius. Observavi tamen interdum inter ambo discrepantiam quandam lectionis, quæ non potest aliter nata esse, quam si corrector operis, quisquis fuit, currente adhuc prelo, cerneret aliquod vitium, idque tolleret, parte exemplarium jam excusa, nondum omnibus. Exempla mirificæ hujus rei sunt p. 151. 34. ubi in exemplo Benenati est *δωρίας*, in Sonniano *δωρεάς*. p. 119. 21. in uno est *ἐξαπαθῆσαι*, in altero *ἐξαπατῆσαι*, it. p. 4, 8. 150, 34. 163, 30. 176, 31. 189, 20. 286, 15.

SECT. VIII.

De editione Wolfii secunda græcolatina.

Eodem fere tempore, quo Parisina prodibat editio, carceres mordebat Herwagiana tertia, quæ Anno 1572. Basileæ prodiit hoc titulo: Demosthenis et Æschinis principum græciæ oratorum opera, cum utriusque auctoris vita et Ulpiani commentariis novisque scholiis ex quarta eaque postrema recognitione, græcolatina, sed codicum impressorum et inter hos Parisiensis nuper editi, duorum manuscriptorum, alterius Pannonii, alterius ex Augustana bibliotheca fidelissima collatione a mendis repurgata, variis lectionibus adaucta, annotationibus illustrata per Hieronymum Wolfium Œtingensem, utriusque linguæ in Augustana schola professorem etc. Basileæ ex officina Herwagiana per Eusebium Episcopium. MDLXXII,

Habemus hoc in titulo breve argumentum ipsius operis. Explicationem tituli dabunt insequentia. Partes operis sigillatim persequamur. Titulum excipit dedicatio ad Henricum Recklingerum et Christophorum Peitingerum Duumviros et ad Consules ac Senatum inclytæ Augustanæ reipubl. E qua juvat hæc excerpere. Fuggerum appellat patronum hujus operis, in cujus id nomine jam tertium apparuit. — Prodiit Demosthenes (modo operæ typographicæ non de integro deformarint ea, quæ ego summo labore expolivi. longe a prælo absum, et alias alios codices chartasque typographo misi,) hic igitur inquam, quod quidem in me fuit, se spectandum Demosthenes, cum non contemnendo comitatu præbet

Jam positis novus exuviis nitiduaque juventa.

Sed ad græcum archetypon redeo—τοῖς φιλέλλησι spero. Scripta hæc est dedicatio Idibus Augusti, natali meo. Anno R. S. 1570. eodem igitur quo Parisina prodiit. Ergo jam tum absoluta prælo erat hæc editio secunda Wolfii græcolatina, seu quarta Wolfiana, ut ipse Wolf eam appellat. Sed supererant, ut suspicor, adhuc supplenda quædam ex editione Parisina, quæ res evulgationem in alterum annum extraxit. qua de re post pluribus. Ipse Wolf aliquoties testatur se anno 1569. has quartæ recognitionis annotationes conscripsisse. (v. annotat. ad p. 786. ubi ait eo demum anno secum esse communicatam Aldinam a Theobaldo Theodorico Argentinensi, sed Parisinam, quam Oporino misisset, recuperare non potuisse. Ergone Parisina quoque jam anno 1569. prodiit? Sequuntur dedicationem versiculi græci latinique Wolfii ad rem nil facientes; tum testimonia de Demosthene veterum græcorum latinorumque, illa cum latina Wolfii interpretatione; tum excerpta ex epistola Matthiæ Schenkii, Augustanæ scholæ Anneæ magistri primarii ad Hieronym. Wolfium 18. Januarii 1571. scripta, qua ei laborem Demosthenicum exantlatum gratulatur; inde carmen Pauli Melissi Franci super eadem re. Tum series operis Demosthenici in 6. tomos distributi, quorum quatuor priores opera Demosthenis et Æschinis complectuntur, quintus Ulpiani commentarios, cum annotationibus Wolfii ad eosdem, accessiones ad Ulpianum ex editione Parisina, Demosthenis vita e Libanio, Plutarcho, Luciano et Suida. Æschinis vita e Plutarcho, et alia incerto auctore, Apollonii in Æschinem enarratio, Æschinis vita e Suida, Wolfii annotationes in illas vitas. tandem farrago annotationum Reuberana, de qua supra diximus, cum de Herwagiana prima diceremus. Sexto denique tomo hæc insunt. Primum totum specimen Demosthenis recogniti, de quo ante dicebamus A. 1569. proditum, hic iteratum, ne litera quidem mutata; deinde annotatt. Wolfii ad omnes Demosthenis et Æschinis orationes. post variæ lectiones totius operis Demosthenici e quatuor diversis codicibus collectæ. Sunt illi quatuor codices editio Aldina,

Herwagiana prima, Felicianea, et Manutiana p. 138. Castigationes et variæ lectiones in Demosthenem per Vincentium Obsopœum, de quibus paulo post dicetur. p. 145. variæ lectiones ad Dem. ex editione Felicianea. p. 157. Wolfii annotationes ad Demosthenem e codice Lutetiano. p. 159. quam appello *farraginem Wolfianam*. qua consignavit omnes lectiones ed. Lutet. a sua discrepantes, cum inspersis suis conjecturis novis seu curis secundis. Diversæ lectiones codicis Augustani. p. 179. Scholia codicis Augustani ejusdem p. 198. variæ lectiones in Vita Dem. a Plutarcho scripta p. 199. Wolfii veteres præfationes et carmina græca atque latina. Hic est conspectus, hæc series operis Wolfiani. videamus nunc de quibusdam horum libellorum seorsim. Primum de dispositione atque distributione oratt. Dem. Wolfiana. Orationes Demosthenis in editione Aldina, una continua serie, sine ulla distributione in classes, leguntur. Primus eas in tres tomos seu classes, distribuit Felicianus, quem imitatus est Paulus Manutius. prima classis tenet Olynthiacas, Philippicas, suasorias, procœmia, et duas ostensionales, operis appendiculam. secundus tomus tenet publicis in causis dictas, quas supra recensuimus. tertia reliquas omnes. Wolf autem ab hac distributione duabus in rebus discessit, 1) e duabus contra Æschinem orationibus, quæ in edd. Bernardi et Pauli pars tomi secundi sunt, tomum peculiarem, numero secundum fecit, additis Æschinis orationibus, quæ autem in edd. Bern. et Pauli reliqua secundi tomi implebant orationes, ut Leptinea, Midiana, Androt. Aristocrat. Timocrat. Aristogiton. illis Wolf tertium tomum seu classem assignavit, quo factum, ut quæ in edd. Felic. et P. Manutii esset tertia classis, ea jam in ed. Wolfiana sit quarta. Sed et ex hac postrema classe, quæ est privatarum caussarum, tres orationes Wolf transtulit in classem aliis mediam, sibi tertiam, orationes puta in Eubulidem, in Theocrinem, et in Neæram, quod eas orationes crederet, non privatas, sed publicas causas agitare. 2) Tomo primo admiscuit, præter epistolas Demosthenis et Æschinis, etiam orationem Dinarchi in Demosthenem. Tomo secundo orationem pro corona, quæ in aliis omnibus editionibus antecedit illam de falsa legatione, huic Wolf postposuit. Opuscula quinque hoc secundo tomo Wolfiano conclusa istoc ordine sese consequuntur. 1) Æschinis or. in Timarchum. 2) Demosthenes de falsa legatione in Æschinem. 3) Hujus adversus illum super hoc crimine defensio. 4) Rursus ejusdem oratio in Ctesiphontem, et coronam. tandem 5) Demosthenis or. pro Ctesiphonte, seu, quod idem est, pro corona. Tomo quarto subjectus est index in Demosth. et Æschinem. Singuli quique tomi suis præfationibus propriis a Wolfio sunt instructi. Quinto Tomo, qui Ulpianum complectitur, præfixa præfatio scripta est Cal. Martiis 1550. clausula interpretationis latinæ p. 243. hæc

est. — Initio annotationum ad Ulpianum Wolf ait p. 244. eas a se scriptas esse anno 1566. Sed cum interea prodisset editio Parisina, in qua Ulpiani scholia multo sunt antiquitus editis locupletiora, illis, quæ reddidisset Wolf in sua editione, ideo accessiones illas omnes editionis Parisinæ seorsim excudi curavit cum latina sua interpretatione. a p. 262. ad p. 300. Tomus VI. comprehendit Wolfii aliorumque ad Demosth. annotationes et sylvam variantium lectionum indigestam. Fini annotationum suarum ad orationes Demosthenis et Æschinis adversarias adjecit Wolf schedas Scrimgeri, de quibus exponit p. 102. In fine annotationum ad tomum quartum p. 137. græca clausula testatur eas absolutas esse A. 1569. Ϛαργηλιῶνος μεσοῦντος (h. e. Augusto) P. 143. incipiunt Castigationes ac diversæ lectiones in orationes Demosthenis per Vincentium Obsopœum, *vetustissimi cujusdam exemplaris subsidio collectæ non tantum editioni Aldinæ, verum etiam Basileensi, quæ postrema est, non sine fructu adhibendæ. nam in neutra, quæ hic emendantur, recte habent.* Hic est titulus opusculi, de quo jam dudum dicere debuissem, nisi satius duxissem historiam editionum Demosthenis non interrumpi. Prodiit hoc opusculum Basileæ primum in quarto minimo anno 1533. Triginta pæne annis post idem Wolf editioni suæ Demosthenis inseruit cum aliqua accessione sua. Obsopœus enim cum libellum suum Hieronymo Baumgartnero* patricio ac senatori Norinbergensi obtulisset, Wolf renovatæ editioni hujus epistolæ dedicatoriæ, aliam suam ad istius Hieronymi Paumgartneri filium, patri cognominem, Consulem Noribergensem, adjecit. In hoc opusculo Obsopœus locos non paucos Demosthenis Aldini e codice manuscripto, qui in manus ejus venerat e Pannonia, correxit, aut saltim varias ejus lectiones expromsit. Quare Pannonicum hunc codicem soleo appellare ad exemplum Wolfii. qui codex quo devenerit haud constat. Non fuit ille quidem optimæ notæ. habet tamen interdum lectiones non contemnendas.

Sed redeo ad opus Wolfianum. Erunt sine dubio qui mirentur, cum inter quatuor codices, e quibus excerptæ dicuntur variæ lectiones p. 138-142. positæ, Felicianeam nominassem, rursus tamen p. 137. occurrant varietates e Felicianea. Causam rei accipe a brevi Wolfii hac præfatione: Post immaturum obitum Bolgangi Empacheri Tirolensis — Clauditur hoc excerptum hac clausula Atque hæc ex annotationibus meis in Felicianum codicem confectis ante annos 22. 3 Nonas Decembr. 1569. Ergone non sunt hæ meræ variæ lectiones, e Felicianea, sed intermistæ quoque sunt Wolfii conjecturæ? Examinetur. Insequitur duplex accessio ex editione

* Viderint, quibus familiæ patriciæ Norinbergensium notiores, quam mihi, sunt, num pater hic sit illius Io. Georgii Baumgartneri, cui Erasmus Roterodamus editionem Herwagianam primam inscripsit.

Lutetiana. prima varietatem lectionis exhibet, quæ est in editione Lutetiana ab Wolfiana. procedit hæc a p. 159. ad 174. altera accessio sic est inscripta modo perobscuro et dubio: variæ lectiones et notæ in orationes Demosthenis e Lutetiano codice excerptæ. Sunt enimvero hæ nihil aliud quam ille, quem appellare soleo, *indicem Lambini*, de quo supra; qui in calcem editionis Lambinianæ rejectus est. procedunt hæ a p. 175. ad 177. A p. 178. incipiunt variæ lectiones codicis Augustani membranacei illius egregii, quem *primum* appellare soleo. Cujus historiam cognoscamus e præfatione Wolfii ad eas, quam totam huc transscriberem, si vacaret. tum procedunt illæ lectiones Augustanæ a p. 179 ad 192. præscriptus iis est hic titulus: *diversæ lectiones ex Augustanæ rei publicæ bibliothecæ codice vetustissimo industria M. Simonis Fabricii, Marcopibertani, Franci diligenter observatæ.* Interspersa sunt lectionibus Augustani judicia de ipsis, interdum et conjecturæ, sine auctore. penes me tamen certum est ea, non a Sim. Fabricio, sed ab ipso Wolfio esse profecta. Videtur quoque Wolf selectum fecisse illarum lectionum, non omnes, quas Fabricius ei tradidisset, publicasse. Sed vehementer in illo delectu peccavit. multa etiam aliter prodidit, atque in ipso codice reperi. Sed hac de re paulo post pluribus. Pertinet huc etiam alius locus e Wolfii dedicatione totius operis Demosthenici, p. 4. Nunc ad mstos codices redeo, ait.—Quæ Wolfius hic ait de literis illius codicis minutis et exoletis, quas negat vel adhibitis specillis perspicere se potuisse, non possum satis mirari. Nolo equidem frontem ejus accusare. vir honestus non videtur data opera mentitus esse, sciensque fefellisse. Verumtamen, si vera dixit h. l. Wolfius, nec oportet eum pæne cæcum fuisse. Velleni equidem omnes codices Demosthenicos, quos tractare mihi licuit, tam pulchris, tam perspicuis, tam grandibus literis, tam plane et explicate, sine abbreviaturis, scriptos fuisse, atque hic est Augustanus omnium optimus. Literæ, quibus exaratus ille est, quadruplo majores sunt, atque sunt literæ Bavarici. Forma et proceritas literarum, totusque habitus scriptionis prorsus est similis scripturæ, qua exaratus est codex membranaceus, unde Constantini Porphyrogeniti Ceremoniale Byzantinum post Leichium edidi, cujus scripturæ specimen ex ære cælato expressum prostat. Similis item est pentateucho bibliothecæ nostræ Paulinæ, cujus specimen cl. Fischerus edidit. Superest adhuc ille codex Augustæ Vindelicorum. Inspiciat cuicunque copia inspiciendi erit, videbit uter nostrum, Wolfius an ego, verum dixerit. Utinam specimen aliquod illius codicis fideliter chartæ oleo imbutæ inscriptum sumsissem! Sed ipse nesciebam hanc artem ductus literarum ita excipiendi, parcebam oculis, festinabam codicem quam primum ad dominos remittere, quem annum pæne penes me habuissem, nolebam eum

alienæ fidei committere. Quicquid est grandibus, pulcherrimisque et lectu planissimis literis est totus exaratus. nisi quod atramentum plerumque flavescit. quo fit ut ad lucernam legenti nihil perspicuum appareat. De sensu quisque suo quidem testis est certissimus. Ego, qui parum oculis valeam, et nescio an minus etiam, quam ipse Wolf, de die tamen hunc Augustanum codicem, ducentesimo fere post quartam Wolfianam Demosthenis editionem anno, legi planissime. Scholia autem illius codicis sunt illa quidem ab eadem manu, literis ad formam quidem similibus, sed multo minutissimis, et cum compendiis longe plurimis atque intricatissimis exarata. Sed de his postmodum suo loco, cum de hoc codice Augustano pluribus agam. Diversis hisce lectionibus codicis Augustani subjecta sunt in editione Wolfiana scholia ejusdem codicis a p. 193. ad 199. cum latina interpretatione Wolfii, quibus de scholiis item pluribus paulo post exponam. Præfixit iis hanc præfationem Wolfius — In fine hæc scholia in *περὶ στεφάνου* exstant in Lutetiano codice. (hoc est editione Parisina). In *παραπρεσβείαν* et *τιμοκράτην* partim ex Ulpiano decerpta esse, partim in scholiis Lutetianis exstare videntur. quare nolim certum laborem capere incerto fructu. Hæc Wolfius. Expediebat tamen, opinor, saltim varietates lectionis in his scholiis, quæ essent in Augustano, si quæ discreparent lectiones a Lutetianis, prodi.

Denique succedunt variæ lectiones in vita Demosthenis a Plutarcho descripta; in quibus *F.* id est *fortasse* additur, Wolfianæ conjecturæ sunt, ceteræ Lutetianæ editioni acceptæ referuntur. (hic est titulus a Wolfio præscriptus.) annotationibus ad Pseudoplutarchi vitam Demosthenis hanc præmisit Wolf annotationem: quot loca in hoc opusculo *εὐστόχως* emendaverim, testatur conversio mea, et specimen Demosthenicum A. 1569. editum. cætera hujus loci supra retuli, cum de hoc specimine agerem.

Hic est apparatus criticus Wolfianus, ingens quidem ille, et ad emendandum Demosthenem inprimis utilis, sed, ut nunc est, nulli usui. Stultus sit lector necesse est, qui id faciat, quod editori necessario est faciendum, ut tam diversis in locis sparsas, decies repetitas easdem lectiones indaget, nullis neque paginarum, neque versuum notis signatas, in quibus indagandis, tametsi spississimum opus decies revolvat, tamen integras horas perdat. Sæpe ego mala multa fui imprecatus ei, cui tam vecors et furiosum consilium in mentem venit, ut hoc modo patientiæ lectorum illuderet. Dementiam satis mirari non possum. Insumit laborem non parvum varias illas tot lectiones congerendi; sine dubio, quo lectores iis uterentur; exponit eas, sed sic, ut nemo iis uti queat. quo ipse sese suæ tantæ operæ fructu privavit, unaque emtores. Perinde nunc est, ac si plane nihil variantium edidisset. Digeri hæc oportebat, certosque

quasque ad loces paginarum et versuum alligari, ut varietatem lectionis Demosthenicæ sub uno conspectu haberes. Delirabat Wolf ita scribens in epistola ad Episcopium variantium sylvæ subjecta, p. 201. *Varias lectiones omnium editionum consignatas habes, quarum numeros ei foliis impressionis tuæ accommodari nequirent, prætermittendos censeo, lectoremque monendum ex ipsa serie orationum et locorum quo quæque nota pertineat deprehendi.* Iniqua postulas, mi bone Wolfi. Tam ego fungus non sum, ut unius notulæ causa totas sexcentenorum versuum orationes perlegam. Non ita festinare, non præcipitare opus, quod ordine agere debebas, Episcopio non schedas disjectas, folia Sibyllæ, alias ex aliis mittere, quas, quo essent referendæ, nemo sciret, quæ ipsæ sibi contradicerent sæpe, sed in mandatis dare, ut Demosthenis textum excudendo absolutum ad te mitteret, quem tu per ocium relegeres, et annotationes tuas, variasque lectiones ad locum quemque suum referres, et munde nitideque et ordine descriptas chartas omnes ad typographum mitteres. Nisi consilium cepissem edendi Demosthenis, quod me coegit quicquid usquam extaret copiarum typis excusum indagare, sedulo et cum pulvisculo corradere, et ordine concinno digesta ista omnia proponere, nunquam tanti fecissem, utilitatem sæpe minimam, aut nullam, maximo et serumnabili labore emere. Quem laborem ipsi adeo Episcopius et Th. Zwingerus defugerunt, amici Wolfii, quorum plurimum intererat, et qui debebant et omnium facillime poterant eum expedire pro omnibus; ipsi adeo Francfurtani et Genevenses exhorruerunt, qui Wolfianum Demosthenem recuderunt, (nam in neutra recensione ista miscella farrago in ordinem redacta est, aut paginæ versusve notis aut variantibus adscripti;) eum lectorum tuorum, Wolfi, quotquot sunt et erunt omnium unusquisque viritim maximo cum tædio devorabit? Non cogitabas nempe sic irrideri genus humanum, sic patientiam nostram fatigari. Importunum est, ut tu malo careas, quod tibi conveniebat, aliis millenis, ad quos nil pertinet, malum dare. Hæc est una magna labes editionis Wolfianæ, *draßa*. rudis ea est indigestaque moles, merum chaos, quod intuentem horror et fastidium occupet. Sed est altera non levior. Wolfius textum Demosthenis dedit pro arbitrio suo, non e libris calamo exaratis, non ex antiquis editionibus emendatum, sed e conjecturis suis, idque, quod multo pessimum, lectore non admonito. Ego ipsemet quoque nonnunquam Demosthenis orationem arbitratu meo constituo. Sed ubi ubi facio, admoneo lectores cum in ipso statim texto appositis asteriscis, qui lectores de mea crisi admoneant, et ad annotationes nostras receptum habere jubeant; tum in annotationibus caussas et rationes emendationis, seu si mavis, mutationis cujusque a me excogitatæ et in textum admissæ expono in annotationibus, et tabulam calci operis subjiciam

omnium mutationum, quas meo marte meaque sponte et auctoritate, in Demosthenem immisi. Offensioni quoque est moles libri intractabilis, et ea, quæ vel fortissimum quemque bajulum fatiget, per quam fit, ut lector e. c. Olynthiacæ primæ, opus habeat non modo denis locis requirere, quæ ad certum locum ab Ulpiano, a Budæo, ab Obsopœo, a Wolfio dicta, aut e variantibus modo Aldinis, modo Lutetianis, modo Augustanis annotata sunt, sed etiam millenas paginas iterum iterumque revolvere. Malim ipso Demosthene carere, cujus lectio tam molesto labore mihi constet, qui labor ad insaniam facile quem adigat. Sed præter abnormem molem offensioni quoque sunt typi in editione Basileensi Tomo VI. adhibiti nimis quam exiles et minuti, *cursivi*, quod genus typorum oculis inprimis inimicum et insuave est, et fastiditur magis, quam ullum aliud. Insignis est defectus hujus editionis Wolfianæ, quod indice græcitatis demosthenicæ caret. Credo equidem Wolfium, a laborum Demosthenicorum multitudine et perpetuitate victum, non potuisse agendis omnibus sufficere, quæ in ejusmodi auctore peragenda editori incumbunt. Verum, primum quidem viginti duo anni, quos in Demosthene fingendo et refingendo consumsit, tempus, opinor, sunt satis commodum, quo quamvis magnus labor profligari poterat. Mihi quidem si tot annos uni Demostheni expoliendo largita esset secunda fortuna, quæ vix quadriennium dedit, et ne illud quidem integrum, (interea temporis enim etiam Aristidem ad mstos recognovi, et editioni, quam ejus paro, accommodavi: ut alias interpellationes taceam) o quam mihi videor eum absolutum et numeris omnibus perfectum daturus fuisse. Me vero ingravescens ætas, et decrescentes in dies vires, et impatientia in eodem labore diutiuscule commorandi, et desiderium studiosæ juventuti tam gravem auctorem, tam necessarium, cujus editiones sunt quam rarissimæ et carissimæ, quo tamen carere sine damno maximo potest nemo paulo humanior, quam primum fieri posset, parvo parabilem, et facile gestabilem, et ornamentis non contemnendis instructum, non omnibus quidem, tot tamen illis et tantis, quot et quanta nulla alia superiorum editionum dedisset, in manus dandi, festinare me coegerunt, et minus perfectum opus edere, quam nullum, malle, verentem, ne in conatu superstitiosæ diligentiæ fatum me opprimeret, mecumque lectores fructu meæ operæ fraudaret. Deinde quis auctor tibi, mi Wolfi, fuit tam stulti consilii, ut Æthiopem lavares? Ulpianum cur latinum fecisti? Quis jussit? aut si quis jussit, cur obsequebaris? Debebas sapientior esse, quam ineptus librarius, qui se a stulto more sæculi, ab importunis emtorum flagitationibus duci pateretur. Debebas fortiter resistere. debebas bibliopolarum stultitiæ et importunitati responsare duriter, non servire, non cervicem submittere. Poteras melius quid agere. Ulpianum latinum

quis legit. quotus quisque est græcum qui legat? nedum ut latinum. Ulpiani tua latina interpretatio prorsus illa est, quam nostrates proverbio jactant, quinta currus rota? Labor incassum peractus, cujus nemo tibi gratias habet. Pro ista interpretatione bonum græcum indicem condidisses, addidisses Harpocrationem, aut aliud quod rhetoricum lexicon ineditum, digessisses istam tuam horridam et inconditam sylvam variantium et annotationum, et concinnum in ordinem redegisses; multo sic majorem gratiam a lectoribus inisses, et multo melius eorum commodis providisses. Vitio hoc quoque dari Wolfio jure potest, quod, quum decrevisset editionem, non aliquam vetustiorem fideliter reddere, sed Demosthenem ad mentem suam constitutum, a se reformatum dare, præstantissimum tamen codicem mstum, quem domi pæne suæ haberet, in urbe quidem sua, in bibliotheca Aug. reip. ad quam bibliothecam ipsi aditus pateret, non consuluerit, sed prius excudendum dederit suum Demosthenem, et tum demum absoluta impressione curaverit illum codicem ab alio conferri. Nam prius illam collationem esse factam nullo constat indicio, cum anni notæ desint utrique epistolæ, tam Simonis Fabricii ad Wolfium, quam Wolfianæ illi, cui ista Fabriciana inserta est. Possit adeo paulo quis suspicacior venire in illam suspicionem, Wolfium utique usum fuisse codice illo Augustano in conscribendis suis annotationibus, qui multa pro suis conjecturis prodat, quæ in illo codice leguntur; quamquam ego equidem virum optimum ea invidia injustissima onerare nolim, ut plagiarius habeatur. Sæpe mihi venerunt in mentem conjecturæ, quas postmodum in codicibus mstis reperi. (Ut nuper in Aristide, in quem quas octennio ante publicaveram conjecturas meas, earum partem longe maximam a codicibus Augustanis et Bavaricis, emendatissimis et optimis, confirmatam deprehendi, cum gaudio, et spe bona de mearum in græcos auctores animadversionum libellis.) Ego vero illas non mihi arrogavi, quæ mihi cum codicibus communes erant demosthenicis, sed lubens, et prout par erat atque æquum, gloriolam omnem, quæcunque est, auctori suo, codici manuscripto, ubi repereram, transscripsi. Supersunt mihi vel sic quoque numero plurimæ emendationes, quarum gloria inventionis mihi propria, cum nemine communis, manet. Universe nimia festinatio bono Wolfio obfuit. Turbulente omnia et præcipitate egit. Profert Wolf quoque tanquam inventa sua, lectiones, quæ jam dudum ante in vetustioribus editionibus legebantur. Scilicet non habebat in chartis ordinatis bene dispositas lectionum varietates; quo factum, ut lectiones, quas in aliqua vetustiore editione legisset, adhæsissent memoriæ, locus, ubi legisset, effluxisset; ut sibi videretur suo marte invenisse, quod memoria suggerebat. Post illam Wolfii ad Eusebium Episcopium epistolam sequuntur ejusdem tres dedicationes priorum editionum

ab ipso curatarum; et duæ quidem ad magnificum et generosum virum Io. Iacobum Fuggerum — prima ad Demosthenem latinum a se factum, scripta A. 1549. altera ad eundem in Demosthenicæ conversionis recognitionem scripta A. 1553. tertia, scripta A. 1568. ad Henricum fratrem, physicum Norimbergensem, præfixa specimini postremæ recognitionis. Juvat ex illis tribus epistolis locos quosdam ad historiam Demosthenis Wolfiani facientes huc transferre —

E prima. Oporinus Wolfio fuit auctor latine vertendi Dem.
Wolf indicem græcitatis Demosthenicæ sibi fecerat.
Sebastiano Castalione usus est correctore suæ latinitatis.

SECT. IX.

De Francfurtana Dem. editione.

Hæc de Wolfiana Demosthenis editione postrema, quæ ad hoc diei plenissima et perfectissima fuit omnium, et vulgatissima. Recusa quidem est bis, Francofurti semel A. 1604. et tum Genevæ A. 1607. præstare tamen videtur Basileensis, quæ videtur omnium correctissima esse. Genevensis est admodum sordidis chartis expressa. præterea caret optima dote Wolfianæ editionis, Wolfii annotationibus. Francfurtana luculentis quidem chartis typisque est excusa. præterea, quod in commoditatibus numerat Fabricius, unicuique orationi statim subjecti sunt in illa editione commentarii Ulpianei; tandem etiam accessionem quandam variantium habet, quam in libro meo variantium appellare soleo *appendicem Francfurtanam*, de qua quæ dicam hæc habeo. Sed prius totum habitum hujus ed. Francf. videamus. Universe est eadem cum Basileensi, nisi quod opusculorum nonnullorum sedem mutavit. E. c. epistolas Wolfii ad Fuggerum et ad Henricum fratrem, in extremo calce Basileensis locatas revocavit hæc Francfurtana ad operis principium. Ulpiani Scholia orationi cuique subjecit. Sed debebat idem tenor etiam in commentariis Wolfianis tam ad Demosth. quam ad Ulpianum teneri, ut et ad orationes adjicerentur annotationes quasque suæ, et ad Ulpianea scholia item suæ. Vita tum sequitur Demosthenis olympiadibus ac præturis Atheniensium distincta ex parallelis Andreæ Schotti, accessionibus locupletata. Annotationum series plane inversa est. Reliqua omnia sunt eadem ut in Basileensi, nisi quod in fine additæ sunt *lectiones in Demosthenem diversæ* (hic est titulus illius opusculi) *tum e codice quodam vetusto Italico, tum ex Aldino, cui illas vir doctissimus manu propria adscripserat.* Dolendum, quod curator hujus editionis, quisquis fuit, tam incertos nos de hac collatione reliquerit. tam obscure, tam infinite de codice

quodam Italico loquitur, nil definiens, cujus ille bibliothecæ fuerit. Exemplar Aldinum, cui vir quidam doctus variantes dicitur adscripsisse, videtur hodie in bibliotheca Bodleyana Oxonii asservari, et vir ille doctus Petrus Pithœus esse. Colligo id e conspectu Taylorano, ubi codex, quem Taylor Venetum appellat, sic enarratur. [Codex, ut constare posse arbitror, S. Marci Venetiis. variantes excepit vir industriæ et fidei summæ Petrus Pithœus. Ex Aldino exemplari in bibliotheca Bodleyana Oxonii, cui ea alleverat Pithœus.] Nusquam discernuntur in illa, quam appello, appendice Francfurtana lectiones illorum duum codicum Italici, et Veneti. Sæpe eædem lectiones bis diversis in locis ponuntur. Ipsa testatur ad p. 81. 16. partem lectionum e Veneto esse desumtam. Interdum tamen a Pithœano discrepat ut p. 86. 13. Multa in illa appendice præpostere, multa bis, multa sub paginis ementitis posita occurrunt. videtur mihi hæc collectio a Sylburgio facta esse, non ex uno codice, sed e diversis, Aldino, Lambiniano, Augustano, Pithœano et nescio an ex aliis. Ad orationes in causis privatis nihil ibi est annotatum. penes me non magni momenti est hæc appendix.*

SECT. X.

De editione Taylori.

Hanc Francfurtanam renovavit Taylor in sua, de qua nunc mihi dicendum est; quæ si totum exhiberet Demosthenem, sine controversia principatum teneret omnium editionum, et chartarum splendore, et criticis præcipue, quibus instructa est, copiis amplissimis. Sed duo tantum ejus prodiere volumina, alterum Anno 1748. incunte, Cantabrigiæ, continens orationes a Wolfio in classem tertiam relatas. Tum prodiit A. 1757. volumen tenens adversarias Demosthenis et Æschinis. Nil præterea operis hujus splendidissimi ad hoc diei prodiit. Fert tamen fama fore ut propediem reliqui quoque tomi e schedis Taylori, haud ita pridem fato suo defuncti prodeant.† Præclare enim, et magis etiam, quam ut a me pro meritis

* Codex Italicus in gratiam Wolfii collatus est. Taylor ad p. 202. 30.

Francfurtenses præterquam quod de Dem. nil meriti essent, etiam aliquando ejus interpretem quasi dedita opera mutilarunt nobis et conciderunt. Taylor ad p. 290. 19.

Editio Francfurtana sæpissime ex typothetæ incuria, non auctoritate codicum, a vera lectione recedit, ut id sæpe notare et lectorem admonere pæne tædeat. Taylor ad p. 210. 31.

Quid sibi volunt ista verba Taylori ad p. 359. *antepen.* Sentit mecum *Italicus* et qui *Italicum* procuravit.

† Post hæc scripta, literis ex Anglia ad me datis Schweighæuserus, Argentoratensis, A. M. multarum literarum peritus, amicus in paucis meus, certiorem me

deprædicari queat; de Demosthene meritus est Taylorus. Insunt tamen huic quoque pulcherrimo corpori sui nævi, in quibus pænes me quidem præcipuus, et pæne unus, est (nam cæterorum facile veniam ei dederim, hujus difficulter) quod in edenda græca Dem. oratione nimis se segnem et securum gesserit. Textum Wolfianum, lima nimis parce adhibita, tradidit operis suis recudendum, quod textum constat infidum, et vitiosum esse. Paucis in locis id emendavit, lectiones mendosas, quas ipse in notis damnat, sivit tales, quales repererat, fovit, et propagavit; quæ macula est homine critico indigna. Ecquæ magna laus veterem aliquam editionem, litera non mutata, eandem typothetis recudendam dare? Reliquos tacebo nævos, qui a multis magnisque laudibus obscurantur. Tertio volumini præfatio præmissa toti operi accommodabilis est, eo, ni fallor, ut a bibliopego olim aliquando, cum totum opus in lucem prodisset, primo volumini præponeretur. Titulus hic est *Δημοσθένους, Αἰσχίνου, Δεινάρχου καὶ Δημάδου τὰ σωζόμενα. græce et latine. edidit Ioannes Taylor, LL.D. Col. D. Ioan. Cant. Socius et Cancellarius Lincolniensis. Cantabrigiæ: typis academicis.* Volumen tertium, quod primum prodiit, implet, extra præfationem, paginas 662. Secundum, ætate recentius, paginas 762. Dedicatum est hoc opus nobilissimo illustrissimoque Dno Ioanni Comiti Granville, Vicecomiti Carteret— cujus studium Taylor collaudat in ornando suo Demosthene, præsertim quod sibi variantes codicis Vindobonensis impetrasset. Præfatio non multa tenet non communia; parum de historia mstorum aut edd. Demosth. mihi quidem ista præfatio parum satisfacit, indigna Tayloro, indigna Demosthene, indigna tantis reliquis lautitiis tantaque exspectatione et prædicatione publica videtur. 'Parum ex illa discas. Insequitur conspectus editionum manuscriptorumque Demosthenis, quibus Taylor in adornanda sua editione usus est. —

Hoc est omne, quod de editt. et mstis Dem. Taylor nos docuit. videtis quam jejune, quam indiligenter, quam non pro dignitate atque subtilitate critici. Interspersit annotationibus suis quasdam Marklandi et Jurini; ambas non magni faciendas. Marklandianæ pleræque sunt leves, et tantæ viri famæ haud pares. Jurinus, si maturuisset, (sed a cito fato sublatus est,) poterat aliquando melius quid extundere. Marklandianæ non satis maturæ sunt, effusæ a

fecit, ad Antonium Askewium, V. C. medicum apud Londinenses dexterrimum, illas Taylori chartas pervenisse, qui cum antea spem fecisset earum a se edendarum, nunc abjecto illo proposito, quod exsequi multitudo negotiorum non patiatur, recepisse reliquias Tayloranas mihi missurum. Ipse Vir Clarissimus datis ad me nuper literis humanissimis mihi factus est hujus rei auctor; ut nullus dubitem fore brevi, ut illæ schedæ mihi reddantur. quo facto quicquid reliquiarum Taylori accepero, fideliter id omne in hac editione nostra sum publicaturus.

rusticante, et libris destituto. pleræque, si bene memini, in oratt. pro corona et de falsa legat. versantur. multæ sunt aperte falsæ, testanturque Marklandum in Demosthene fuisse hospitem. tricatur in commatibus et punctis recte constituendis. quæ res laude non caret, magna tamen et præclara palma profecto non est. Tayloranæ notæ sunt bonæ frugis plenæ. Sed apparet eum meliorem esse juris Attici interpretem, in quo regnat, quam criticum, seu emendatorem. quo in genere parum valet, et pæne contemnendus est. Notæ cuique orationi statim subjectæ, ordiuntur ab enarratione argumentorum singulis quibusque orationibus tractatorum, et ab indagatione temporis, quo oratio quæque habita est. Sed pleræque consumuntur in expositione lectionum variantium. Nos vero variantes ab annotationibus nostris separavimus, et peculiari libro conclusimus. Miror itaque qui fiat, ut Taylor interdum nos ad librum variantium ableget. ut fecit p. 143, 24. 588, 33.

Gratiam utique magnam ei debemus. multum profecit, bonum et firmum jecit fundamentum, cui post venientes superstruant. Si minus perfectum quid dedit, ecquis unus omnium hoc in genere perfectum quid enixus est? Viam monstravit. Hoc satis ad magnam stabilemque gloriam. Ego ipse, quamquam multo, quam Taylor, processi longius, optime tamen novi, quam multum operis affecti reliquerim aliis perficiendum. una hominum ætas tantæ rei peragendæ haud sufficit. Dictio Taylori latina haud placet. obscura, affectata, putida est. Sed paucos novi Anglos, qui latine scribere didicissent. Latinæ linguæ neglectus illi genti communis est. Et tamen Taylor, si ad alios Anglos spectetur, adhuc bene scribit. Melius si scisset latine, sæpe non vituperasset Wolfium; quem ideo solummodo persæpe vehementer exagitat, quod latinam Wolfii dictionem, (si Wolfii est, neque potius Sebastiani Castalionis, at o quanti viri in judicio latinitatis) bonam et propriam ipse non intelligeret. Reprehendit quæ laudanda etiam essent, et gnarus quisque bonæ latinitatis admiratus esset. In antiquitatibus enucleandis est nimium sedulus, ultra modum copiosus, aliena et protrita ingerit, non sine jactatione. Non satis trivit grammaticos et rhetoricos veteres Demosthenem quibusque paginis laudantes. Non satis instructus erat copiis lexicorum rhetoricorum. Quæ cum in Tayloro noto, bene memini eadem pæne mihi exprobrari posse. Ego vero neque perfectum quid profiteor præstiturum, et festinavi, et a fortunæ præsidiis derelictus sum, et alia habeo, quæ excusem. Sed pergo. Persæpe sine causa bonum Wolfium Taylor ridet, vexat, exagitat, objurgat, quod diligentia pædagogica oratoris locos quosdam enuclearit, velut nutrices pueris omnia minima mansa in os ingerunt. Sed ea diligentia utilis et pernecessaria est, et plus prodest, quam supercilium aliorum, qui dum elegantias nescio quas abstrusas

et exquisitas consectantur, vere difficilia prætereunt et dissimulant, in rebus perspicuis de tenebris queruntur, expedita suis argutiis intricant, clara perturbant et obscurant. Tayloro si natandum sine cortice Wolfii fuisset, næ aut cavisset sibi ab hac natatione, aut periculum ejus cum dedecore suo fecisset. Ecquis enim Taylor ad Wolfium! Largiar Anglum in jure Attico paulo plus vidisse Germano, quod mirum non est post scripta Petiti, Salmasii, Maussaci et maxime Valesii ad Harpocrationem, quæ Wolfii ætate nondum nata erant. Largiar hoc quoque, Taylorum instructiorem fuisse copiis librorum demosthenicorum, et melius iis uti scisse, quam Wolfium, quem ætas tulit nascentis adhuc critices, et in ordinandis illis lectionibus fuisse diligentiorem atque solertiorem. In cæteris tamen omnibus aio Wolfium Tayloro anteferendum. Plus laboris exantlavit in Demosthene interpretando, melius sententiam ejus perspexit, et reddidit, melius latine calluit, pluribus locis medicinam, et feliciorem quidem, attulit, quam Taylorus, cujus emendationes ex ipso natæ pleræque aut leviculæ, aut manifesto falsæ sunt, vix tres quatuorve in toto agmine capitales, quarum ei magna sit habenda gratia, quibus inveniendis non aliud quodcunque par fuisset ingenium. Taylor si diligentius editionem Manutii aut Feliciani inspexisset, non reprehendisset toties Wolfium ob novitatem lectionis, quasi Wolf de suo lectiones quasdam esset commentus, dudum ante a Manutio proditas.

Tria omnino vidi hujus editionis Tayloranæ exempla, quorum unum, quod est penes Thomam Krebsium, V. C. Rectorem Scholæ Provincialis ad Grimmam, observationibus Flavianis et Decretis Romanorum pro Judæis nobilitatum, tenebat aliquid, quod in duobus reliquis non animadverti; scilicet post finem orationis in Leptinem, p. 63. ubi in aliis exemplis Taylori in illam orationem annotationes incipiunt, incipiebant scholia græca in illam orationem, pro more editionis Francfurtanæ. Paginæ hæ duæ 63. et 64. impletæ erant illis scholiis, minutis, non tamen minimis, neque deformibus typis. Tum charta singularis erat adjecta cum iisdem numeris 63. et 64. tenens initium notarum in Leptineam. videtur Taylor primum voluisse scholia græca cuique orationi subjicere; deinde vero ab illo proposito destitisse, et illa scholia universa quinto suæ editionis volumini reservasse.

Nefas sit specimen silentio prætermittere, quo Taylor hanc editionem suam annuntiavit. Oratio est Demosth. in Midiam cum oratione Lycurgi in Leocratem edita Londini A. 1748.

SECT. XI.

De editionibus singularium orationum Demosthenicarum.

COMMEMORANDUM nunc erat judicandumque de singularium orationum Demosthenicarum editoribus, cujusmodi fuerunt Dounæus, Freindius, Brooke, Mounteneyus, et nuperrime Harlesius. Verum aliis carui, (ut Freindii editione orationis pro corona) aut nihil illi novi attulerunt, ut idem Freindius, quod intellexi ex inspectione brevi libelli ab eo editi, et vereor ne idem de Brookio quoque et Mounteneyo sit statuendum; quorum tametsi ad manus essent opuscula, parum tamen illis usus sum, quod viderentur bonæ frugis parum exhibere. Dounæus onerasse Demosthenem scholiis, fortasse non prorsus inutilibus, videtur, sed parum ad rem criticam facientibus. Harlesio, V. C. apud Coburgenses professori literarum humaniorum optime merenti, non possum facere, quin hoc loco publice gratias agam et pro elegantissimo munusculo, quo rem universam literariam, sed scholasticam inprimis, beavit edenda cum commentariis Taylori suisque oratione pro corona, et pro honore mihi habito, qui dignatus sit meis ad illam orationem animadversionibus locum dare, eoque gustu quodam mearum in Demosthenem lucubrationum viros doctos imbuerit.

SECT. XII.

De Demosthenis versionibus.

ANTEQUAM ad codices mstos Dem. transeo, prius de latinis interpretationibus singularium quarundam orationum Dem. agam. nam de Wolfiana universi Dem. quid attinet dicere, quæ est in vulgus nota, et de qua jam supra, cum de Wolfiana editione ageremus, sæpe commemorandi locus est datus. Meum denique non est judicare de versione, qua pæne nusquam ad hoc diei usus sum, et rarissime attingo latinas græcorum auctorem versiones. Universe persuasum mihi habeo bonam esse. Si nævis quibusdam obsidetur, ecquid est rerum humanarum omnium vitii expers? eccui uni tam longo in opere sommus non obrepat? Horum igitur interpretum quia pæne nihil unquam neque vidi, neque usurpavi, necesse habeo quicquid est hujus notitiæ ex Andreæ Schotti Parallelis supra laudatis repetere, qui cap. VI. de interpretibus Demosth. egit. ubi postquam de Wolfiana disputasset, sic pergit: singulas vero antea orationes exercendi forte styli gratia, ac plerique aliud agentes converterunt; Philippicas quidem quatuor Paulus Manutius, homo disertus, reddidit, olynthiacas vero plurimi Io. Camers, Vitus Amer-

pachius, additis ab utroque scholiis, Iacobus Grifolus Lucinianensis, qui et Philippicas duas et unam de pace interpositam reddidit. De pace orationem quoque vertit Justinus Goblerus, et Petrus Bracchus Placentinus, qui et eam de Cherrhonesi rebus. De classibus Ioannes Lonicerus. Contra Androtionem Bassianus Landus Placentinus. Contra Leptinem de immunitate Petrus Nannius Alemarianus. Plures in Basiliensi editione interpretes, si voles, leges. Hæc Schottus. Scil. in editionis primæ Wolfianæ calce multorum interpretationes singularium oratt. Demosth. leguntur, quæ in postrema omissæ sunt. Post illa Schotti tempora accessit hoc sæculo Lucchesini interpretatio Philippicarum edita Romæ A. 1712. in 4to. cum texto græco, et notis criticis historicisque. Io. Vincentius Lucchesinus fuit Patricius Lucensis. Videtur periculum facere, aut exemplum dare voluisse conferendæ ad Dem. tullianæ facundiæ, unaque interpretationis Wolfianæ castigandæ, qui conatus quomodo ipsi cesserit, nunquam quæsivi. viderint alii. Dorvillius quidem ad Charitonem p. 177. eam improbat.

De francica Tourellii aliorum esto judicium, item de britannica Lelandi, quibus ambabus carui. Sed ambas laudari video, neque detractum ibo illam ipsis laudem, quamquam me non fugit, quid de laudibus statuendum' sit, quas nostri Journalistæ, aut venales illi homines, aut de rebus parum cognitis temere judicare soliti, spargunt. De mea germanica; quam factio quædam hominum improborum et indoctorum, sodalitium gladiatorium aut piraticum, vexavit et infamavit, non quod a sententia Dem. aberrassem, non quod eam minus perspicue reddidissem, sed 1) quod non ea essem dictione germanica usus, quam ipsi solam probant, qui volunt belluli, et omnis elegantiæ arbitri esse. 2) quod sæpe locorum periphrasten potius, quam interpretem egissem. 3) quod in animadversionibus Demosthenem sæpe acerbius perstrinxissem; egi causam meam in præfatione ad volumen tertium hujus interpretationis. Secundum quam præfationem nemo fuit, qui hisceret. obmutuerunt umbratici illi, e latebris, ut latrones saltibus insidentes, tela in prætereuntes conjicientes; victi vi veritatis, qua argumenta mea prævalent. Nescio an censuræ illius iniquæ in D. A. D. B. auctor fuerit inimicus tectus vultu verbisque amicum simulans. Ejusmodi libelli menstrui sunt buccina diaboli, vel Erynnios, aut Bellonæ, ut veteres loquebantur, cujus boatum cum andieris, suspiceris quis inflarit. unde simultates et contentiones. Melius egomet ipse novi meæ interpretationis nævos, quam illi omnes, qui eam carpserunt. Sed meliorem profecto nemo illorum omnium condat, neque condet. Erunt fortasse qui in dictione mea germanica aliquid tentent, ungues ei infigant, scalpant, poliant, voculam unam, quæ ipsis asperior et immundior videatur, cum alia, si dis placet, mundiore et exquisitiore

mutent, et sic se Demosthenis ferant interpretes, reapse sint plagiarii. Exspirabit in ejusmodi ineptiis et titivillitiis omnis eorum circa Demosthenem germanice reddendum molitio puerilis. Facere tamen non poterunt, quo minus constet inter omnes, et res ipsa clamet, eos, si qui erunt, vitio a semet creatos interpretes Demosthenis vernaculos e mea demum interpretatione didicisse Demosthenem intelligere atque convertere. Ante me nemo de Dem. germanice reddendo cogitavit, post me erunt procul dubio, qui certatim eum reddant. Sed de voculis inter se contendent, rem omnes mihi debebunt. Interim se novos, et, si dis placet, meliores ferent interpretes; et a venalibus Ephemeridum scriptoribus, quorum aut fames, aut invidia, aut gratia, aut studium partium agit et gubernat stylum, laudibus in cœlum efferentur. Quos equidem et sibi ipsos placere, et ab aliis commendari facile patiar, meum opus examini intelligentium, et ab animi perturbationibus sanorum relinquens, mercedem benefacti a deo, et a conscientia ferens mea satis magnam, tametsi homines aut stulti, aut imperiti, aut exosi me mihique infesti, negent.

SECT. XIII.

De Commentariis in Demosthenem.

COMMENTATORES in Demosthenem recentioris ævi nullos novi præter eos, quos jam nominavi, Wolfium, Taylorum, qui duo sunt principes, et istos minoris dignitatis, Lucchesinum, Tourellium, et Lelandum. Nam Schottus, Petitus, Valesius, Salmasius, tametsi locos Demosthenis multos exposuerunt, tamen professis interpretibus haud videntur annumerandi. Veterum nulli ad nos pervenerunt in Demosth. commentarii, præter illa, quæ sub Ulpiani nomine circumferuntur, fragmenta, alia in aliis codicibus, plura, pauciorave, deteriora aut meliora. Multi olim scholia in Dem. scripsere. Meminit Dionysius Halicarn. Callimachi alicujus vetusti enarratoris Dem. II. 171. 6. e quo loco paret, jam Dionysii ætate conditum fuisse hunc, quem hodie habemus, quasi canonem Demosth. orationum. Fabricius Bibl. Gr. T. I. p. 928, hos commemorat his verbis [Cœlii Calactini Siculi rhetoris *σύγκρισις Δημοσθένους καὶ Κικέρωνος. σύγκρισις Δημ. καὶ Αἰσχίνου.* liber *περὶ Δημοσθένους, ποῖοι αὐτοῦ λόγοι γνήσιοι καὶ ποῖοι νόθοι*, tum *ὑπομνήματα* Zosimi Gazæi, Zenonis Zitiei, non Stoicorum principis, sed rhetoris, et Sallustii sophistæ in Demosthenem, quorum meminit Suidas interciderunt.] Wolf in præfatione ad Ulpiani commentarios. [Sed cum aliorum complurium editos in Demosthenem commentarios, qui sæpe in hoc opere citantur, cujus modi sunt Apsinis, Genethlii, Æsculapii Ale-

xandri, Diocori, Zenonis, Aspasii, et aliorum, e quibus multa in Ulpianum translata suspicor.] In Zenonis ab Ulpiano laudati ætatem inquirit Chapman diss. de Ulpiano §. 4. collocans eum in temporibus Juliani Aug. De Cæcilii commentariis variis in Demosth. et alios gr. oratores v. script. Hist. Phil. Ionii III. 1. p. 4, 5. quocum conferendus Valkenaer Animadv. ad Ammon. p. 95. qui illum refutat. Antipater Hierapolitanus (v. Fabr. B. G. IX. p. 275.) ὁλυμπιακούς τε ἡμῖν δοῦναι καὶ παναθηναϊκοὺς (Isocratis et Aristidis) λόγους. Philostratus in ejus vita p. 606. Aspasium rhetorem commemorat Photius in articulo de Demosthene Bibl. n. 265. videtur esse Byblius, Sophista, æqualis Aristidis, v. Fabr. IX. p. 667. ubi et alii Aspasii. Asclepius Sophista Fabr. IV. p. 479. conf. T. IV. p. 5. De Genethlio v. Suid. apud Fabr. IX. p. 705. 9. Ulpiani varii Fabr. IX. p. 815. Apsinæ varii Fabr. IX. p. 859. Hermogenis opus περὶ μεθόδου δεινότητος non absolutum ab ipso, sed auctorem ejus Minuciano atque Apsini multum debere, tradit Matthæus Camariota in Compendio Rhetorices p. 22. Plures fuere Apsines rhetores—forte est Apsines Phœnix Gadarensis—v. Fabr. IV. p. 459. 460. Cruda hæc, et indigesta, ut videtis, ex adversariis, ut illuc retuleram, repetii, materiam, in qua digerenda posteri editores elaborent.

SECT. XIV.

De Codicibus manuscriptis Demosthenis, quibus superiores usi sunt editores.

Venio nunc ad codices calamo exaratos, quibus aut alii ad edendum et emendandum Demosthenem, aut ego in hac condenda editione usus sum, aut quorum ad nos pervenit notitia.

Quibus e codicibus Aldus suum Demosthenem ediderit, primus editorum omnium, haud constat; unumne secutus exemplum, an e pluribus delegerit lectionem locis quibusque meliorem, quæ sibi, aut Carteromacho, videretur, et quonam illi codices devenerint; supersint adhuc, an perierint. Quodsi unus fuit codex, e quo Demosthenes primitus est ab Aldo editus, non ex optimis, sed neque e pessimis fuit, sed e genere medio. Tribus se codicibus in universum fuisse usum testatur Aldus in indice, loco eo, quem supra attulimus. Non magis scimus, quinam fuerint codices, quibus usus est Felicianus, quot numero, unde sumti, quo delati. Certum hoc est multas bonas lectiones illinc petitas. multos locos in Aldina laborantes vitio sanatos esse feliciter. Paulo ante Felicianum criticam Demosthenicam exercuit Io. Obsopœus, non infeliciter, homo industrius, edendis Polybio et Heliodoro erotico de literis optime meritus, sed ingenio critico non satis instructus. quamquam illo

tempore grœca critica progerminare modo incipiebat. Accedit quod codex Dem. Pannonicus, qui ei in manus venerat, non esset optimæ notæ. Videtur ille codex in bibliothecam Augustam, quæ Vindebonæ est, illatus esse. Paulus Manutius num suæ editioni codices adhibuerit novos, a Feliciano non usurpatos, dubium est; et pene negem. Wolfius ad suam certe nullos adhibuit codices mstos, quod equidem majorem in modum in eo miror, qui ætatem ea in urbe degeret, ubi copia ipsi esset sex codicum demosthenicorum, et in his omnium, quotquot hodie cogniti nobis usquam exstant, sine controversia nobilissimi, antiquissimi, et emendatissimi. Sedens ad fontem, aut ignoravit eum, aut nil curavit inde haurire. quæ secordia! Postquam jam excusa esset typis editio sua, tum demum in mentem ei venit, esse in urbe, ubi literas ipse publice profiteretur, membranas Demosthenis vetustas, forte non indignas, quæ conferrentur. Commisit negotium alii, homini docto quidem illi, neque ignavo, excusatione usus, probabili futura, si vera fuisset. Verum copiosius de subsidiis Demosth. dicam paulo post, quibus uti potuisset Wolf, si voluisset. Sed condonemus hanc culpam multitudini laborum, quibus obrutus erat bonus ille vir, sorte usus, ætate sua, communi etiam hodie illis, qui jumenta sunt librariorum, quorum cupiditati operam suam in libris edendis addixerunt, ut eos locupletent, ipsi interim fame pereuntes, aut, si bene rem gerunt, cum nonnullo rei familiaris emolumento, famæ facientes jacturam, cum necesse sit opera, non scribere, sed evomere. Condonemus etiam sæculi istius ruditati, tum nondum adsuetæ ad diligentiam criticam. Quam primus adhibuit Demostheni Guil. Morellus, vir egregius, idem tamen Wolfio æqualis, et eadem ætate saxum cum ipso volvens Demosthenicum. Octo codices ille cum Herwagiana prima contulit, et lectiones ex illis a se enotatas in margine suæ editionis retulit, cum nota cujusque codicis, unde lectio quæque sumta esset. Codices illos literis alphabeti græci designavit, primum litera α, secundum litera β, et sic porro. Horum codicum notitiam e Tayloro repete, si placet. Verum non processit hæc Morelli diligentia ultra partem illam, quæ ipso adhuc superstite excusa fuit. Supersunt illius diligentiæ vestigia quædam adhuc in oratione de falsa legatione. In insequentibus plane exspiravit. In illa parte Dem. Lutetiani, quam Lambinus curavit, aut nullos ille codices inspexit, aut perraro inspexit, sine indicio quidem reliquit lectiones, si quas illinc excerpsit. multo rariores sunt jam lectiones variantes, quam in parte a Morello curata, et plerumque e fontibus vulgaribus haustæ. Sed hac de re jam supra questus sum. Post intervallum centum et septuaginta fere annorum prodiit Taylor, a quo pæne perfectam poteramus editionem Dem. sperare. Extulit eum sæculum multo pluribus artis criticæ adminiculis instructum,

quam fuit seculum XVI. Aderat ei non contemnenda copia seu librorum calamo exaratorum, seu variantium ex iis excerptarum. quarum indicem ejus præfatio exhibet, in calce nostri operis, una cum aliorum præfationibus, a nobis reddenda. Sed nimia ei cunctatio offecit, nescio quibus a causis profecta. Interim judicia quædam ejus de codicibus quibusdam, qui ei præsto erant, hic referamus. Altempsianum scholiis ait contaminatum esse, p. 147. 37. et 40. Baroccianum ait ex Augustano primo exscriptum esse, aut contra hunc ex illo, p. 328. 27. in quo falli virum doctissimum ex eo constat, quod Baroccianus leges et decreta habet, quæ desunt Augustano. Augustanum hunc, Vindobonensem et Wolfenbuttelensem fere ubique inter se consentire, vere affirmat, item in oratione Leptinea Augustanum et Harleyanum. Tandem edendi Demosthenis ad me devenit sors, faxit deus, ut ea mihique publiceque secunda fuerit. Quod ad opus elaborandum quibus accesserim instructus copiis, meum nunc est dicere. quod faciam hoc copiosius, quo parcius de illis codicibus aliorum, quos usurpare mihi non licuit, necessario disputavi. Sed antequam illuc veniam prius commemorabo codices Demosthenicos, quos alibi exstare proditum est memoriæ.

SECT. XV.

De codicibus Demosthenis in bibliothecis passim exstantibus.

Non est animus Bibliothecam bibliothecarum Montfauconianam, aut Coislinianam, aut Bandinii Florentinam, aut Catalogum mstorum magnæ Britanniæ exscribere, et numeros proponere codicum demosthenicorum, qui dicuntur in bibliothecis Vaticana, Medicea, Ambrosiana, Vindobonensi, Leidana, Gallicis, Hispanicis, publicis privatisve reperiri; quos omnes utique expediebat a sedulo editore Demosthenis non perfunctorie perlustrari, sed diligenter percenseri et cum editis comparari. Nullum enim dubium est, magnum ejus rei fructum laturam esse remp. literariam. Paucos solummodo commemorabo codices minus forsitan publice notos, quorum notitiam fors fortuna inter legendum cum obtulisset, in adversariis annotavi. Quorum e numero est

Breslaviensis, pars bibliothecæ, quæ quondam fuit Rhedingeri, nunc in gymnasio, quod Breslaviæ est, Elisabetano asservatur. Hujus codicis roganti mihi copia negata est. notitiam ejus per literas mihi dedit Arletius V. C. Rector illius Gymnasii. unde intellexi, codicem illum quondam Andreæ Dudithii fuisse, et Philippicas cum oratt. pro corona et de falsa legatione cum scholiis multis tenere.

Dorvillius in Annotationibus ad Charitonem p. 687. et 693. codicis sui mentionem facit.

Penes Eliam Obrechtum, professorem quondam Upsaliensem, fuisse codicem Demosthenis, intelligitur e Normanni annotatt. ad Aristidis artem rhetoricam p. 274.

Petrus Possinus, Decanus S. Gudilæ Bruxellensis, habuit antiquum codicem Dem. qui recensetur a Fabricio Bibl. Gr. T. XII. p. 313. in quo orationum alius est ordo, quam in vulgatis libris nostris. Commemoratur ibi oratio quædam Dem. *de largitione*, quæ videri queat inedita. Sed profecto nulla est alia, quam oratio de corona trierarchica. Idem Pantinus habuit alium quoque Dem. codicem, sed inchoatum solummodo. v. p. 316. n. 40.

Sambuci codicem laudat Wolf ad p. 145, 5. et in ea, quam nos usurpamus, farragine.

H. Scrimgeri, Scoti, Professoris quondam Juris apud Heidelbergenses, schedas in calce suorum ad oratt. Dem. et Æschinis adversarias commentariorum commemorat Wolf. Non fuit codex vetustus penes Scrimgerum, sed schedæ, in quas Scrimgerus retulit lectiones variantes e codice Dem. nescio quo a se excerptas, cum intermistis ipsius Scrimgeri conjecturis.

SECT. XVI.

De codicibus mstis Dem. quibus ego in hac editione usus sum.

Profligatis itaque his, quæ præmittenda videbantur, nunc tandem ad codices mstos devenio, quibus ipse sum usus, aut post alios, aut solus. Non erat animus initio Demosth. edere, sed solummodo animadversiones ad eum. Post editum quintum volumen animadversionum ad græcos auctores cum decrevissem sextum edere, dubitabam utrum in id animadversionum ad Constantini Porphyrog. Ceremoniale Byzant. reliqua, quæ nondum sunt typis vulgata, an animadv. ad Demosth. conjicerem. Sed videns Demosthenica non posse uno parvo volumine comprehendi, otioque carens illa Constantiniana recognoscendi et expoliendi, distuli in aliud tempus editionem hujus sexti voluminis, animumque totum ad Demosthenem ornandum conferre cœpi. Quare primum literis ad Oeffelium V. Ill. Consiliarium Serenissimi Electoris Bavariæ et bibliothecæ Electoralis, quæ Monachii dedicata est, præfectum, datis anno 1765. exeunte, rogavi, ut Demosthenis codicem Bavaricum ad me mitteret. Acceperam scilicet ab amico meo Cobero, qui nunc literas in gymnasio Budissano docet, cum paulo ante id tempus e peregrinatione Bavarica et Italica domum redisset, servari

Monachii codicem Demosthenis egregium, cujus copiam me facile impretaturum ab Oeffelio, viro mirifice humano et ad communicandum copias literarias, quibus abundet, facili. Neque fefellit me ista spes. Misit enim ad me Oeffelius, cujus benignitatem et officiositatem oratione satis prædicare non possum, mense Aprili A. 1766. codicem, de quo statim pluribus dicam. Hic codex primus est mstorum demosthenicorum, quibus usus sum. hic me cœpit docere rationem criticæ Demosthenicæ exercendæ, illius puta, quæ circa lectiones varias versatur e libris vetustis, seu mstis, seu impressis eruendas. Prosper in hac re successus animum mihi addidit plura præsidia hujus generis circumspiciendi. Cum itaque didicissem præstantiam membranarum demosthenicarum, quæ Augustæ Vindelicorum servantur, cum prædicatione aliorum, tum usu meo, rogavi virum celeberrimum Iacobum Brukerum, ut earum copiam mihi faceret. Dedit hoc precibus meis vir humanissimus, sed per errorem nescio quem, cujus tamen secundæ fortunæ gratiam habeo, factum est, ut pro membranis illis antiquis, codex aliquis multo recentior, quem *secundum* appello, ad me mitteretur sub exitum A. 1766. Defunctus labore eum conferendi, remisi, et denuo rogavi copiam illius antiquioris et præstantioris, quem anno pæne toto A. 1767, mecum habui. Remisso item hoc, simul tres Augusta ad me missi sunt, ii, quos *tertium*, *quartum* et *quintum* appello.

Hæ sunt copiæ codicum mstorum, quæ hanc mihi editionem adornanti ad manus fuere. Sigillatim nunc eorum quemque describam.

SECT. XVII.

De Augustano primo.

Ab Augustano primo, omnium nobilissimo, initium merito facio, qui quod nunc mihi ad manus non sit codices meos recensenti, id vero in primis ægre fero. Quicquid enim de eo dicam, e memoria repetendum est, quæ fluxa et labilis est. Codex est ille, qui in Catalogo Ehingerano p. 763. in Reusnerano p. 78. n. 2. sic recensetur *Demosthenis codex vetus cum commentariis Ulpiani, sed hinc inde mutilus et lectu difficilis.* Eadem pæne scripta erant a nescio cujus manu in primo folio illius codicis, cum absurda et ignominiosa hac nota, *qui codicem hunc tractet, pro thesauro carbones inventurum.* Quæ quicunque scripsit, quamquam vereor, ne Wolfius ipse scripserit, næ is ipse semet infamavit et stultitiam suam denudavit, de rebus incompertis temere judicans, et ea elevans, quorum præstantiam ipse suo usu non didicisset. Codex est in quarto pæne quadratus, spissus, totus membranaceus, et ab eadem manu, si decem folia exceperis a manu recentiore suppleta, exaratus, sæculo, ut

mihi videtur, X. aut XI. literis majoribus, lectu facillimis, perspicuis, planissimis, non multis abbreviaturis. Simillima est scriptura hujus codicis Augustani scripturæ codicis illius, cujus ectypon æri incisum exhibetur p. VI. Catalogi mstorum Bibliothecæ Venetæ D. Marci, n. XCIV. item scripturæ codicis Nicetæ Chirurgicorum Medicei, unde Antonius Cocchius specimen æri incisum exhibuit in fronte Chirurgicorum græcorum, prorsus eadem forma et magnitudo literarum, atque in Niceta; item speciminibus ex ære cælato expressis Catalogi mstorum græcorum Mediceorum a Bandinio editi, Tomi primi tabulæ tertiæ num. 2. tabulæ quartæ n. 2. tabulæ sextæ n. 5. ut alia taceam similia specimina ex ære expressa, quæ olim aliquando vidi passim, ut in Evangeliario quadruplici Blanchini. Continet pæne totum Demosthenem et nescio an olim tenuerit omnia, antequam mutilaretur. Compactus est a bibliopego germanico, tectus corio suillo, non in græcia ipsa, sed sæculo, ut videtur, decimo sexto demum. id quod patet e trajectione foliorum quorundam. Desunt illi p. 92. epistola Philippi, 621. in Stephanum orationes duæ. 638. or. in Evergum et Mnesibulum. 672. or. in Callippum. 726. or. in Neæram. 745. oratio funebris. 750. libellus amatorius. 758. procemia, et denique 777. epistolæ. deest quoque Aug. primo magna pars orationis in Bœotum super nomine a p. 577. 18. ad p. 579. 26. Ab initio mutilus est. Incipit a *κοπτόμενος* p. 14. 7. ad *ὀκνεῖτε ἐξιέναι* p. 17. 4 tum est lacuna usque ad p. 25. 14. ubi a *κατέλιπον* duo sunt folia procedentia ad p. 30. 15. hæ paucæ sunt reliquiæ superstites in parte prima Demosthenicorum operum. Supplevit autem deficientia pleraque manus recentior a p. 5. 8. inde usque ad p. 35. 7. decem foliis. Ab hac nova manu exarata appellare soleo in libro variantium *supplementum Augustani primi*. A p. 35, 7. inde reliqua omnia ad finem usque vetusta manus primigenia exaravit. In extremo fine codicis demum duo reperiuntur folia mirum in modum a vermibus corrosa, fumoque et pulvere sordidata et denigrata, ut vix legi queant a p. 4, 11. *ἡμᾶς πλεῖν* ad p. 6, 5. *τὶς οὕτως*. Orationes in hoc codice sese consequuntur non ordine vulgari, sed hoc: Philippicæ omnes, eodem ordine, quo in libris vulgatis. in Androtionem. in Midiam. in Aristocratem. pro corona. de falsa legatione. in Timocratem. in Leptinem. in Aristogitonem. in Cononem. in Calliclem. in Olympiodorum. in Dionysodorum. in Aphobum duæ. pro Phano. in Onetorem duæ. in Pantænetum. in Lacritum. in Nausimachum et Xenopithem. in Phormionem. in Zenothemin. pro Phormione. in Apaturium. *οἱ συμβουλευτικοὶ* (a p. 25. ad 130.) pro corona trierarchica, quæ oratio bis in hoc codice est scripta, locis inter se procul dissitis, et cum mirifica lectionum discrepantia, ut exempla hujus orationis e codicibus diver-

sarum editionum suvata videantur esse. universa posterius exemplum priori est emendatius. Sunt tamen loci quidam rursus in priore emendatiores, quam in posteriori. post illam orat. pro triearchica corona sequitur or. in Macartatum. in Leocharen. in Bœotum de nomine, tum de dote. in Spudiam. in Timotheum. in Nicostratum. in Phænippum. in Polyclem. in Eubulidem. in Theocrinem. in Evergum et Mnesibulum. Sed hujus adest solummodo initium. Ordo in digerendis oratt. Dem. spectatus ab hoc librario aut nullus est, aut certe parum diligens. Primo loco posuit Olynthiacas, tum philippicas, deinde publicas, quarum prima fuit ratione ætatis, et ab antiquis primo loco posita illa in Androtionem; denique privatas, sed privatarum rursus sunt aliquot classes, quas inter se permiscuit librarius Augustani codicis. Ingessit enim in medias τοὺς συμβουλευτικούς. Veteres, a quorum modo dividendi recessimus, ita solebant orationes Dem. distribuere, quæ distributio servata est in Bavarico codice, ut aliæ essent λόγοι ὀλυνθιακοὶ, alii φιλιππικοὶ, alii συμβουλευτικοὶ, alii δημόσιοι, alii παραγραφαὶ, alii ἐπιτροπικοὶ, alii ἰδιωτικοί. Quæ sint Olynthiacæ, quæ Philippicæ, cum constet inter omnes, nil attinet dicere, οἱ συμβουλευτικοὶ sunt περὶ συντάξεως. περὶ συμμοριῶν. ὑπὲρ μεγαλοπολιτῶν. ὑπὲρ ῥοδίων ἐλευθερίας. περὶ τῶν πρὸς ἀλέξανδρον συνθηκῶν. Orationes in causis publicis dictæ sunt, in Bavarico quidem codice hæc, et hoc ordine. κατὰ ἀνδροτίωνος. περὶ τοῦ στεφάνου. περὶ τῆς παραπρεσβείας. πρὸς λεπτίνην. κατὰ μειδίου. κατὰ ἀριστοκράτους. κατὰ τιμοκράτους. κατὰ ἀριστογείτονος. Epitropici sunt, seu de gesta sui tutela, oratt. duæ in Aphobum, pro Phano, et duæ in Onetorem. Paragraphæ seu exceptoriæ, quibus defenditur, causam ad forum omnino, aut ad hoc forum, non posse vocari, sunt hæ, in Zenothemin, in Apaturium, in Phormionem, in Lacritum, pro Phormione, in Pantænetum, in Nausimachum. Idiotici seu de causis privatis agentes sunt reliquæ omnes. Hic est ordo codicis Bavarici, non omnino limatus ille quidem, vetustus tamen. Melius tamen Augustanus, quod in capite privatarum causarum orationem in Cononem posuit. Solebant enim veteres, ut publicarum primam loco, non præstantia principem, facere Androtioneam, sic privatarum in capite ponere Cononeam, ut omnium ex hac classe nobilissimam. Hæc pauca de ordine orationum Dem. atque distributione in libris vetustis obtinente. Nunc redeo ad reliqua exsequendum, quæ de codice Augustano dicenda supersunt. Carebat plerumque spiritibus et accentibus. Rara apparebat manus correctrix. Locus unus a nova manu erat suppletus liquore viridi p. 673, 32. Paragraphis distinctæ erant orationes. indicium novæ paragraphi erat litera extra versum prominens, etiam in media voce. de quo more vid. Vales. ad Eusebium. plerumque non male distributæ erant hæ paragraphi,

interdum tamen etiam admodum absurde, in media sententia. crebræ aliæ, aliæ raræ. breves quædam, aliæ longiusculæ, ut sæpe nulla ratio appareret hujus in dividendo inconstantiæ. Ego tamen, ut de veterum ratione libros Demosth. distinguendi nobis constaret, servandas atque repræsentandas hac editione mea duxi illas distinctiones. Itaque paragraphorum initia, quæ erant in codice Augustano, designat editio nostra † apposita, ut paragraphos Bavarici § quæ sunt illis multo rariores. ubi uterque codex consentiebat in eadem distinctione, ibi ambo istæc signa sic copulavi §†. Scholiis oppleti erant margines, usque ad Timocrateam. nam posterioribus adspersæ, paucæ, et a nova manu, scriptura indocta, quæ legi non posset. Scholia hæc alia in Ulpianeis leguntur, alia in his desiderantur. Edidit ea Wolfius, sed pessima fide. Pro verbis Scholiastæ alienissima, a sana ratione et ab usu linguæ abhorrentia, pro lubitu, mira et immani licentia, non monito lectore, ingessit. quod facinus ei non ignosco, tametsi operam Demostheni ab eo navatam magni facio. Vix puto quemquam in ullum auctorem veterem tanta importunitate grassatum esse, ne P. Castellum quidem in Ammianum Marcellinum, quam grassatus est Wolf in hæc scholia. Fidem faciet editio nostra me rem oratione non exaggerare. Nulla ibi orationum argumenta, nisi in Olynthiacis, quorum varietatem enotare festinans oblitus sum. Iota quod nos subscribimus, ille Augustanus semper habet literæ ad latus adscriptum, ut e. c. *βουλῇ, ἀγορᾶι, ζημιωθῇι*, unde multarum mendarum origo potest explicari. Supplementum illud in Philippicis, quod in libro variantium supplementum Aug. primi appellare soleo, scriptum erat literis multo minutioribus, creberrimis compendiis, pallidiore atramento, in membranis multo tenuioribus et candidioribus, quam erant reliquæ. nam membranæ, quæ supersunt a vetusta manu conscriptæ sunt crassiores et subflavæ a vetustate. commata nulla sunt, sed ubique puncta, ut in plerisque codd. mstis quos vidi. plerumque dat *γίνεσθαι* pro *γίγνεσθαι*, *πάντα* pro *ἅπαντα*. *γινώσκειν* pro *γιγν.*

Δ

αἰεὶ pro *ἀεί*. Paucissima compendia scripturæ, ut *ω* pro *ὦ ἄνδρες*

Θ

δικασταί· ω pro *ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι*. terminationes *ων* et *ους* et *ας* et aliæ similes sæpe compendiis repræsentatæ. scholia contra scatebant compendiis, et erant lectu difficillima. unde nunquam me expedivissem, nisi Simon Fabricius præisset, cui debeo, quod istos mirificos ductus extricare potuerim. Fabricium hunc, quisquis fuit, quem aliunde, nisi per Wolfium, non novi, necesse est hominem fuisse doctum, et navum, et fidum, et mirifice laborum patientem. Sed fructu laborum et eum et nos fraudavit Wolfii dementia, qui in schedis Fabricii pro lubitu mutavit, ingessit, trunca-

vit, ut pæne furiosum, inconsultissimum certe, se gesserit, fidemque suam omnem everterit. Apostrophos amat ille codex ut ταῦτ' pro ταῦτα, ἐστ' pro ἐστὶ, etc. Leges et testimonia, formulæ denique pleræque desiderantur. Quo fit, ut nequeam Tayloro assentiri affirmanti Baroccianum et Parisinum primum, in plurimis Aug. pr. consentientes, ex eodem fonte haustos esse. nam quæ formulæ desunt Augustano, eæ sunt in illis. Lectionum hujus codicis vix tertiam partem dedit Wolf, seu quod Simon Fabricius eas prætervidit, seu quod Wolf, a Fabricio enotatas, expunxit, leves, et editione indignas judicans. Sæpe quoque falsas ei imputavit, quisquis fuit, seu Fabricius, seu Wolf, seu operæ Episcopianæ. Sæpe suum de illis judicium interposuit, non Fabricius, sed Wolf. Sæpe quoque suas conjecturas immiscuit. Conjecturas lectionis varietati Fabricianæ immistas, aut omnes, aut plerasque, a Wolfio profectas esse, documento est locus in orat. in Leocharem p. 613. 5. ubi in lectione Fabriciana et in annotatt. Wolfianis eadem profertur conjectura. Lectiones illas a Wolfio editas cum tractarem, sæpe fiebat, ut sedes earum, tametsi totis horis quærens, reperire non possem. Cœpit itaque me desiderium usurpandi hujus codicis, ut saltim scirem, quo lectio quæque referenda esset. Sed multo uberiorem tuli fructum hujus codicis, ut eo sum potitus. Statim enim mihi constitit, Wolfium seu nescisse eo recte uti, seu nil curasse, et alias secorditer, alias mala fide egisse. Quamquam egomet ipse vereor ne multa meam attentionem fefellerint, in ista festinatione. collationem enim hujus codicis ineunte Maio A. 1767. cœptam vergente Augusto ejusdem anni absolvi. neque fieri potest aliter. negatum est homini, ut omnia cernat, ut nihil eum fugiat, præsertim alio prælegente, ubi multæ soni similitudines in diphthongis, in literis ejusdem soni, ut ο et ω, δ et τ, aures fallunt; item si audias legentem ἀναλισκόμενον e. c. non possis aure internoscere sintne duo ista vocabula, ἂν ἁλισκόμενον, an unum solummodo. bona tamen fide asseverare possum me multo et copiosiorem et fideliorem dare codicis Augustani collationem, quam ad hoc diei habuimus Wolfii beneficio. Jam dudum ante mihi constiterat e Constantino meo, quam expediat, a diversis easdem membranas iterum iterumque excuti. Eum ante me cœperat edere I. H. Leichius V. C. et vita diuturniore dignus. Sed haud pauca in ea parte Constantini, quam edidit, temeraverat, alia omiserat, quod deprehendi exemplum typis excusum ad membranas ipsas exigens. Ab eo tempore cœpi colligere exempla librorum, qui cum essent e membranis primitus editi, si posteriores eos ad easdem membranas, unde essent editi, exegissent, multæ aliæ et multo meliores lectiones ex iisdem membranis essent prolatæ. Adeatur Fabricii B. G. T. XI. p. 119. fin. et 121. fin. de Prato in appendice secunda ad Sulpitium Severum protulit

varias lectiones ad vitam S. Pauli Eremitæ e codice msti Capituli Veronensis a se diligentius inspecto, meliores, quam ex eodem codice Vallarsius antea minus emendate edidisset. nobile exemplum dat locus Livii L. XLI. cap. 9. a Lambino emendatus, de quo, v. T. VII. Livii Drakenborg. p. 223. 224. Occurrit etiam simile quid Wetstenii prolegomena ad N. T. legenti. Sed locus e memoria excidit, neque nunc inquirere vacat. Quomodo codex hic Augustam pervenit? Haud constat. Conveniunt inter se plerumque Aug. pr. Paris. primus, Vindobon. Wolfenbuttel. Harleyanus, Baroccianus, in multis tamen rursus inter sese discrepant, ut non possint omnes ab uno eodem fonte manasse.

SECT. XVIII.

De Codicibus Augustanis reliquis.

Venio nunc ad Augustanum, quem secundum appellito, qui signatus erat p. 76. n. 11. Continet hic codex, primum Stephanum Byzantinum ex editione Aldi; tum Demosthenis Olynthiacas, Philippicas, suasorias, de corona, et de falsa legatione. Codex scriptus est circa idem tempus, quo Aldus Stephanum et Demosthenem edidit, verumtamen non ex Aldi exemplo impresso. multas enim tenet lectiones ab Aldino diversas. codex est notæ neque optimæ, neque pessimæ. me certe non pœnituit eum contulisse. Scriptus est in Italia a græculo quodam. Cœpi hujus collationem d. 1. Oct. 1766. absolvi d. 17. Febr. 1767.

Tertium Augustanum appello eum, qui Catalogi Reusnerani p. 77. n. 2. signatus est, et Olynthiacas et Philippicas pæne tenet omnes. nam in orat. adversus Philippi epistolam p. 90. 25. in voce *αὐτὸς* desinebat. codex non magni faciendus, ab indocto, supino et oblivioso librario exaratus, manu sordida: Scholia quædam adscripta passim erant in marginibus liquore rubro, sed ita pallido et evanido, ut legi nequirent. Orationibus quibusdam subjecta erant scholia ex Ulpianeis excerpta, atramento scripta, eodem tenore cum reliquo corpore orationum. Parum mihi profuit hic codex, qui nullas lectiones, bonas quidem, suggessit, quas in aliis non reperissem. Sed idem tanto mihi carior fuit, quod prima pars hujus codicis pleraque tenet Aristidis mirifice pleniora et emendatiora, quam sunt exemplaria vulgata hujus auctoris, unde studebo Aristidi quoque meliorem aliquando dare habitum, si vita suppetet, et deus cœpta fortunabit. Ambo auctores hi, Aristides atque Demosthenes, in Italia exarati sunt, circa tempora nascentis typographiæ, sed a

librariis diversis. Ille, qui Aristiden exaravit, fuit vir doctus, diligens, magnis, pulchrisque literis usus, et facilibus lectu, et ad legendum invitantibus, nisi quod atramentum pallidiusculum oculos fatiget. omnia sine scholiis.

Quartum appello codicem Augustanum illum, qui p. 78. Catalogi Reusnerani n. 8. signatus est, et nil nisi Demosth. or. pro Corona, et Aristidis Panathenaicam tenet. ejusdem ætatis, atque tertius, scriptus item in Italia, id quod charta prodit, medio aut vergente sæculo XV. grandibus literis, et similibus illis, quibus Aristides, de quo modo dicebam, exaratus est, a diversa tamen manu; neque idem librarius videbatur orationem pro corona exarasse atque panathenaicam. Etiam hic codex scholiis caret. Oratio pro corona convenit cum Aug. primo. contuli hunc codicem initio mensis Julii 1768.

Quintum appello Augustanum codicem p. 78. Cat. Reusner. n. 19. signatum, in quarto ordinario, a manu recentissima sæculi XV. exeuntis exaratum, minus pulchris literis, a librario indocto et mirifice supino, sed ex alio optimæ notæ ductus. Convenit cum Augustano primo pæne ad literam, nisi ubi mendis calami conspurcatus est, quibus scatet. Caret item hic scholiis. tenet orationes quasdam Demosthenis nullo delectu, hoc ordine. 1) Epitaphium Demosth. 2) Lysiæ funebrem. 3) Demosthenis duas in Aristogitonem. 4) or. in Calliclem. 5) orationes duas in Aphobum, primam et secundam. 6) orationes duas in Onetorem. Hæc a Demosthene, quorum collationem absolvi die 20. Maii 1768. Quamquam codex hic cum Aug. primo pæne in omnibus consentit, ut videri possit ex eo descriptus esse, nequit tamen inde sumtus esse, quia argumenta habet orationibus præfixa, quibus argumentis primus caret. Habet hic codex etiam alia aliorum, quæ conferre neque otium, neque animus fuit, hæc scilicet. 1) partem Promethei Æschylei. (usque ad p. 43. Henr. Stephani) cum scholiis interlinearibus et marginalibus. 2) odam tertiam Pyth. Pindari. 3) odam secundam Nem. 4) initium Olymp. Reliqua Pindari carent scholiis, præter initium Olymp.

Sextus codex Demosthenis Augustanus cujas sit et quid teneat, nondum novi, sed sciam, ubi potitus eo fuero. nunc enim adhuc eum exspecto. Signatus est in Catalogo Reusner. p. 86. sic: Demosthenis Olynthiacæ cum multis aliis aliorum.

SECT. XIX.

De Codice Bavarico.

Post codices Augustanos dicendum mihi superest de Bavarico, quem illustris vir Felix Andreas Oeffelius pro sua incredibili humanitate Monachio ad me misit, ejusque usum per tres annos et ultra mihi indulsit. v. Epistolam meam ad Oeffelium in fine voluminis quinti Animadvers. ad græcos auctores. Codex hic tenet quicquid hodie superest operum Demosthenicorum eo ordine, quem paulo ante exposui. Non est optimus, sed neque de pessimis, lectionem plerumque præfert Aldinam; sed hoc in illo codice est egregium, quod refertus est, varietate lectionum super versus et in marginibus scripta, spissius initio, rarius circa finem. Qua in varietate haud raro lectiones reperi nullo alio in codice a me deprehensas, easque non contemnendas. In una præsertim oratione, non succurrit nunc qua, hic codex ab aliis omnibus discedit mirificum in modum, plenior est, testimonia dat integra, quæ nostris vulgaribus libris desunt, ut plane ex alio fonte manasse videatur hæc oratio, quam vulgares editiones. Quæ res mihi perquam mira accidit, ut nequeam intelligere unde sic evenerit. Bavaricus plerumque plena et explicata dat vocabula, sine apostrophis, contra quam Augustanus primus, qui apostrophos amat. ut e. c. pro τοῦθ' οὕτω dat τοῦτο οὕτως. nam sæpe dat οὕτως cum ς etiam insequente consona. Exaratus est, teste Cobero meo, cui primam hujus codicis notitiam debeo, et qui oculis iisdem suis tam Monachii hunc Demosthenem, quam eroticos Florentiæ vidit, ab eadem manu, quæ Xenophontis Ephesii et Charitonis Aphrodisiensis codicem Florentinum exaravit, hoc est sæculo, ut existimatur, XII. aut XIII. literis minutis, sed elegantibus et perspicuis lectuque planis in charta bombycina, crassa, flava, per binas columnas. Habebat nonnulla egregia, et inventu rara vetustatis indicia. ut clausulas in fine orationum, non tamen omnium, sed earum solummodo fere, quæ primam et secundam classem ex distributione Wolfiana constituunt, quibus in clausulis indicatur numerus τῶν στίχων: constat hæc vel istæc oratio tot vel tot στίχοις. habet in marginibus item numeros capitum ex vetusta distributione, quæ capita signata erant literis alphabeti græci majoribus A. B. F. etc. In calce operis etiam has distinctiones veteribus usitatas in majora segmenta seu capita una in tabella repræsentabo, ad paginas nostræ editionis, cum absoluta fuerit. Habet item paragraphos, sed diverso modo divisas, atque in Augustano primo, quas paragraphos ego in editione mea signo § indicavi. Habet tandem et scholia duplicis generis. alia vetustiora, alia recentiora

Vetustiora initio perquam copiosa sunt, sed quo magis procedit opus, hoc magis decrescunt. In extremas orationes ad privatas causas pertinentes, pæne nulla sunt, et quæ sunt, ex Harpocratione sunt decerpta. In Olynthiacas autem, Philippicas, suasorias, de corona, et de falsa legatione, copiosiora sunt; multa habent inedita, in ipsa editione Parisina deficientia, quæ scholia habet editionum omnium locupletissima. quæ Bavaricus habet edita scholia, ea multo hic leguntur emendatiora, quam vulgo in libris impressis. Scholia recentiora a manu alia, pinguiori et minus eleganti adscripta sunt orationibus duabus, pro corona et de falsa legatione. Horum recentiorum scholiorum pleraque sunt inepta, luce publica indigna, a Moschopulo, ut mihi videtur, profecta. Sed in hac parte, quæ istas, quas dixi, duas orationes tenet, codex hic Bavaricus usu est maxime detritus, propemodum laceratus, et obscuratus, ut pæne dilabatur præ vetustate, et manuum sordibus. Tanto mundior est pars posterior, in qua sunt causæ publicæ et privatæ, ut pars hæc pæne intacta a manibus tractantium videatur. Sed ingens est in hac parte lacuna per plures paginas procedens. Jacuerat codex in loco humido. quo factum est ut pars quædam computruisset. hæc sarta postmodum est a manu recentiore, non inficeta quidem illa, minus tamen, atque vetusta est, eleganti, nescio unde. Post Demosthenem sequuntur Plutarchi vitæ parallelæ aliquot, ab eadem antiqua manu, illa scita et venusta, sed atramento pallidiusculo, ut ægre legantur. In extremo fine legitur Synesii disp. de insomniis cum commentario Nicephori Gregoræ, a manu scripta multo antiquiore, in chartis longe aliis, literis horridioribus, cum nescio quibus ex Aristotele fragmentis.

SECT. XX.

De codice Meermanniano.

Gerardus Meermannus, Vir et honoribus et meritis de Juris prudentia nobiliori illustris, e bibliotheca sua codicis demosthenici copiam mihi fecit, tenentis cum quatuordecim philippicis etiam duas adversus Æschinem. codex est in charta bombycina exaratus, manu, non illa quidem inelegante, sed indocta, superiori sæculo, ut videbatur, nescio quo e libro, non optimo quidem illo, exscriptus, quod cum mihi e collatione Olynthiacarum constitisset, obrutus aliis multis negotiis, cito remittendum duxi codicem ad dominum. Specimina tamen ejus in libello variantium dabimus. Gratia tamen humanitatis mihi in hoc codice communicando demonstratæ nihilo minor penes nos domino codicis manet, ac si omnium codex ille præstantissimus fuisset.

SECT. XXI.

De libro Weimarano.

INTERDUM affero quædam e libro Weimarano, de quo mihi paucis dicendum superest. Bartholomæus, V. C. Bibliothecæ ducali, quæ Weimaræ est, præfectus, vir perquam officiosus et humanus, cum audivisset me Demosthenis edendi cepisse consilium, ultro ad me mittebat mense Januario Anni 1766. exemplum editionis Aldinæ ex illa, cui præest, bibliotheca ducali, cui exemplo Aldino, quod olim penes Marquardum Gudium fuit, sed a C. S. Schurzfleischio, id quod manus ejus testatur, in bibliothecam ducum Weimarensium illatum, adscriptæ erant a duobus diversis, altero antiquiore, altero juniore, lectiones variæ, in quibus etiam nonnullæ sunt vulgatis emendatiores. Has appello *Weimaranum* simpliciter, seu *Weimaranum correctorem*, vel *annotatorem*. In fine hujus codicis hæc reperi annotata. *I. de Valcob Venetus M. Ianuario* 1592. *multas in hoc codice varias lectiones annotavit*. Idem ni fallor, in fronte libri hanc præscripserat admonitionem (*Multas in hujus codicis marginibus lectiones varias sic... notatas reperi. Alias addidi ex alterius librarii codice, quas ita signavi* 2. *ut a primis dignoscerentur. Si quam autem in hoc codice lectionem similem alterius codicis lectioni inveni, apposuimus numeros* 1. 2. *Paucæ item ex tertio codice ita signatæ sunt* 3.) Hæc illa manus nova, quæ mihi omnia sunt obscura et inexplicabilia. Nescio, quis ille fuerit *Valcobius*, nisi est potius Vulcobius. nescio qui fuerint ejus codices, quos numeris 1. 2. 3. distinxit. pleræque annotationes erant e secundo petitæ. quæ cum pleræque convenirent cum editione Pauli Manutii, cœpi suspicari eas e Paulina illuc translatas esse. Sed falsam fuisse hanc suspicionem ex eo didici, quod nonnullæ in illo libro Weimarano leguntur variæ lectiones, e secundo annotatæ, quæ non exstant in Paulina.

SECT. XXII.

De libro Lessingiano.

MISIT ad me Lessingius V. C. poeta nobilis Germanicus, fabulis multis scenicis, Laocoonte, aliisque insignibus ingenii monumentis nobilitatus, Hamburgo Aldinam, cui diversæ manus varias lectiones et scholia inedita, quorum pleraque in Bavarico item reperi, adscripsere; quæ quorum manus fuerint, haud constat, neque ullo potui deprehendere aut colligere indicio. similis est ille liber Pithœano,

quo usus est Sylburgius, seu quicunque appendicem Francfurtanam, a me sic dictam, curavit. Desinit illa collatio in versu secundo p. 520. editionis Parisinæ. Inde usque ad funebrem orationem nil annotatum ibi reperi.

SECT. XXIII.

De rationibus, quas secutus sum in edendo Demosthene, et commentariis in eum conscribendis.

Hæ fuere mihi copiæ ad manus editionem hanc Dem. adornanti, quibus copiis quomodo sim usus, dicendum mihi nunc est. Primum contuli hos codices manu exaratos, et has, quas dixi, typis vulgatas editiones cum editione Parisiensi, et quæ bonæ genuinæque viderentur lectiones, eas recepi, vetustioribus pravis lectionibus abrogatis. Bavaricum codicem et Augustanum secundum solus contuli, reliquos una cum uxore, Ernestina Christina Mulleria, Kembergensi, quam matronam pudicam et frugi, meique et literularum mearum amantem, in hoc opere industriam et solertem habui sociam. Studio mei, quo labores plurimos maximosque in hoc opere mihi tolerandos sublevaret, literas græcas et latinas me magistro cœpit discere, quarum rudis mihi in manum convenerat. Editiones Aldinam et Paulinam ipsa sola contulit. nec non codicem quartum Augustanum, In digerendis, mundandisque et impressioni accommodandis chartulis meis confusis operam mihi præstitit indefessam. cujus operæ ut ego ipsi maximas habeo agoque publice gratias, ita spero futurum ut ætas quoque et hæc nostra, et insecuturæ, memoriam ejus grata recordatione recolant. Pronuntiationi græcorum Erasmianæ cum eam adsuefecissem, prælegit illa mihi, codices mstos relegenti, exemplum Morellianum. Ita quoties occurreret varietas, quæ non plane spernenda videretur, eam enotavi. perfecta collatione cœpi lectiones illas omnes digerere, et unum in librum variantium conferre, quibus addidi eas, quas Taylori editio suppeditabat, nec non editio Wolfiana, et iudices Aldi, Manutii, Lambini. In hac opera, incredibile dictu est, quam molesta et tædiosa, plus annum consumsi. Ridebunt me imperiti, qui ærumnosam et miserabilem ipse mihi laborem literulas consectandi imposuerim. quos ego vicissim contemno et miseror usum et necessitatem hujus rei nescientes. Fundus hic est optimus et præcipuus emendandorum veterum auctorum. Editores veterum librorum hinc incipere debent. Prima hæc debet eorum esse cura, ut mstos codices veteres bonæ notæ, aut si his careant, vetustissimas saltim editiones primigenias inspiciant e mstis ductas, eoque his

sequiparandas. Mirum dictu est, quam turpibus modis posteriores editores a primariis edd. desciscentes, seu socordia, seu inscitia, seu ambitione, seu importunitate quadam critica, bonos auctores deformaverint, et vestigia bonarum lectionum, sine quibus auctores intelligi nequeunt, obscuraverint. Demonstrabit liber noster variantium, quid lectionum Demosthenicarum versetur in libris, quorum copia nobis fuit, et quid vetustas nobis tradiderit; tum quis primus vitium cuique loco intulerit; denique quis primus correxerit, aut quomodo vitium corrigi debeat. Hac demum ratione potest de veritate lectionis Demosthenicæ constare. Non minore religione tractari a nobis debent auctores profani, atque Novum Testamentum. qua de causa codices N. T. sedulo excutimus, eadem de causa etiam Demosthenis aliorumque, quotquot sunt, vetustorum auctorum codices inspici, earumque lectiones erui, et proferri par est, nam sola hæc est via veritatem historicam texti cujusque, sive sacrum, sive profanum est, e consensu multorum vetustorum probatæ fidei codicum demonstrandi. Sic cognoscimus origines errorum, sic modos emendandi, sic multa occulta vitia investigamus, sic corruptorum nequitias deprehendimus, sic laudem emendati aut vindicati cujusque loci auctori suo tribuimus. Ego equidem cum video strenua doctorum hominum opera aliorum post alios limatum Demosthenem et gradatim meliorem factum, ut nunc possimus eo cum aliqua delectatione, multo expeditius, atque majores nostri poterant, uti, veneror eorum manes, qui mei causa, quem non norant, nondum natum, innumerabiles suscepere labores, quorum neque numerum, neque magnitudinem cogitatione consequatur, nisi qui simili in pistrino desudaverit; parique modo spero futurum, ut grata posteritas memineri aliquando, fuisse Reiskium quendam, hominem laboriosum, qui, quo Demosthenem sibi in manus daret lectu et perceptu planiorem, emaculatioremque, nullis vigiliis, nulli operæ, nulli pecuniæ adeo, peperserit, multas commoditates spreverit, multas tædii plenissimas molestias ultro susceperit, sannas stultorum contemserit, jacturam rei familiaris, bonæque valetudinis bono publico lubens condonaverit, vires mentis et corporis impenderit ignotorum studiis, commoditati, delectationi. Doctorum hominum ad Demosth. animadversiones dum excutio, miror alias humani ingenii solertiam, et igneam vim, alias cœcitatem et infirmitatem. In emendationibus felicibus et pæne divinis cerno et mirabundus suspicio vim mentis humanæ, ex occultis vestigiis veritatem eruentis; rursus errantes in rebus obviis et notissimis, sibique prorsus dissimiles cum video, obliviosos, earum ipsarum rerum, quas nossent, alibique sæpe optime tradidissent, immemores, pueros pæne turpissime se dantes, recordor sortis meæ, miseratio me subit sortis mihi cum humano omni

genere communis, et ut præclara aliorum inventa lubens et gestiens commemoro, collaudo, deprædico, sic lapsibus eorum facilis ignosco. Quam eandem æquitatem ab aliis quoque mihi et deposco et spe præcipio, meoque mihi jure despondeo. Contumeliis qui me afficient, probra in me qui conjicient, Adrasteam illi haud effugient. ut neque Toupius effugit. Juvat enim hunc præ cæteris e. c. commemorare; cum quod recens sum a lectione Emendationum, quas in Suidam edidit; tum quod fama viri, his in terris nostris magna, veræque ejus laudes, quas ultro ipsi defero, neque obtrectabo, non sinunt me adversarii tam nobilis pudere. Aliorum enim, minutorum catellorum, ignavorum et imbellium latratus, facile ferat Molossus et contemnat. Quamquam ægerrime fero, a juvene (nam juvenem ista scripsisse Toupium tota scriptionis ratio prodit, produnt mores nimis denudati) summos viros, Scaligerum, Casaubonum, Salmasium, Hemsterhusium, Ernestium, intolerabili et pœnis civilibus digna linguæ protervia proscindi, rem tamen hanc meam non facio, viderint ipsi, aut eorum vindices, quas maledicentiæ pœnas ab homine vano, et arrogantiæ pleno repetant, scurra pœne dixerim. Quid enim aliud quam scurrilitatem nominem, quum me sit vestes alienas pro more meo commaculasse. Quo ille ferat animo si ego illi probrum, quod optimo jure possim facere, si velim, in os regeram? Vix pagina sit totius libri, qua non veterum auctorum vestes pro more suo commaculaverit. Id quod, si necesse sit, facili negotio possit demonstrari. Tune mihi scabiem tuam exprobrabis? Homo sum, neque me fugit προπέτειαν criticam labem esse mihi cognatam et intimis fibris infixam. Sed tu, qui eodem morbo laboras, cur te non respicis? cur lapsus meos exagitas, bene a me traditorum, τῶν κατορθωμάτων, immemor? Peram cur excutis ante pectus positam, posticæ oblitus? Sedulitatem agnosco tuam, et felicitatem, in fontibus glossarum Suidæ investigandis. Felicissime rem geris, ubi ex ipsis cubilibus glossarum, et aliorum auctorum comparatione emendare licet. Ubi autem ingenio gerenda res est, ibi turpissime ruis. Hominem profecto tui ordinis, clericum enim te esse titulus libri tui indicat, non decebat thrasonem agere de lupanari adhuc calentem; veneris vulgivagæ mysteria ἐξορχεῖσθαι, summa ingenia de ponte quasi dejicere. Nihil profecto minus convenit viris humaniores literas professis, quam in alios bene de literis mereri satagentes, et tantum præstantes, quantum pro re nata possunt, modis inhumanis sævire. Sed hæc obiter. Ad rem præsentem redeo. Segregavi, secus quam Taylor fecit, variantes ab animadversionibus. In his quicquid in texto Parisinæ editionis mutavi, sedulo indicavi. Simpliciter cum dico, *correxi*, aut *dedi*, certi velim sint lectores, id ex antiquis libris, sive editis, sive manuscriptis, sumtum esse. unde sumtum quodque sit, docebit liber va-

cantium. Si quid autem de meo sensu et arbitrio mutavi de vetusta lectione, id sedulo indicavi, addendo *de mea sententia*, aut *de meo sensu*, aut *arbitrio meo*, aut *sponte mea*, aut simile quid. In ipso texto ejusmodi locis de meo arbitrio mutatis affixi stellulam, quæ insistere paulisper et addubitare lectorem, et quærere jubeat, et exspectare, donec prodierit noster animadversionum demosthenicarum liber, priusquam judicio suo me confodiat. Haud me fugit magna me laborare invidia, atque infamia ideo, quod auctores veteres conjecturis meis, ut clamant, contaminem. Haud equidem infitiabor, fieri aliquando, ut importunitate quadam mea labis aliquid vetustis auctoribus adspergam. Humanum hoc est. Negari tamen rursus nequit, ringat licet et rumpatur invidia, me multo plures locos gravissime affectos et desperatos in Petronio, in Theocrito, aliisque, si quos edidi, (qui pauci sunt) sanasse feliciter. Non primus ego edo auctores, sed post multos alios, e quorum editionibus vetusta lectio revocari potest, per me licet, ab insecuturis editoribus, si quibus lectio mea displicebit. Ubicunque facinus hoc audeo, toties ipse ego id moneo; non furtim, non clam, non tacite æra mea auro vetusto substituo, ut Stephanus, ut Wolf,* ut Itali longe plurimi fecerunt, ut Bentleius, ut editorum, qui hodie veteres auctores recudunt, pæne nullus non; quos, si me hoc crimine urgebunt, reos ejusdem contra agam; sed Petronio, sed Theocrito, sed huic ipsi Demostheni tabulam addidi mutationum mea sponte importatarum, e cujus inspectione statim agnoscatur quid a me sit profectum, quid e libris. Periculi nihil ab hac mea ratione imminet. Sæpe rideo mecum et miseror nostrorum hominum stultitiam, qui veram manum Evangelistarum et Apostolorum, veram Tullii, veram Demosthenis, veram Plutarchi, veram Petronii, veram Theocriti se tenere existiment, cum editionem Bezæ, Gronovii, Wolfii, Stephani, Burmanni, Heinsii teneant, ignorantes quam multa sint ab illis secus prodita, atque in vetustis libris legatur, quam multas plagas illi suis auctoribus imposuerint. Securi illi indormiunt lectionibus ejusmodi falsis et commentitiis, pro iis tanquam pro aris et focis dimicant, pro oraculis eas habent cœlitus demissis, in iis interpretandis misere se torquent; sanguinem citius, quam eas lectiones, dimiserint; nescientes illas e cerebro critici alicujus furis, aut impostoris natas esse. Inspicerent modo vetustos codices mstos impressosve, viderent suum errorem, viderent sibi ab aliquo typotheta aberrante, aut aliquo grammaticastro ineptiente aut cerrito, aut ab aliquo cal-

* *Disces, quam misere Wolf totam orationem* (in Neæram) *funestarit.* (conjecturis sempe suis in textum immittendis) TAYLOR. ad p. 733, 35. ? Et nihilominus tamen textum Dem. Wolfianum etiam principibus in literatura græca viris purus putus est Demosthenes, qualis ex ipsius auctoris manu prodiit. Hem sapientiæ!

lido impostore, falsos numos a se cusos, falsa signa a se facta, pro veris antiquis venditante, illudi. Ego vero homo simplex, antiquæ fidei, si quid tale patro, sublata voce clamo: *Huc adestote. hoc meum est, hoc olim fuit. spectate nunc, et probate utrum mavultis.* Miseret me hominum nescio ignaviæne dicam an calliditatis, qui ex eo gloriolam captent, si vetustum aliquod exemplum auctoris alicujus typis excusum cum typographis in manus dedissent recudendum, tametsi non recognovissent, tamen nomen suum præscribant, editores se gerant. Mentiris quisquis es, qui emtoribus sic imponis. Editor tu non es, sed auctor fuisti typographo recudendi, nomen tuum bibliopolæ vendidisti, quo vendibilior merx recocta esset. Typothetæ majores habeamus editionis ejusmodi, quam tibi, gratias. Editor is demum est, qui, nulla ductus auctoritate quamvis magni nominis, textum ad membranarum et primigeniarum e membranis ductarum editionum fidem veritatemque revocet, et ubi hæc adminicula sanandis vitiis haud sufficiant, tum demum ab ingenio aut suo, aut alieno, qua pote, opem petat.

SECT. XXIV.

De ratione Demosthenis e comparatione cum aliis auctoribus emendandi.

Sed pæne oblitus eram fontis, qui unus adhuc superest commemorandus, unde Demosthenes emendari potest. Auctores hi sunt veteres, grammaticique et lexicographi, Demosthenis locos sæpissime excitantes. Hi sunt Dionysius Halicarnassensis, Aristides, Athenæus, Hermogenes, et omnes ejus interpretes veteres, Etymologus et totus grex scholiastarum, criticorum, philologorum veterum. Fontem hunc quanquam adhucdum adire mihi per angustias temporis aliasque curas non licuit, (tametsi haud perfunctorie Dionysium Halicarnassensem et Aristidem cum Demosthene contendi) et quamquam ingenium mihi a natura contigit ab hoc genere diligentiæ abhorrens, quod in lectitando, et annotando et conferendo inter se locos similes cernitur; et quamquam fons hic pæne inexhaustus est, ut contentionem humerorum quotvis vel fortissimorum tamen vincere videatur, etiamsi diu noctuque sine intermissione illinc hauriant: dabo tamen operam in utroque libro, et variantium lectionum, et animadversionum mearum, ut etiam hunc fontem neque ignorasse, neque devitasse aut insuperhabuisse videar, tametsi magnam materiam hujus generis postventuris intactam relinquam. Demosthenem edere pro dignitate rei, perinde atque Homerum,

Platonemve, non est unius hominis, non, pœne dixerim, unius ætatis. ἐρανιστὰς (qua similitudine delectatus est Demosthenes) nos esse par est. Symbolam quisque suam conferat, nulla cum invidia, nulla malignitate, nulla virulenta bonæ voluntatis insectatione literis noxia, ut quæ contentionem ad laudem reprimat, et, velut gelu progerminantes gemmas, adurat. accipiamus potius quicquid est, quod quisque dat, aut cum indulgentia, aut, si res patitur, cum laudibus et grati animi testificatione.

SECT. XXV.

De lexicis rhetoricis.

Hoc de fonte demosthenicarum seu emendationum, seu explanationum, quod dicam, habeo parum. Præter Harpocrationem ejusmodi lexica penes me nulla sunt. Dignus quidem nova editione est Harpocratio, recepique a me edendum in illo programmate, quo nuper de meo conatu Demosthenem cæterosque rhetoras græcos edendi significabam; quod programma non modo Belius, V. C. Actis Eruditorum Lipsiensibus curavit inseri, sed etiam Harlesius, V. C. orationi Demosthenis pro Corona a se editæ subjecit. Sed ab hoc quidem me deduxit consilio auctoritas Ruhnkenii, V. C. ostendentis, Harpocrationis exemplarium in tabernis librariis tantam superesse copiam, ut nova ejus editione facile careatur. Cujus in auctoritate eo sum libentius, quod a tractatione grammaticorum, quo in numero cumprimis sunt lexicographi, animus mihi nunquam non refugit. Est quidem penes me Photii quoque Lexicon rhetoricum. Sed ab hoc quoque edendo complura me absterrent; in his vel maxime incredibilis mendarum numerus, quibus obsitum est exemplum, unde exscriptum est meum. Quas mendas et numero et fœditate tam abnormes, ut res fidem superet, sic in medio poni, haud videtur e re literarum esse, nisi si quis velit materiam dare, in qua ingenium felix et navum elaboret, aut de qua grammatici contendant: eluere autem illas mendas, neque ingenii, neque otii mei est. Alia sunt, quæ et malim agere, et felicius acturus videor. Tum haud scio, quo me sit animo laturus ille vir humanissimus, qui copiam sui Photii mihi fecit, si ipso inscio, nescio an invito etiam, lexicon hoc edam. Adde quod Photius in exponendis glossis comicorum et tragicorum, quam rhetorum, sit diligentior atque copiosior; eoque minus instituto meo accommodatus. Quare provincia hæc, cum multis aliis, futuro, quisquis secundum me erit, Demosthenis editori reservata maneto integra, lexico rhetorico eum, ejusque sodales instruendi.

SECT. XXVI.

De indicibus aliisque.

Indicibus instruam, a me confectis, ad paginas editionis meæ accommodatis, et Demosthenem, et ejus sodales, historicis, geographicis, legum, vocabulorum et dictionum, nec non rariorum, cuique propriarum locutionum. Demosthenis indices volumen unum separatum implebunt. In reliquos oratores quos confeci indices, hi suis quique autoribus subjicientur. Ad reliquos oratores quæ mihi parata sint subsidia critica, in præfatione ad eos exponam. Volumen secundum Demosthenis, quod ante exitum autumni, quem proximum exspectamus, e prælo proditurum spondeo, complectetur orationum classem quartam, prout Wolfius divisit, in causis privatis plerasque versantes. subjicientur illis 1) dedicationes et præfationes editionum superiorum Demosthenis omnium, h. e. Aldi, Feliciani, Pauli Manutii, Wolfii, Lambini, Taylori. 2) collatio paginarum nobiliorum editionum Demosthenis Aldinæ puta, Wolfianæ Basileensis, Wolfianæ Francfurtanæ, et Parisinæ, cum nostra. Commentariis Wolfii præfigam Biographiam, seu expositionem de fortunis ejus, rebusque ab eo in literis gestis, ab ipso copiose conscriptam; in qua multa scita sunt ad melius cognoscendam litterarum conditionem, quæ illo erat sæculo, quod Wolfium tulit. Nunquam lucem vidit opusculum hoc, qua dignissimum erat. Copiam ejus mihi fecit Iacobus Bruckerus, V. C. cujus egregiam operam fidemque in ornando Demosthene meo mihi approbatam satis prædicare verbis non possum. Taylori demosthenica, et quæ edita sunt ab ipso adhuc superstite, et quæ in adversariis relicta, ubi nactus ero ab Askewio V. C. reddam omnia. Materia critica peculiari volumine dabit collationes librorum Demosthenis et calamo exaratorum, et typis æneis excusorum. Commentarii mei peculiare item volumen implebunt. Hæc est descriptio mei operis.

SECT. XXVII.

Accessiones præfationis.

Facerem hic præfandi finem, nisi intervenissent nonnulla, quæ me pene fugerant, de quibus tamen admoneri lectores meos, diligentiusque doceri par esse judico. Debebant quidem omnia suis locis ordine enarrata fuisse. Sed præfationem hanc non maturatam

diuturna meditatione, neque satis digestam esse, sed subito ex adversariis effusam, tametsi non dicerem ipse, quod sæpe facio, ipsa tamen satis proderet. Sic autem scribenti non omnia loco suo succurrunt. Agam itaque hoc præfationis supplemento primum de discrimine, quod utramque Demosthenis editionem Aldinam, vetustiorem et juniorem, intercedit; tum de editione Feliciani; post de codice Augustano sexto, qui nuper demum, mense Martio hujus anni 1770. ad me perlatus est. Addam tabulam, qua divisiones orationum demosthenicarum exhibebo, quibus veteres utebantur, e codice Bavarico; tum aliam tabulam locorum, quos arbitratu meo ex ingenio meo aliter exhibui, atque leguntur in libris vulgaribus; tertiam denique, qua lectiones a Wolfio, Tayloro aliisque excogitatas, et a me in textum receptas, repræsentabo. Postremo loco nomina edam eorum, qui pecunias in hunc primum operis mei tomum in antecessum erogare voluerunt, quos vulgo Prænumerantes appellant.

SECT. XXVIII.

De discrimine utriusque Aldinæ.

Supra p. cxlix. præfationis affirmavi, judicium præcipitans, re non satis explorata, ambas Aldinas paginarum et versuum numero inter se convenire. In quo me falsum fuisse, aliosque imprudentem fefellisse, me docuit postmodum diligentior utriusque inspectio. Dissentiunt enimvero illæ duæ editiones inter se, non in lectionibus modo, sed etiam multis aliis rebus. Tædiosum sit exempla ejus rei multa proponere; juvat tamen quædam observatu faciliora et in oculos statim incurrentia signa edere, eorum in gratiam, si qui aut vetustos libros coemere amant, aut historia nascentis artis typographicæ delectantur, aut criticam exercent. Quibus haud injucundam fore spero hanc de Aldina Demosthenis dissertationem. In ipso statim titulo insignis et evidens conspicitur discrepantia. Compendii causa vetustiorem appellabo A. juniorem B. In A. itaque versu primo litera tertia vocabuli λόγοι exarata est sic ſ (ut Γ minus referat) in B. autem γ. Versu secundo legitur in A. αὐτοὺς in B. αὐτς. Sed uterque delphinus inprimis est dissimillimus. et tædiosum sit, neque facile fiat, ut oratione demonstrem illam discrepantiam; oculis potius utrumque subjiciam ligno incisum, ab Hafio, Halense Suevo, solerte artifice, qui etiam exempla typorum Aldino-

rum, statim subjicienda, a me rogatus, ligno incidit. Est itaque Delphinus Aldinæ vetustioris hic.

Junioris autem delphino hæc est forma.



Typorum quoque ut specimen haberent harum rerum amantes, delegi ei rei initium Olynthiacæ primæ, omissa prima littera α quæ est in area vacua seorsim posita; quia latiores sunt paginæ Ald. (ut quæ formæ sint in Folio, ut vulgo appellant) quum hæ nostræ in octavo. Typorum formam, qua potuit, artifex meus imitatus est, non ille quidem per omnia felicissime neque fidelissime, ut qui græca non calleret, sic tamen satis, ut saltim, id quod volo, discrimen utriusque editionis appareret. Initium itaque Olynthiacæ primæ in exemplo vetustiore hoc est.

Νπὶ πολλῶν οὖν ὧ ὦ ἄν ἅπ ἐ ἀ ἀ ἅπ ἐ ἀ ἀ ἅπ ἐ ἀ ἀ

SECT. XXIX.

De editione Feliciani.

Sub exitum anni superioris 1769. hanc editionem ad me misit Strasburgo vir illustris, Brunckius, Consiliarius Regis Christianissimi. (Conseiller de Cour, Receuveur des Domaines, et Commissaire de Guerre) cujus voluntatem mihi Stoeberus V. C. conciliavit. Raram, eoque summi faciendam in viro illius ordinis peritiam græcarum literarum studiumque earum incredibile, non possum hoc loco sine prædicatione quadam mea, qua ille non indiget, transmittere. Magnum a Brunckio meo decus acceptura sit Anthologia græca, cujus ille studio imprimis tenetur, si per alias graviores occupationes illi liceret animum expoliendæ huic græcorum epigrammatum collectioni adjicere. Nondum quidem mihi licuit ne hujus quidem præstantissimæ editionis lectiones penitus cognoscere, neque in sylvam meam referre. Sed antequam illa sylva typographo excudenda in manus tradatur, curabo ut hujus quoque lectiones fideliter excerptæ illuc referantur. Universe videor mihi observasse, verum esse, quod affirmavit Taylorus, quæ bonæ sint in editione Pauli Manutii lectiones, eas omnes e Felicianea mutuo sumtas esse. Est præterea hæc Felicianea et chartis incusa splendidioribus, et typis grandioribus, atque nitidioribus. id quod vel inde constet, quod Felicianeæ volumen primum tenet folia 181. secundum 364. tertium 369. Paulinæ autem volumen primum tenet solummodo folia 122. secundum 248. tertium 249. Quibus e libris Felicianus Demosthenem Aldinum emendaverit, et quo delectu, quid quoque loco aut in libris a se repertum, aut a se suo marte excogitatum et Demostheni donatum esset, incertos de eo nos esse voluit; quæ magna, neque ferenda est, seu secordia, seu levitas et neglectus personæque et religionis suæ, qua editor quisque vetusti cujuscunque auctoris, et ipsi auctori suo, et emtoribus atque lectoribus editionis suæ obstrictus est, seu contemtus posteritatis et judicii publici, existimationem ipsius editoris lædens, et emtoribus, quotquot ille sibi sperat futuros, molestus, eosque fraudans fructu laboris, quem in adornanda editione sua exantlavit. Perlegi aliquoties et dedicationem et præfationem Feliciani, sed in neutra vel verbum hac de re, quæ est homini critico multo gravissima, et in qua summam rei ille collocat, reperi; præter istæc pauca et vaga, quæ dedicationem exordiuntur. "Cum superioribus diebus, Abbas Clarissime, Demosthenis — orationes collectis quibusdam antiquis codicibus recognoscendas suscepissem, quo ad studiosorum utili-

tatem castigatiores aliquantulum excuderentur, memini ex te audivisse —" Inde orsus evagatur in locos communes, dudum protritos et ad fastidium declamatos de laudibus eloquentiæ ipsiusque Demosthenis. quibus adjungit quædam de sua cum Francisco Lauretano, Abbate Divæ Mariæ Vangaditiæ, cui Francisco Demosthenes Felicianeus inscriptus est, et cum istius Francisci fratre, Antonio, necessitudine. Quæ omnia ad nos nil pertinent. Quæ autem ipsius, qui editor esset, personam decebat nos docere, et quæ nostra quam plurimum intererat nos ab ipso, qui unus omnium optime nosset, et solus nosse poterat, doceri, ea vero nos celavit. In quo et ipse suis, et lectorum pariter commodis offecit. Sed sic ferebant ista tempora, quæ eum tulere.

SECT. XXX.

De codice Augustano sexto.

Miserunt ad me nuper Augustanæ reipublicæ proceres, qui publicæ suæ bibliothecæ præsunt, ad me codices græcos calamo exaratos numero sex, in quibus est volumen spissum, formæ quadratæ, particulam exiguam Demosthenis tenens, tres Olynthiacas puta, Philippicam primam, epistolam Philippi, et de pace. Nondum vacavit hujus codicis lectiones examinare. Sed exhibebo has quoque in materia critica. Miscellaneus est codex a multis collatus, quod diversæ manus testantur, exaratus in Italia sæculo XV. exeunte, aut XVI. ineunte. Nescio an Pirkhaimeri quondam fuerit, quem suspicor ex illo codice primum Theophrasti Characteres edidisse. Longum sit singula commemorare, quæ hoc volumine continentur, opuscula. Brevibus exsequar. Sunt ibi epistolæ, quas Aldus edidit, Attici fragmenta pro Platone, quæ servavit Eusebius, Georgii Scholarii, Gemistii Plethonis, Andronici Callisti, Bessarionis, Ioannis Saguntini, Michaelis Pselli, Libanii, Juliani, Luciani, Synesii, Theophrasti, Aristotelis, Platonis, et nescio quorum fragmenta. Tumultuarie eum pervolutans reperi epistolam Juliani, quæ in collectione Spanhemii est 58. p. 443. pleniorem exemplis vulgaribus. Sed illam epistolam integram dudum edidit Muratorius, unde repetiit Fabricius Bibl. Gr. T. VII. pag. 84. Alias quinque ineditas Juliani epistolas ibidem reperi, quas Wyttenbachio meo, futuro Juliani restauratori, reservo.

SECT. XXXI.

Indices aliquot.

ADDAM nunc indices tres. Primum, divisionum majorum, quas codicis Bavarici margines exhibent, literis alphabeti græci majoribus notatas. Codex ille duplex genus divisionum exhibet; minorum, quas in ipso texto reddidi, ubi signum hoc ∫ conspicitur; tum majorum, quas nunc simul omnes hoc loco repræsentabo. Lacunas hujus laterculi si qui deprehendentes mirabuntur, monendi hi sunt, in ipso codice literas quasdam desiderari, a librario per imprudentiam omissas, alias a bibliopego chartulis agglutinatis obliteratas esse. Brevioribus orationibus ejusmodi notæ literales adscriptæ erant nullæ. Clausulas orationi unicuique, exceptis iis, quæ ad causas privatas pertinent, in isto codice subscriptas, indicandi numeri versuum ergo, quot versus olim veteres orationi cuique imputabant, quo de more satis e Diogene Laertio constat, illas clausulas in materia critica exhibebo.

I. Conspicitur itaque in codice Bavarico e regione verborum, quæ p. 66. editionis nostræ [Reiskianæ] versu 9. leguntur signum A. 72. 4. B. 80. 3. A. 83. 12. B. 94. 17. A. 96. 22. B. 103. 3. Δ. 113. 25. A. 117. 3. B. 120. 20. Γ. 124. 15. Δ. 127. 27. E. 135. 13. A. 137. 22. B. 140. 26. Γ. 144. 7. Δ. 147. 16. E. 150. 20. Z. 155. 17. A.

In oratione pro Corona. 232. 13. B. 238. 13. Γ. 240. ultima Δ. 245. 5. E. 254. 20. H. 259. 7. Θ. 268. 13. K. 271. 22. Λ. 275. 17. M. 279. 18. N. 285. 19. Ξ. 294. 13. Π. 297. 16. P. 300. 21. Σ. 304. 2. T. 307. 7. Υ. 310. 19. Φ. 313. 25. X. 317. 2. Ψ. 320. 10. Ω. 322. ult. A. 327. 5. B.

In oratione de falsa legatione. 343. ult. A. 355. 4. E. 358. 16. Z. 361. 12. H. 364. 7. Θ. 369. 2. I. 371. 5. K. 373. 5. Λ. 376. 2. M. 379. 4. N. 388. 8. Π. 400. 13. Υ. 403. 4. Φ. 406. 21. X. 409. 22. Ψ. 415. pen. A. 419. 17. B. 426. 26. Δ. 433. 2. Z. 436. 2. H. 438. 27. Θ. 444. 6. K. 447. 1. Λ.

In orat. in Leptinen. 460. 11. A. 466. 24. Γ. 469. pen. Δ. 473. 2. E. 479. 12. H. 482. 16. Θ. 485. ult. I. 489. 3. K. 492. 9. Λ. 495. 11. M. 498. 18. N. 505. 5. O. 508. 8. Π.

In orat. in Midiam. 527. pen. Δ. 538. 24. H. 542. 9. Θ. 546. 10. I. 549. 18. K.

In orat. in Androt. 596. 12. A. 602. 24. Γ. 605. pen. Δ. 609. 6. E. 612. 15. Z. 615. 24. H.

In orat. in Aristocratem. 627. pen. B. 631. 6. Γ. 634. 15. Δ.

647. 18. Θ. 651. 3. I. 654. 9. K. 657. 19. Λ. 660. 24. M. 663. pen. N. 667. 2. Z. 673. pen. Π. 676. 23. P. 680. 3. Σ. 683. 13. T. 686. 11. Υ. 689. 22. Φ.

In orat. in Timocratem. 703. 17. A. 705. 17. B. 711. pen. Γ. 715. 10. Δ. 722. 14. Z. 725. 19. H. 728. 22. Θ. 731. 26. I. 738. 18. Δ. 741. 26. M. 744. 1. N. 746. 18. Z. 752. 8. O. 755. 13. Π. 761. 22. Σ. 764. 25. T.

Ad duas in Aristogitonem nihil harum literarum dabat margo Bavarici. ad orationem in Aphobum tertiam, seu de falso testimonio, has duas solas literas A. p. 514. 19. edit Paris. et B. ad p. 515. 33. ad reliquarum insequentium omnium nullam harumce literarum quicquam vidi.

II. Index lectionum earum, quæ in editione Parisina a Morello et Lambino curata leguntur, sed a me permutatæ sunt aliis a me marte meo excogitatis. Prior quæque lectio est ea, quam Parisina exhibet editio, posterior mea conjectura in istius veteris lectionis locum suffecta. Indicem hunc qui conspicient, eos ita de me nolim ignominiose et abjecte existimare, ut suspicentur, aut calumnientur, hoc quasi tropæum vanitati meæ a me esse erectum, ostentandi ingenii ergo, et nescio cujus in emendando, seu felicitatis, seu ubertatis. Injuriam equidem istam modis omnibus deprecer. Volui tantummodo meam in edenda Demosthenis oratione græca fidem atque religionem, censoribus mei, lectoribus Demosthenis, et inprimis futuris ejus secundum me editoribus approbare, copiam ipsis faciendo, novas lectiones a me profectas cum vetustis comparandi, et, utra præferenda sit, judicandi; ne locus esset calumniæ, aut querelæ, subdole et malitiose secum actum esse, si qui sint, qui vetustiore quapiam Demosthenis editione careant, aut opera eam inspiciendi graventur. Multo his plures emendationes meas reservavi commentariis.

Pag.	versu	[nostræ edit.]
7	7	ἥπερ αἰεὶ βέλτιον ἢ ἡμεῖς ἡμῶν αὐτῶν ἐπιμελούμεθα] ἡ γὰρ αἰεὶ βέλτιον, ἢ ἡμεῖς ἡμῶν αὐτῶν, ἐπιμελουμένη.
36	12	πρῶτον] πρώτων.
57	12	τρέψεται] δρέψηται.
75	8	οὔτε] οὐδέ.
78	1	ὥστε] σῶς τε.
85	20	ὧν] σύς.
86	16	αὐτοὺς] αὐτός.
88	5	νομίζειν] νομίζων.
89	6	ὑπείληφεν] ὑπειληφώς.
94	8	νῦν de meo addidi, item
96	11	τότε, item

Pag. versu

103 1 *οὐκ.*
113 14 *εὐθενεῖν*] *εὐθηνεῖν.*
117 12 *ὑμᾶς*] *ὑμεῖς.*
— 15 ἃ de meo addidi, item
118 13 *δεῖ.*
122 16 *τούτων*] *τοῦτον.*
123 27 *πρότερον δοὺς ποτίδαιαν ἐξηπάτησε*] duo postrema vocabula transposui.
— — *ὑπάγει*] *ὑπάγεται.*
128 6 *ἅπασι*] *ἃ πᾶσι.*
130 5 ὡς addidi.
132 27 *εἴ τι γένοιτο*] *εἰ γίγνοιτο.*
133 9 *δυνήσεσθε*] *δυνήσεσθαι.*
137 2 *ἄξιος*] *ἄξιον.*
149 7 *αἱ* addidi.
158 26 *φροντίσας*] *φροντίσαι.*
163 9 *τὸν*] *τῶν.*
— 12 *φάσκοντα*] *φάσκειν.*
— 18 *σύμπαντας*] *πένητας.*
164 9 *ὅταν τὸ ἀπὸ τῶν κοινῶν ἔθος*] *ὅταν ἀπὸ τῶν κοινῶν τὸ ἔθος.*
— 16 *τούτων*] *τούτῳ.*
172 17 *καί τις ὑπὲρ Φιλίππου*] pronomen omisi.
174 5 *πρέσβεις καὶ τοῖς ἄλλοις*] omisi *καί.*
— 8 *ὑπομνήματα*] *ὑπόμνημα.*
179 10 *ὑμᾶς*] *ἡμᾶς.* Sufficiat hoc loco semel pro semper monuisse, me quamplurimis in locis auctoritate mea ista duo pronomina *nos* et *vos* inter se permutasse. Satis dignum non duxi, quoque loco, ubi feci, id indicare.
184 21 *ὅταν μέγιστα*] interposui *τά.*
195 7 *οὐκ* de meo addidi.
— 11 *πράττητε*] *πράττηται.*
198 7 *τάλαντα τὴν*] interposui *τά.*
200 1 *λόγον, ὃν μέλλω*] *λόγον μέλλων.*
— 15 *χρησμῳδοῖεν*] *χρησμῳδοί.*
— 16 *εἰσενέγκαιεν, ἀλλ' οὐδ' ἂν δείξαιεν, οὐδ' ἂν ὁμολογήσαιεν*] *εἰσενέγκαιεν, οὐδ' ἂν δείξαιεν, ἀλλ' οὐδ' ἂν ὁμολογήσαιεν.*
— 18 *οὐχ ἱκανὸν δοίη*] *οὐχ ἑκὼν ἂν δοίη.*
203 6 ἂν addidi.
— 19 *ἀναλύσονται*] *ἀναλύσωνται.*
205 ult. *νῦν ἁμαρτόντες*] interposui *οὐχ.*
213 7 *τῶν λεγόντων*] *τῶνδ' ἐγὼ τῶν.*
215 23 *καὶ τὸν*] *κατὰ τὸν.*
216 5 *τῶνδε, καὶ*] interposui *τῶν.*

Pag. versu

217 1 *μὲν*] addidi.
219 20 *φθάσας καὶ*] interposui ℌ.
221 16 *ἂν ἀντιποιῆται*] interposui γ'.
222 14 *δίκαιον*] *δίκαιοι*.
226 10 *μετὰ ταῦθ' ἃς ὕστερον*] articulum *ἃς* addidi.
231 ult. *τούτων ὧν εἶπον*] articulum detraxi.
232 3 *νῦν λέγω; ὅτι φημὶ*] Sic servarunt operæ meæ ex antiqua editione Parisina, quam exscripserunt, me inscio et invito. Præscripseram enim sic. *νῦν; ἐγὼ δὲ τί; φημί.—ego vero quid?* (scil. *censeo?*) *Aio nempe—*
233 pæn. *ἐχθρούς καὶ*] interposui *τοῦ*.
234 10 *ἐπὶ τοῦ*] *ἐπὶ τῷ*.
— 15 *ἀπολαύων*] *ἀπολαύσειν*.
— 18 *αὐτῶν*] *αὐτὸν*.
239 13 *ὀργισθῇ ἔλαττον*] interposui ℌ.
— 25 *ὑμᾶς, οὐκ*] interposui *οἷς*.
242 13 *ἀγανακτήσητε*] *ἀγανακτήσαιτε*.
243 1 *δεῖν*] *δεινόν*.
— 23 *τοὺς ἕλληνας. διὸ καὶ πῶς οὐχ ὑπεράτοπον*] *τοὺς ἕλληνας: δικαίως. πῶς οὖν οὐχ ὑπεράτοπον*.
244 6 *νυνὶ δ' ὅτ'*] *νυνὶ δ' οὐ, ὅτ'*.
245 19 *τοῦτο δ' ἔστι καταγελαστότατον*] *τὸ δ' ἔτι καταγελαστότερον*.
246 ult. *πράττουσι*] *ταράττουσι*.

Pag. versu [Ed. Reisk. ad marg. nostr. Ed. ex hoc appos.]

226 20 *δ*] *ἃ*.
227 22 *τοῦ λέγοντος ὕστερον*] *τοῦ ὑστέρου λέγοντος*.
229 9 *ὁμοῦ*] *ἐμοῦ*.
— 15 *ποιεῖν. οὔτε*] interposui *δ'*.
232 17 *ὥστε τολμᾷ*] *ὥστ' ἐτόλμα*.
266 10 *πᾶσαν πρὸς τὰν λειτουργίαν*] *πασᾶν προστακτᾶν λειτουργιᾶν*.
— 14 *δωρίας*] *θεωρίας*.
— 16 *τῷ στεφάνῳ, ᾧ συστεφάνωται*] *τὼς στεφάνως, ὡς ἐστεφάνωται*.
— 26 *μεγίστων ἀγαθῶν πράττειν γέγονε*] *μεγίστου ἀγαθῶν παραίτιος γέγονε*.
267 9 *θεῶν. οὐχ*] interposui *εἰ*.
274 6 *μὲν πώποτ' ἔπραξεν*] *μὲν ἐν τῷ τότ' ἔπραξεν*.
275 14 *ὃς ἅπαντα*] *ὃ καὶ ἅπαντα*.
279 3 *νέμουσι*] *κατανέμουσι*.
281 18 *εἰδὼς ἀριστοφῶντα*] interposui *καὶ*.
283 19 *κήρυκας*] *κήρυκα*.
289 5 *παραιρεῖται*] *παρῄρηται*.

Pag. versu

291 2 καὶ ἄλλοις] interposui τοῖς.
293 10 χρὴ] χρῆν.
— 16 ὅτι] ἔτι.
— 17 μὲν] ἄν.
— 19 μηδὲ πεῖραν] μηδ' ἐς πεῖραν.
297 5 εἰ γὰρ ὡς] εἰ γὰρ οὐχ ὡς.
300 12 ὑμᾶς] ὑμῶν.
301 pen. πρόνοιαν] προνοίας.
306 5 ad πάντας addidi ἄν.
307 25 αὐτοτραγικὸς πίθηκος] αὐτοτραγικοπίθηκος uno vocabulo.
308 ult. πυλιτικὰ] συνήλικα.
309 20 καὶ παραπλήσια] interposui τά.
310 8 σχεδόν τι ἡμέραν] primum horum vocabulorum e manuscripto, secundum de meo addidi.
315 4 ἐξέτασον] ἐξετάσωμεν.
— 6 ἐρώτησον] ἐρωτήσωμεν.
— 23 κακ' ἀγγελεῖν] κακαγγελεῖν uno vocabulo.
— pen. post τοιοῦτος addidi ἐγώ.
317 15 τεταγμένα πως] interposui οὕτω.
— 24 διώρικεν] διωρικέναι.
318 16 οὐ μόνον τῷ λέγειν] post secundum vocabulum addidi ἐν.
319 5 ἔχθρας καὶ] interposui ἕνεκα.
320 18 αὐτοῖς εἰλημμένος] αὐτὸς σαυτοῦ εἰλ. mediam vocem de meo addidi.
322 17 ἕπορεν] ἕτερον.
329 8 μηδὲν τούτων] interposui πάντων.
— 16 πέντε ταλάντων] contraxi in unum vocabulum.
322 4 εὐθὺς ὀρθὴν καὶ δικαίαν τὴν ὁδὸν] articulum e sede sua transtuli, et post εὐθὺς statim posui.
347 27 πεφοβημένων καὶ τεταραγμένων] etiam hic verba trajeci.
348 pen. ἐπειδάν τι λέγοντος] ἐπειδὰν ἀντιλέγοντος.
349 19 εἶχε] ἔχειν.
350 12 καὶ φωκέας] interposui εἰ.
351 18 δόξα] δόξει.
— 24 τούτοις] τούτους.
357 2 ποτε] τότε.
— 3 οὐκ addidi.
— 9 ἐπὶ ταῖς] ἐπί τι ταῖς.
359 pen. μὲν ὑμεῖς] interposui γάρ.
362 12 τοῦτο] τούτου.
— 25 οὔτ' εἰς] οὐδ' αὐτὰς εἰς.
367 19 ἀνδρῶν καὶ χῶραν] detraxi copulam.
— ult. προῄρητο] προῄρηντο, in plurali.

Pag. versu

369 16 ἐκεῖνο] ἐκείνως.
370 27 φήσει] φησί.
— 28 τὴν εἰρήνην] articulum addidi.
377 18 αὐτὸ] αὐτός.
378 10 οἶμαι] οἴομαι. Semel sufficiat hic me admonuisse, quamplurimis in locis hoc pro illo a me redditum fuisse. Differunt enim istæc non parum.
383 20 τοῦ ζῆν] interposui τό.
384 9 πολλά, οὐκ ἐδέξαντο] πολλά. ὡς δ' οὐκ ἐδ,
397 12 ταῦτα ἐπέδειξα] interposui καί.
— pen. μυρία] μωρία.
405 26 στόμα, οὐδ'] interposui ἀλλ'.
415 23 μὴ] μηδέν.
416 16 ἐκείνους] ἐκείνον.
— 20 ἔλεγε] ἔλεγες.
423 17 κατήγορον] κατηγορῶν.
427 9 ὧν ἂν ἕκαστος ὑμῶν οἶμαι] ὧν μὲν ἂν ἕκαστος οἶμαι. (sine ὑμῶν.)
428 21 γέλως, ἄδεια, αἰσχύνη] γέλως, ὅση ἄδεια, Αἰσχίνη. (in vocativo nominis proprii.)
433 12 ἐκεῖνον τὸν] ἐκείνου τοῦ.
437 22 ἐπαίρειν τούτους. ταῦτα] ἐπαίρειν. τούτοις. ταῦτα
— pen. τοῦτο ἅπαντες] interposui γ'.
440 5 συλήσας καὶ διασύρας] transposui participia.
444 8 τοῖς ὅπλοις δυνήσεται] τοῖς ὅπλοις γ' αἱρήσειν δυνήσεται. in quibus particula γ' de meo est.
448 26 οὐδὲ] οὐδέν.
463 2 ἢ τοσούτους] interposui δίς.
465 16 τοῦτον] τοῦτο.
466 10 διορίζειν] διορίζων.
483 16 οἷς ἀκηκόατε] interposui οὐκ.
484 13 αὐτὸν] αὐτός.
485 6 ὃν ἦσαν] ὃν ἐνομοθέτησαν.
— pen. δικαιότερον τούτου] interposui τοῦ.
486 4 ἃ τούτου τοῦ νόμου] ἃ τοῦ τούτου ν.
493 23 ἣν quam] ἣν si.
495 15 γράφων γὰρ τὴν ἀρχὴν] articulum addidi.
496 7 ἔγωγε ἐροίμην] interposui σ'.
501 9 αὐτὸν] σαυτόν.
517 27 πομπὴ] præposui articulum ἡ.
— ult. καὶ ὁ Θαργηλίων] καὶ Θαργηλίων.
— ib. μήτε ἐξεῖναι] μὴ ἐξεῖναι.
524 8 ἀδικησομένους] ἀδικηθησομένους.

Pag.	versu	
533	4	ὀνόματι] ὀνομαστί.
—	21	τινος] τις.
535	20	πρότερον τῶν] transposui.
537	15	νεανίσκον, καὶ Σώφιλον] copulam sustuli.
543	25	ἐκεῖνο ἐποίησε] interposui γ'.
545	7	ἐπειδὰν βούλωνται] ἐπειδὰν δ' ἕλωνται.
549	24	ἐπεξῆμεν] ἐπεξήειμεν.
553	5	λαλῶν μὲν καὶ ὁμωρόφιος] ἀλῶν μὲν κοινωνὸς καὶ ὁμ.
554	8	χιάρης] χάρης.
557	2	σὺ δεινότερα] οὐ δειν.
569	8	ἅπερ] οἷάπερ.
580	11	σὲ δ' οὐ παύσεσθαι] σὺ δ' οὐδ' οὕτω παύσ.
585	5	ἕκαστος] ἕκαστον.
—	17	ἣν ἄδειαν] ᾗ ἀδείᾳ.
594	10	αὐτῆς] αὐτῶν.
—	16	ἐν τούτῳ] ἐνὶ τούτῳ.
—	22	ὧν] ὧν.
597	6	μὲν ὃν] interposui γάρ.
—	7	τοῦτο μὲν εἰ] ταῦτα μόνα ἐρῶ, εἰ.
598	10	τότ' ἐξαρχῆς] τότε τ' ἐξαρχῆς.
600	15	verba ταῦτ' ἐπιδείκνυμεν eam in sedem immisi, quam tenent in editione mea, olim legebantur pone τούτῳ, quod est vers. 16.
602	5	περὶ τὸν] περὶ τοῦ.
603	24	νῦν δέ σε] νῦν δέ γε.
612	4	τῷ δ' ὅτι παῖδας] τῷ δὲ παῖδας.
—	6	ἀπογράφειν] ἀπογράψειν.
614	9	καὶ μεγάλα] interposui τά.
618	9	προειρημένων] προειρημένον.
626	3	φυλαξόμενος] φυλαξάμενος.
—	pen.	σκοπείσθω] σκοπεῖσθε.
628	14	πεποίηκεν ὅμως] πεποιηκώς.
630	26	οἶδ' ὅτι πᾶσιν] οἶδα πᾶσιν ὅτι.
631	2	τὴν τοῦ] interposui γάρ.
—	17	ἢ τοῦτον] interposui σύ.
633	3	προσγράψαι] προσγράψας.
634	2	ἔνοχος δὲ σὺ] ἔνοχος δὲ καὶ σύ.
635	7	ἢ καὶ ἄλλως] ἢ εἰ καὶ ἄλλως.
639	9	τῷ μὲν ὑπεικὼν] post μὲν addidi γάρ.
643	17	γεγραμμένους νόμους] interposui τούτου.
646	23	αὐτοῖς] εὐθύς.
647	20	δεῖξον οὗτοσὶ] δεῖξον. οὗτοι.
648	21	τοὺς] αὐτούς.

Pag. versu

650 19 *δν δύναιτο*] interposui *ἄν*.
655 21 *ἐλπίσαντα*] *ἔλπίσαι*.
657 12 *πλείω καὶ φίλος*] copulam expunxi.
658 pen. *ἦν ὅτι πᾶσαν*] mediam vocem sustuli.
660 ib. *ἄχρι τούτου*] *ἀχρί του* (enclitice).
661 22 *ὡς ἀληθῶς ὅστις*] *ὅστις ὡς ἀληθῶς*.
—— 26 *πάθῃ*] *πάθωσι*.
667 11 *ἡμετέρου*] *ὑμετέρου*.
668 20 *ὅπερ πεποιήκασι*] interposui *καί*.
670 11 *ἐπιστολή. ψήφισμα*] *ψήφισμ. ἐπιστολαί*.
675 pen. *δ' ἀνέχον*] interposui *ἐστιν*.
676 11 *ταλάντοις δ' ἐζημιώσατε*] *ταλάντοις ζημιώσαντες*.
681 25 *παρίῃ*] *παριείη*.
683 21 *ἔτι τοῦ λοιποῦ*] *ἔτι τι τοῦ λ*.
686 25 *αἷς*] *ἃς*.
691 16 *συμβαλλομένου*] *συμβαλόμενοι*.
692 ult. *ἀναιρῶν*] *ἀγαιροῦν*.
713 17 *αὐτοὺς*] *αὐτοῖς*.
716 14 *αὐτὸς ὄφλων*] *αὐτὸς ὁ ὀφείλων*.
726 5 *ὄφλοντα*] *ὀφείλοντα*. et alibi quoque.
—— ult. *τὰ μὲν διπλᾶ, τὰ δὲ καὶ δεκαπλᾶ*] sic transposui numeralia.
731 9 *πολλῶν*] *πολλῷ*.
—— 25 *εἰ κατὰ*] interposui *γε*.
739 27 *δεινότητι*] *ἐλεεινότητι*.
743 10 *καινὸν διὰ*] *καινὸν νὴ δία*.
745 25 *γνώσεσθε*] *γνώσησθε*.
747 8 *ἄλλοι*] *ἄλλη*.
754 15 *καὶ μεγάλα*] interposui *τά*.
756 6 *οἵοισπερ*] *οἷόσπερ*.
760 8 *πρόσγε τὸ*] *πρόσγε τῷ*.
764 11 *ἔλυσαν τοὺς νόμους πρότερον*] *ἔλυσαν εἰρετῆς τοὺς πρότερον*.
766 8 *εἶναι τὸ ἀδίκημα*] detraxi articulum.
772 ult. *οὕτω ψηφίζεσθαι*] interposui *δὴ δεῖ*.
773 4 *φυλάττων*] præposui *οὐ*.
—— ult. *προκαλούμενον*] *προσκαλ*.
774 1 *σκοπεῖσθαι δεῖ*] *σκ. ἀεί*.
779 8 *πρόσεστι*] *πρόσετι*.
780 15 *εἰς πάντα τὰ τῶν ἀνθρώπων*] *εἰς τὰ πάντων ἀνθρώπων*.
782 18 *οὗτος*] *οὑτωσί*.
783 25 *οὐδ' ἐπὶ τῶν*] *τοῦτ' οὐδὲ τῶν*.
785 24 *οἱ* articulum addidi.
—— 27 *τὸν βίον*] *τῶν βίων*.
789 6 *ἐσθίων*] *ἀπεσθίων*.

Pag. versu

791 14 ἔσται] ἔστε.
792 12 αὐτῷ] αὐτήν.
795 15 ἀκούσετε] ἀκούσαιτε.
— 27 ἐστὶ] ἔστε.
801 13 ἁμάρτῃ, βραχεῖαν] interposui τι.
— 24 τοῖς] τούς.
805 13 αὐτὸν] αὐτοῦ.
807 10 ἐάσατε] ἐάσετε.
— 12 πολλῶν] πολλά.
808 8 θεωρήσετε] θεωρήσαιτε.

III. Index conjecturarum doctorum virorum, quas texto meo recepi.

85 5 [ed. nostr.] ἔφειν] ἔχει margo Lutet.
91 22 ἀλλ' ὑμεῖς] ἀλλ' εἰ ὑμεῖς. idem.
— 23 ὡς ἐκ τοῦ μηδὲν] primam particulam detraxi, auctore Wolfio.
109 5 δεῖ] δεῖν Wolf.
199 16 ὃν ἂν] ὃν δ' ἂν idem.
209 1 δέ τι] δ', ἔτι idem.
227 12 ἔξειν addidi ex ejusdem auctoritate.
230 ult. συμφέρει] συμφέρειν idem.
— — ταύτας] ταῦτα idem.
322 10 [ed. Reisk.] δείματος] λήματος. Valkenaer.
332 10 ἀπαγγέλλειν] ἀπαγγελεῖν. Markland.
365 5 πᾶσα ἡ ἀπάτη] articulus eidem M. debetur.
368 22 αὐτὴν] αὐτὴ idem Markl.
383 26 τοῦτ' ἂν] τότ' ἂν idem.
387 pen. αὐτὴ] αὕτη idem.
388 12 ἐγκαταλειφθέντων] ἐγκαταληφθ. Lambin.
422 12 ἀποτισαμένη] ἀποτισομένη. Markland.
440 25 τὴν εἰρήνην] τῇ εἰρήνῃ. Lambinus et alii.
447 5 ὑμεῖς] ὑμᾶς. Taylor.
467 pen. βλάψειν] βλάψων. Wolf.
475 ult. ἀκούσεσθε] ἀκούσαισθε. Markland.
496 8 λεπτίνην] λεπτίνη (in vocat.) Wolf.
504 14 παρανοίας] παρανομίας. margo Lutet.
520 26 προσδιαφθείρας] προδιαφθ. Wolf.
521 27. ἔχων] ἔχω idem.
541 6 θεωρίσκος] θορίκιος idem cum multis aliis.
649 7 εἴπερ] ἤπερ. Wolf.
661 23 μὴ παθεῖν] μή τι παθεῖν. Markland.
733 11 αὐτῷ τῶν νόμων] αὐτῷ ὑπὸ τῶν νόμων. margo Lutet.

SECT. XXXII.

Nomina prænumeratorum.

Provinciam in edendo Demosthene mihi sumsi atque delegi ultro perquam arduam et duram, cum aliis multis de causis, quas repetere nil juvat, jam supra plerasque commemoratas, tum hac maxime, quod fatali quadam necessitate mihi evenerit, ut ætas degenda esset iis in terris, eosque inter homines, quos parum græca curare necesse est ex eo arbitrari, quod librarii nostrates ad excudendos libros græcos nullis precibus, nullis conditionibus adduci possint. Non equidem infitiabor, aliquot ab hinc annis cœpisse hac in urbe libros nonnullos græcos edi, sed neque multi sunt illi, et verum si velint eorum editores fateri, nescio an ne ipsi quidem dissimulaturi sint, eos ære periculoque suo excusos esse. Ego equidem, quæcunque aliorum est seu sors, seu felicitas, inexpugnabilem habui pæne tota mea vita librariorum pertinaciam et duritiem, et aversionem a me meisque conatibus literariis, ut necesse habuerim, quæcunque edidi, quæ pauca sunt, ut in re familiari perquam modica, ea meo ære et periculo excudenda dare. Unde, id quod facile est existimatu, magnam rei domesticæ jacturam retuli; quam tuli, ut potui, satis æquo animo. Demosthenem autem, et eum quidem tot necessariis ornamentis atque instrumentis auctum, pari modo insanum fuisset, si conatus essem edere. Quare proposui biennio ante conditionem studiosis græcarum literarum, ut sumtus necessarios facientem me pecunia collaticia adjuvarent. Sed surdas pæne ubique habui aures, portasque clausas, sive communi quodam hominum, qui nunc sunt, erga literas græcas frigore, sive infamia cœpti, quod alii, si qui ejusmodi subscriptiones proposuissent, credulorum crumenas cum emunxissent, verbis suis fide non præstita rem in se bonam in suspicionem atque invidiam adduxissent; sive denique erga me nescio qua hominum malevolentia, et suspicacitate atque animorum a me abalienatione. Adhuc quidem, magis etiam, quam exspectaveram, in hoc tanto, tam salutari, tam necessario, tam sæpe flagitato et votis omnium expetito molimine desertus pæne ab omnibus, etiam ab amicissimis, fui, quamquam bene de eo sæculo nunquam speravi, quod usu novi, ventri, ganeæ, luxui, libidinibus, cupiditati et avaritiæ deditum, in equos, in canes, in scorta, in aleam, in cantrices, in scenicos, in nugas, in res quasque turpes, et corpori, famæque et rei denique familiari detrimentosas furiose suas opes prodigere, in res autem divinas humanasque præclaras publiceque salutares, patriæ gloriosas, et ad omnem memoriam splendidas futuras vel obolum erogare reformidare, tanquam

si in puteum abjiciant. Quanquam ad hoc quidem opus meum demosthenicum qui symbolam conferunt, eamque non enormem, per minutas partes, pecuniam hi suam non perditum eunt, sed magno cum fœnore paulo post recuperatum. Ecquem non plane pauperem gravet impensa pistolæ dimidiæ (cujus valor ducatum hollandicum nondum æquat) in volumen græcum, cujusmodi hoc est, sex mensibus ante erogata, cujus æquivalens paulo post sit recuperaturus? Ego quidem, qui publica commoda meis privatis semper antehabui, non spe divitiarum quærendarum hoc opus suscepi; quæ his profecto artibus non quæruntur; abhorret quoque animus ab impostura; etiamsi velim alios decipere atque emungere, desertus sum ab audacia et impudentia, et calliditate. Ingenium mihi ad fraudes hujusmodi est tardius atque stupidius, et timidius etiam. Satis habebo, si sumtus, quos in hoc tantum, tot volumina impleturum opus erogabo necessario, recuperavero. Lucubrationes a me hoc in opus per tot annos impensas acres et assiduas reipublicæ literariæ lubens et lætus condonabo. Denique causa nulla est, cur metuant redemtores, ne si quid humani mihi contingat, opus abrumpatur. Quamquam enim in dies alia addo, alia muto, ut dies diem docet, ita tamen pleraque in mundo et parato sunt, ut, si vel hodie meum me fatum auferat, cœpta tamen tela continuari possit, uxore non passura, aut existimationem meam minui, aut emtorum spem falli. Præterierant octodecim menses a publicato illo programmate, de quo supra §. 22. dicebam, quum, incipiens jam de bono successu mei conatus desperare, decernerem, paucis illis, qui pecuniam prænumerassent, (sex ferme numero erant) pecuniam cuique suam remittere. Sed intercessit uxor, quæ tametsi cerneret, commoda ipsius sua tam periculoso et ancipiti cœpto minui, aut certe in discrimen dari, me tamen hortata est, ut, confisus dei auxilio, qui invia complanare, dubiisque et desperatis rebus insperatam salutem afferre nosset, fidem datam liberarem reique publicæ ne deessem, et melius, quam solerem, de liberalitate hujus sæculi sperarem. Ab ea igitur impulsus et permotus rem meam in discrimen dare ausus sum, chartas emi, conduxi typographum, excudendum opus dedi. Interim paulo plures atque plures prænumerantes coierunt. Parum tamen quid est æs ab iis collatum ad id, quod mihi de peculio meo dependendum fuit. Et profecto ni plures numero inposterum coalescant, necesse habeo telam hanc in secundo statim volumine, posteaquam totum Demosthenis textum edidero, abrumpere. Quod si tamen vel tantum ex hujus primi voluminis distractione redierit, quod satis sit sumtibus in id factis compensandis, impiger et deo fretus stadium, quod ingressus sum, decurram, quoad vita viresque supererunt. Secundum volumen certo certius sub finem Septembris hujus anni 1770. prodibit. Exteri si meum sibi

Demosthenem redemtum velint, recta via per litteras ut mecum agant rogo. Nomina Prænumerantium, qui interea temporis accedent, illi volumini subjicientur. Quos ad hoc diei (excuduntur hæc die 20. Aprilis 1770.) habeo in tabulis prænumerantes, sunt hi.

Abresch, Professor Zwollæ.
Andre, Göttingensis.
Bang, A. M. et V. D. M. Marpurgi.
Boden, Professor Wittebergensis.
Brunck, Consiliarius regis Christianissimi, Strasburgi, in totum opus.
Cober, Conrector Gymnasii Budissani. tria exemplaria.
Culenoamp, Professor Göttingensis.
Eck, Professor Lipsiensis.
Eyring, Rector Gymnasii Götting.
Froriep, Professor Lipsiensis.
Gottleber, Rector Annabergensis.
Harles, Professor Erlangæ, duo exempl.
Heinze, Rector Gymnasii Luneburg. tria exemplaria.
Heyne, Professor Göttingensis, duo exempl.
Hibner, Bernensis.
Hiller, Professor Witteberg.
Hoffmann, A. M. illustris Moldani apud Grimmam Tertius.
Hübler, A. M. Conrector Scholæ Freybergens.
Kranoldus, Superintendens Graefenhaynichensis.
Krebs, Rector illustris Moldani, Grimmæ.
Meisner, A. M. et Collega Scholæ Cruciatæ Dresdæ.
Morus, Professor Lipsiensis.
Mücke, A. M. Conrector illustris Moldani, Grimmæ.
Neuhaus, I. C. et civitatis Lipsiensis Prætor.
Niclas, Gymnasii Luneburgensis Conrector.
Randal, Glasgouiensis.
Rau, Professor Ultrajecti.
Reichart, A. M. illustris Moldani Grimmæ Cantor.
Schade, Anspachiensis.
Scharfenberg, A. M. Lipsiensis.
Schmidt, Dantiscanus.
Wencke, A. M. Darmstadiensis.
Wernsdorf, Professor Helmstadiensis.
Wyttenbach, Marpurgi.

JUVENTUTI ACADEMICÆ

SALUTEM.

ALIQUOT jam aguntur anni, cum in lucem prodiit Demosthenis Orationum Philippicarum Editio nitida, quam in usum vestrum duo in hisce Ædibus eruditi homines procurarunt. Ad istius multiplici jam experientia comprobatam normam cum hanc nostram Æschinis Demosthenisque Orationum ἀντιτύπων Editionem conformare statuissem, in nonnullis tamen deflectendum inde mihi esse existimavi: de quibus, deque Versionis simul hujus Notarumque ratione ac structura, paucis vos esse præmonitos velim.

Interpretationes harum Orationum insigniores Latinæ circumferuntur tres: Wolfii, Lambini, et Editorum Oxoniensium, Foulkes et Friend. In his singulis cum multa reperiantur, quæ ad justæ Interpretationis laudem conducunt, aliqua tamen superesse vel lenissimus earum rerum fatebitur æstimator. Ingratum equidem semper, et liberali ingenio indignum opus est, siquid illorum hominum, qui in eadem tecum palæstra desudarunt, negligentia fudit, curiosius excutere, et in vulgus indicare: omnium vero minime me deceret, qui alienæ potius industriæ quam propriæ eruditionis fœtum expromam. Sufficiat igitur, si, quæ sint quæ in unoquoque istorum Interpretum desiderem, summatim et usque eo tantum perstrinxero, dum ratio probabilis existat, cur in his vertendis nullius demum vestigia per omnia sim consectatus.

Ac primo Oxonienses illos, quorum vulgo Interpretatio inter manus versabatur, immoderatioris et juvenilis cujusdam in convertendo licentiæ, et olim a doctioribus plerisque hominibus arcessi animadverteram, et ipse cum in hoc opus penitius introspicerem, non potui non creberrime incusare. Dum enim numeros captant, et dicendi lepores ambitiosius aucupantur, sententiis tantum adhærent, verba verborumque ordinem servandi religionem ita plerumque contemnunt, ut provectioribus quidem in his literis satis fortasse faciant, ad rudiorum Græceque discentium usum haud multum certe conferant. Neque tamen in Auctoris sensibus efferendis usque adeo fidem commendant suam, ut non et frequenter titubare eos, multaque ab iis humanitus excidisse promptum sit ostendere: quæ tamen ab aliis investigari malo, quam ut in iisdem ipse excutiendis ingratam operam impendam.

Summam sane religionem, mihi vero etiam immodicam ad interpretandum attulisse videtur fidem Hieronymus Wolfius. Diligen-

tissimus quippe Interpres, ab Auctoris latere ne punctum quidem temporis dimoveri sese passus, non sententias solummodo appendit, verum etiam verbis annumerat ubique verba; eundemque dictionum ordinem tam anxie tamque pertinaciter conservat, ut sæpenumero etiam obscurum, horridum certe et incomptum, nobis exhibeat Oratorem. Enimvero, quod ad situm collocationemque attinet verborum, cum temere et absque necessitate ab exemplaris sui forma recedendum non sit, dandum tamen aliquid aurium est voluptati, neque committendum, ut scrupulosa et servili imitatione, omnis illa, qua divini nos permulcent Oratores, numerorum pereat concinnitas.

In contrariam huic prorsus reprehensionem incurrit Dionysius Lambinus. Fidus, elegans, disertus; utinam et pressum dicere licuisset Interpretem! Verum ejus, qua plurimum pollebat, comptæ Latinitatis studio, beneque dicendi copia in transversum actus, extra modum metasque omnes excurrit, et nitorem Æschinis et Demosthenis δεινότητα profusissima verborum luxurie pariter labefactavit. Ardua complanat, pressa dilatat, mollit incitata; singulas ferme dictiones Græcas duabus aut etiam pluribus reponit Latinis, ut geminet propemodum et conduplicet Archetypum. Quod si suo hic ingenio aliquantum esset moderatus, neque supervagantibus ipse surculis falcem denegasset, quæ fuit homini diligentia in assequendis Græcis, et inexhausta lectissimorum verborum copia, omnes profecto boni Interpretis numeros explevisset. Hujus igitur Ego vinetis putator qualiscunque accessi: dedi operam, ut luxuriantem eam in dicendo ubertatem comprimat, et inserta quasi depascat exilitas Wolfiana: neque siquid in Oxoniensium aliorumve Interpretum Latinorum operibus vel se venustate commendaret vel robore, traducere in nostra dubitavi: ita nimirum ratus fore, ut sincerior multo puriorque exsurgat Interpretatio, quam si ineptæ ambitioni velificatus, ea quæ ab aliis bene dicta sunt, melius ipse dicere incassum contenderem. Multa etiam ad nos commoda invexit cum Gallica Interpretatio Tourellii, tum vero spectatissima illa Versio Itala, ab Hieron. Ferro, Senatore Veneto, concinnata, quam diu frustraque a me quæsitam, vir comitate pariter et politiori literatura instructissimus, A. Askew, M. D. Londinensis, mecum, sibi licet ignoto, per literas rogatus, humanissime communicavit.

Textum Græcum Æschinis ex luculenta Editione Hen. Stephani, Demosthenis, ex ea quam Lutetiæ typis mandavit Benenatus, ut plurimum expressi: collatis interim diligenter, et siquando visum est, adhibitis, emendationibus Cl. Taylori: verum paucis illis quidem, et summa cum brevitate propositis. Quotus enim quisque lectorum est, qui dummodo sibi Auctoris sensus claros, et quoad fieri potuit defæcatos, ob oculos sistas, aut omnino curat, quot eos

ex Codicibus impressis manuve scriptis elicuisti, aut non saltem, ut istiusmodi de Variantibus Lectionibus disceptatiunculæ ad calcem rejiciantur operis, exoptat; neve iis Editor cum Annotationibus quæ ad Auctorem ipsum pertinent illustrandum, conjunctis, restinguat animos, quos ardentes acceperit?

Quod ad Notas attinet, earum magnam sane partem ex Commentariis descripsi longe eruditissimis Joannis Taylori: cujus ego laudibus libenter indulgere velim, siquidem id aut destinati operis angustiæ paterentur, aut ipsius utique hominis pervulgatissimum apud literatos omnes nomen et celebritas. Annotationes, quæ aliunde petuntur, singulas (subinde brevitatis causa in compendium actas) Auctoris nomine signavi: plurimas de proprio penu deprompsi: Interpretationi denique omnes subjeci, Græcarum paginarum titulis inscriptas: ut neque tyroni foveant negligentiam, si textum comitentur, neque seorsim (quod usitatius) relegatæ, negotium facessant. Archæologia in his Commentariis et Historia parcius attinguntur, cum illam quidem Potterus, hanc vero, quantum ad earum quæ hic tractantur rerum notitiam satis sit, egregie adornavit in Vita Philippi Lelandus noster: quod sane utilissimum opus iterum ac sæpius, me judice, versabit, quisquis ad hos perennes Eloquentiæ fontes rite imbutus instructusque velet accedere.

JUVENTUTI ACADEMICÆ

SALUTEM.

Integram hanc Orationum seriem quas Demosthenes in Philippum habuit, nec inutilem fore duximus, nec vobis ingratam: præsertim, cum Philippicarum libellus, qui Glascuis prodiit non ita pridem, spes vestras prorsus fefellit; mendis nempe compluribus inquinatus. Codicem Morellianum præcipue, alios melioris notæ, nonnunquam, expressimus: quin et harum lectionum, quas e codicibus manuscriptis collegit Morellius, pauculas admisimus. Ipsas Orationes eo tandem ordine dispositas invenietis omnes, quem præfinivit Dionysius Halicarnasseus in epistola sua ad Ammæum. Interpretatione utimur Wolfiana; ea vero plurimis in locis castigata, ubi authoris sensum aut minus accurate, aut perperam reddidisse videtur. Et, ut subsidii aliquid præterea vobis adesset, Notas adjecimus, paucas jam primum editas, plurimas autem ex iis, quas præbuere Ulpianus, Wolfius, interpretes Gallici Tourellius et Olivetus, necnon Mountneius noster, vir literis instructissimus, qui, cum apud Cantabrigienses commoratus est, Philippicam orationem

Ὑπείληπται] Wolfius monet, eam, quam Augerus dat, in exemplo Romano sive Florentino fuisse lectionem. At quum nullus Cod. μὴ offerat, hanc particulam ab iis profectam existimo, quibus negatio a Libanio non recte omissa videretur. Quod ipsum non male illi viderunt, si lect. οὕτως retinetur, sed, hoc si fit, quorsum οὕτως ὑπείληπται spectat? Quid vero? si δυσμάχητον vocat orator Philippum, num θαρσύνει ἐπ' αὐτὸν Ἀθην.? Quæ quum ita sint, lectionem Felic. veram duco, hoc sensu: dicit sane, Philippum difficile vinci posse, sed non ita, ut putatum est, i. e. ut devinci plane non possit. Cfr. Olynth. I. (III.) §. γ'. coll. II. (I.) §. ή. Rüdig.

Ἰκρίων] Hesych. hæc s. h. v.: καὶ τὰ ξύλινα οὕτως ἐλέγοντο Ἀθήνησιν, ἐφ' ὧν ἔθεον πρὸ τοῦ τὸ ἐν Διονύσῳ θέατρον γενέσθαι. Phot. ἀφ' ὧν ἐθεῶντο τοὺς Διονυσιακοὺς ἀγῶνας. cfr. Hesych. v. ἀγὼν et ἐπὶ Δηναίῳ. Idem.

Τὸν τόπον] Articulum τὸν restitui, quum significetur locus, quem quisque suum occupare vellet ad ludos spectandos; facile vel ob compendium scripturæ et literam initialem proximæ vocis delitescere potuit, ut paulo post κατα in καταβαλόντα, aut omitti ab iis, qui nullam ejus vim in hoc loco esse existimarent. Causam mutati theatri Suidas s. Πρατίνας hanc fuisse refert: quum fabula ab illo composita ageretur (Ol. 70.), theatrum ligneum (ἴκρια) corruisse ideoque saxeum (θέατρον) esse ædificatum. Idem.

Καταβαλ.] *Persolvere*. Dem. vol. III. p. 287. v. 7. ἐὰν δὲ μὴ καταβάλῃ τὸ ἀργύριον. Idem.

Δοκῶσιν οἱ πένητες] De conjunctivo post tempus præteritum vid. ad Lib. Vit. Dem. §. δ'. Hesych. s. θεωρικὸν theatrales pecunias suppeditatas fuisse dicit: τοῦ καὶ τοὺς πένητας μετέχειν τῶν θεωρικῶν. Idem.

Λυπεῖσθαι] *Incommodis premi*. Dem. de Chers. §. ιδ'. ἄν τι λυπῆσθε τῷ πολέμῳ. Idem.

Προῆλθε δὲ εἰς τοῦτο, ὥστε οὐκ εἰς τοὺς τόπους, etc.] *Eo vero hæc persuasit licentia, ut non pro locis solum conducendis sumerent*, etc. Obsopœus.

Τοσοῦτον] Pro hac voce in Par. 2. 3. 5. Bav. Aug. Obs. Bodl. τοῦτο legitur, quod Bekk. rec.; sed, quum paulo post sequatur εἰς τοῦτο, ex confusione harum locutionum illa lectio orta videtur; accedit, quod, si τοῦτο ponitur, ipsa res fere adjiciatur, ut μοχθηρίας, ἀσελγείας. Rüdig.

Εἰς τοῦτο] Bekk. scripsit εἰς τοὺς τόπους, quod etiam in Bodl., sed sine τούς. Augerus vere notat: in multis Codd. post τοῦτο exstare εἰς τοὺς τόπους. U. οὐχ ἕνεκα τούτου μόνον: hinc illud additamentum interpreti existimo deberi et omittendum esse. Idem.

Κατέστησαν] Inservit καταστῆναι conditioni, in qua quis est, describendæ. Xen. H. G. II. 3. 17. ὅπως αὐτὸς ἐν τῷ ἀσφαλεῖ καταστῇ. Idem.

Μισθὸν] Vid. adv. Phil. I. §. ι. Idem.

τίνι δὲ ἐν ταῖς θεωρίαις καὶ ταῖς ἑορταῖς εἶναι μάντις διατέμνειν τὰ χρήματα· οἰκεῖοι οὖν ὄθλοι ἐξέσται καὶ κινδυνεύειν, ἀλλὰ καὶ νόμον ἔθεντο περὶ τῶν θεωρικῶν τούτων χρημάτων, 55
δέκατον ἀπειλοῦντα τῷ γράψαντι [1] μετατεθῆναί τι αὐτὰ εἰς τὴν ἀρχαίαν τάξιν καὶ γενέσθαι στρατιωτικά. διὸ ὁ Δημοσθένης εὐλαβῶς ἅπτεται τῆς περὶ τούτου συμβουλῆς, καὶ ὑπαρτήσας ἑαυτὸν ὅτι σὺ γράφεις ταῦτα εἶναι στρατιωτικά; ἐπιφέρει μὰ Δί' οὐκ ἔγωγε. Τοσαῦτα μὲν περὶ τῶν θεωρικῶν.

Διαλέγεται δὲ ὁ ῥήτωρ καὶ περὶ πολιτικῆς δυνάμεως, ἀξιῶν αὐτοὺς στρατεύεσθαι καὶ μὴ διὰ ξίνων, ὥςπερ εἰώθεσαν, ποιεῖσθαι τὴν βοήθειαν· τοῦτο γὰρ αἴτιον εἶναί φησι τοῦ τὰ πράγματα ἀπόλλυσθαι.

[1] † μετατεθῆναι ταῦτα

Ἑορταῖς] Olynth. I. (III.) §. ἡ. ὑμεῖς δὲ ἅττα ποιεῖν ἄνευ στρατιωτῶν ταῦτα λαμβάνητε εἰς τὰς ἑορτάς. IDEM.

Νόμον ἔθεντο] Hinc jubet Dem. Olynth. III. (II.) §. ἑ. ut legislatores eligantur iidem, qui legem de pecunia theatrali latam abrogent. IDEM.

Ἀπειλοῦντα] Par. 5. 7. ἐπαπειλοῦντα. Bodl. ἐπαπειλοῦντες: utramque ex interpretamento natum videtur, etsi lectionem Bodl., si plures addicerent libri, non spreverim. Plut. Sol. 8. legem commemorat, qua ei, qui de Salamine recuperanda verba faceret, *pœna capitalis* proposita fuit. IDEM.

Εὐλαβῶς] Hesych. εὐλάβεια expl. στ-

μότης. IDEM.

Ὅτι] Hæc partic. utuntur sæpe Græci in oratione directa. Plat. Crit. c. 12. Orat. de Halones. §. ἑ. med. Buttm. Gram. §. 136. p. 567. IDEM.

Στρατιωτικά; καὶ ἐπιφέρει] Licet Aldina lectio, στρατιωτικά; ἐπιφέρει, sit paulo succinctior, tamen nec prior rejicienda. OBSOPŒUS.

Φησὶ] Hanc vocem uncis inclusi, nam in Ald. utraque, Fol. Bav. Aug. ἴφη legitur, ut putem, utrumque aliunde fluxisse. Noster autem epitomator videtur verba Phil. I. §. ἑ. post med. τὰ δὲ πράγματα ἐκ τούτων ἀπόλωλεν in mente habuisse. RÜDIG.

ΟΛΥΝΘΙΑΚΟΣ Α. (Γ.)

9 ἀ. ΑΝΤΙ πολλῶν ἄν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, χρημάτων 56
ὑμᾶς ἐλέσθαι νομίζω, εἰ φανερὸν γένοιτο τὸ μέλλον συνοίσειν τῇ πόλει περὶ ὧν νυνὶ σκοπεῖτε. ὅτε τοίνυν τοῦθ' οὕτως ἔχει, προσήκει προθύμως ἐθέλειν ἀκούειν τῶν βουλομένων συμβουλεύειν· οὐ γὰρ μόνον εἴ τι χρήσιμον ἐσκεμμένος ἥκει

Cum doctissimo viro Hier. Wolfio longe aliter copiosiusque hanc adornare orationem quam cæteras collibuerit, ne inter peragrandum unam et item alteram gemmam prætermitteremus, id totum instrumentum, paginas in folio viginti et quinque, seorsum edere statuimus. Lectorem præterea meminisse velim, eo ipso figuras ad marginem exteriorem appositas, quod in reliquis hunc primum tomum secundum eas citavimus: denique obelos quibusdam in Lect. Reisk. vocibus esse præfixos, ut *δυτέρας φροντίδας* quas dicunt doctissimi Bekkeri, harum orationum secundum Editoris, notaremus, quibus Reiskium nunc demum respexit, quæque, ut spero, *τὸν τίλιον ἄνδρα* renunciant.

ἀ. Χρημάτων] Ulpian. ad pecuniam theatralem refert, consentiente Lucches., alii eo oratorem retulisse putant, ut confirmet civium animos ad illam molestiam (tributorum) contemnendam. Videtur Dem. utrumque spectasse. RÜDIG.

Συνοίσειν] *Ea e republ. fore, quæ nunc deliberatis.* IDEM.

Ἀκούειν] Cum genit. structum: *mente concipere*, cum acc.: *auribus percipere.* Eur. Suppl. 98. *τίνων γὰρ ἔκυσα καὶ στέρνων κτύπον*; Med. 1273. *ἀκούεις βοὰν, ἀκούεις τίκτων*; Cfr. Buttm. gr. Gr. p. 487. IDEM.

Ἥκει] Prætuli ἦλθε, quod dat Hermogenes, qui hunc ipsum locum refert in libro de Ideis. AUGER. At sensus non est: si quis *veniret* (ofr. Philip. II. §. γ. init.), sed, si quis *venit*, (Olynth. III.

τις, τοῦτ' ἂν ἀκούσαντες λάβοιτε, ἀλλὰ καὶ τῆς ὑμετέρας τύχης ὑπολαμβάνω πολλὰ τῶν δεόντων ἐκ τοῦ παραχρῆμα ἐνίοις ἂν ἐπελθεῖν εἰπεῖν, ὥστ' ἐξ ἁπάντων ῥᾳδίαν τὴν τοῦ συμφέροντος ὑμῖν αἵρεσιν γενέσθαι.

Γ'. Ὁ μὲν οὖν παρὼν καιρός, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, μόνον
57 οὐχὶ λέγει φωνὴν ἀφιείς, ὅτι τῶν πραγμάτων ὑμῖν ἐκείνων αὐτοῖς ἀντιληπτέον ἐστίν, εἴπερ ὑπὲρ σωτηρίας αὐτῶν φροντίζετε· ἡμεῖς δ' οὐκ οἶδ' ὅν τινά μοι δοκοῦμεν ἔχειν τρόπον πρὸς αὐτά. ἔστι δὴ τά γ' ἐμοὶ δοκοῦντα, ψηφίσασθαι μὲν ἤδη τὴν βοήθειαν καὶ παρασκευάσασθαι τὴν ταχίστην, ὅπως ἐνθένδε [1] βοηθήσετε καὶ μὴ πάθητε ταὐτὸν ὅπερ καὶ πρότερον, πρεσβείαν δὲ πέμπειν, ἥ τις ταῦτ' ἐρεῖ καὶ παρέσται τοῖς πράγμασιν, ὡς ἔστι μάλιστα τοῦτο δέος, μὴ πανοῦργος ὢν καὶ δεινὸς [2] ἄνθρωπος πράγμασι

[1] ζοηθήσητε [2] ἄνθρωπος

(II.) §. ζ. εἴ τις ἔχει). Rüdig.

Ἀλλὰ καὶ τῆς ὑμετέρας τύχης ὑπολαμβάνω, etc.] Id est, *Sed vestræ etiam esse fortunæ existimo, ut nonnullis ex tempore quoque succurrant animo, quæ dicenda sunt in rem vestram.* Leviter allusisse videtur ad Atheniensium δυσβουλίαν, hoc est, læva stultaque consilia: quod vitium ipsis ἐντιχώριον, hoc est, *vernaculum* fuisse ex fabula constat, qua, quæ illi male constituissent, Minervam in bonos exitus vertere solitam proditum est: quo etiam Aristophanes allusit in Vespis [v. 1086.] γλαῦξ γὰρ ἡμῶν πρὶν μάχεσθαι τὸν στρατὸν διῆστατο, id est, *Ululatus noster ante pugnam pervolarat copias.* Vide proverbium Erasmi, Atheniensium inconsulta temeritas. *Ex edit.* Hervag.

Ἐνίοις ἂν ἐντελθεῖν] Hoc verbum pertinet ad eos, qui, quæ mentem subeant, dicunt, of. de Megap. §. ς'. fin. ἀλλ' ἴσως τό γ' ἐντελθὸν εἰπεῖν μοι. "Demadi contigere iste iugenii impetus, ea in effingendis imaginibus felicitas eaque promta atque repentina lumina, quæ nonnunquam lentæ diligentiæ longe præstant." *Tourr.* Cfr. Plut. Vit. Dem. c. 8. De Æschine Philostr. Sophist. c. 18. Rüdig.

Ἐνίοις ἂν ἐντελθεῖν εἰπεῖν] Ἂν hic significat *nonnunquam, haud raro.* Aliis locis reddi potest *sæpe, plerumque*: mitigat, et hac significatione omnibus modis verbi additur, e temporibus imprimis aoristo. Phil. III. §. ί. ἀκούω Λακεδαιμονίους — ἐκβαλόντας ἂν — ἀναχωρεῖν ἴσως οἴκου πάλιν. Cf. Wyttenbach. Biblioth. Crit. vol. III. p. IV. p. 33. s. Porson. ad Phœn. 412. Interdum librarii offenderunt, ut apud Isoc. Areop. 20. οὐδὲ γὰρ τὰ περὶ τῆς δικαιοσύνης, ἂν ἴσως τις ἔλθοι, ἀσυλλογίστως οὐδ' ὑπερφάντως, ἀλλὰ νουνεχόντως ἐκείνου, ubi H. Wolfius eumque secutus Augerus recte scripserunt, ἂν ἴσως ἂν τις ἔλθοι. Brem.

Γ'. Παρὼν καιρὸς] Est hæc prosopopœia, quod tempori oratio tribuitur. Cic. Catil. III. 5. 'imago te a tanto scelere etiam muta revocare debuit.' Rüdig.

Πραγμάτων — ἐκείνοις] Rerum quæ illic, np. apud Olynthum, geruntur. Auger. ἐκείνοις referendum ad Olynthios. Rüdig.

Εἴπερ ὑπὲρ] Orat. pro Corona αἴσθοιτο φόβους. Taylor.

Αὐτῶν] Cum spiritu aspero, i. e. ὑμῶν αὐτῶν, *vestrum ipsorum.* Auger.

Οὐκ οἶδ' ὅντινα] Est hyposiopesis, si quis quid additurus, evitandi periculi causa non dicere vult. Locum nostrum laudat Thom. M. s. δοκῶ. Rüdig.

Ἔστι δὴ τά γ' ἐμοὶ] Quum illa ita sint, adduco ut dicam, quæ sentiam; hinc δή, nam quod alii libri habent δὲ non quadrat, vides etiam δέ in Lib. de Constr. verb. apud Herm. d. em. rat. gr. gr. p. 389., ubi et hoc mutandum et τά τ' in τά γ'. Idem.

Βοηθήσητε] Sed scripsit Bekkerus ζοηθήσετε, verum, ut Olynth. II. (I.) §. ά. retinui vulgatam. Vid. quæ contra monet F. A. Wolf. Lept. vol. II. p. 434. Idem.

Πρεσβείαν] Quæ quasi pignus sit mittendi auxilii. Idem.

Παρέσται] Intererit rebus ibi gerendis, ne eas turbet Philippus. Idem.

Πανοῦργος] Schol. Hermogenis ita expl.:

χρῆσθαι, τὰ μὲν εἴκων, ἡνίκ' ἂν τύχῃ, τὰ δ' ἀπειλῶν — ἀξιόπιστος δ' ἂν εἰκότως φαίνοιτο —, τὰ δ' ἡμᾶς διαβάλλων καὶ τὴν ἀπουσίαν τὴν ἡμετέραν, [1] τρέψηται καὶ παρασπάσηταί τι τῶν ὅλων πραγμάτων.

γ'. Οὐ μὴν ἀλλ' ἐπιεικῶς, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῦθ', ὃ 58 δυσμαχώτατόν ἐστι τῶν Φιλίππου πραγμάτων, καὶ βέλτιστον ὑμῖν· τὸ γὰρ εἶναι πάντων ἐκεῖνον ἕνα ὄντα κύριον καὶ ῥητῶν καὶ ἀπορρήτων, καὶ ἅμα στρατηγὸν καὶ δεσπότην καὶ ταμίαν, καὶ πανταχοῦ αὐτὸν παρεῖναι τῷ στρα-

[1] δρέψηται

ἡ πᾶσιν ἰσχυρὸς ἐπιβάλλειν (coll. Fragm. Lex. gr. apud Herm. d. em. rat. gr. gr. p. 343.), κατεχρήσαντο δὲ τῇ λέξει οἱ παλαιοὶ ἐπὶ τοῦ ἐν κακοῖς πράγμασι καὶ ἰσχυρὸς ἐπιβούλου (coll. Hesych. s. h. v.). IDEM.

Τύχῃ] Ad ipsum Phil. referendum, ita τύχοιτε Phil. I. §. ιβ., ubi vid. dicta. IDEM.

Ἀξιόπιστος] De hac calliditate Regis vid. Olynth. II. (I.) §. γ'. Justin. IX. 8. IDEM.

Εἰκότως] Ἐυλόγως. v. 5. q. glossa. TAYLOR.

Τὴν ἀπουσίαν τὴν ἡμετέραν] Hinc ait Mountneius palam esse, auxilium Olynthiis jam ante fuisse decretum, quam hæc oratio habita fuit: qui enim aliter Philippus Atheniensium *absentiam* criminari potuit? Respondeo, sententiam istam esse tantum hypotheticam: *vereor ne*, si abfuerimus, *Philippus hanc absentiam tanquam ansam reprehensionis arripiat*. Cæterum facile inducor ut credam, priusquam ullam habuisset de Olynthiis concionem Demosthenes, et initam fuisse cum eis societatem, et auxilia etiam decreta: sed auxilia ex conducitiis copiis, non ex civibus Atheniensibus conflata. STOCK.

Τρέψηται καὶ παρασπάσ.] Reiskius ex conjectura dedit δρέψηται, ita ut hoc referret ad ἀπουσίαν, sequutus est Jacobs. Sed illa metaphora *carpendi* scriptores prosaici, quod scio, non utuntur; vulgata, quæ a Schol. agnoscitur, bene habet, nam est hic tropus (τρέπ. π. παρασπ.) desumtus ab iis, qui quum ad aras confugiant, inde abstrahuntur. RÜDIG.

Τῶν ὅλων πραγμάτων] i. q. Cic. d. Or. II. 37. dicit *res maximæ*, nos *das Interesse des Staates*. IDEM.

γ'. Ῥητῶν καὶ ἀπορρήτων] Quæ sunt *dicenda* et *tacenda*. Si plures arcana reipubl. noverunt, facile res miscentur. In Aristog. II. §. ί. Ἱλίγχει τὰ ἀπόῤῥητα τῆς πολιτείας. IDEM.

Ἅμα στρατηγὸν, καὶ δεσπότην, καὶ ταμίαν] Demosthenes mirabiliter hic exponit quanto Rex, qui suo ipse exercitui imperat, superior sit Imperatoribus qui cujusvis Reipublicæ copiis præsunt. Post eum Titus Livius hanc ipsam rem [lib. ix.] tractavit, atque ita quidem, ut dubites annon Oratorem Historicus æquaverit. Comparatione instituta inter Alexandrum et Romanos duces, quibuscum Regi Macedoniæ pugnandum esset, si arma ad Italiam vertisset, 'Quin tu hominis,' inquit, 'cum homine, et ducis cum duce, fortunam cum fortuna confers. Quot Romanos duces nominem, quibus nunquam adversa fortuna pugnæ fuit? Paginas in annalibus magistratuum percurrere licet, consulum, dictatorumque, quorum nec virtutis, nec fortunæ ullo die populum Romanum pœnituit. Et quo sint mirabiliores, quam Alexander, aut quisquam alius Rex; denos, vicenosque dies quidam dictaturam, nemo plus quam annuum consulatum gessit: ab tribunis plebis delectus impediti sunt: post tempus ad bella ierunt: ante tempus, comitiorum causa, revocati sunt: in ipso conatu rerum circumegit se annus: collegæ nunc temeritas, nunc pravitas, impedimento aut damno fuit: male gestis rebus alterius successum est: tironem, aut mala disciplina institutum, exercitum acceperunt. At, Hercule, Reges, non liberi solum impedimentis omnibus, sed *Domini rerum temporumque, trahunt consiliis cuncta, non sequuntur*.' In tam paucis verbis quanta sublimitas, quanta vis! *Tourtell.* MOUNT.

Στρατεύματι] Nihil eorum, quæ Philippi consiliis perficiendis favebant, cadebat in duces Atheniensium, qui a decretis populi pendebant. Quemadmodum vero orator *asyndetis*, ut complures res animis audientium una infigat, utitur, ita partic. καὶ sæpius repetita, quod nostro loco

τεύμαται, πρὸς μὲν τὸ τὰ τοῦ πολέμου τάχυ καὶ κατὰ καιρὸν πράττεσθαι πολλῷ προέχει, πρὸς δὲ τὰς καταλλαγάς, ἃς ἂν ἐκεῖνος [1]ποιήσαιτο ἄσμενος πρὸς Ὀλυνθίους ἐναντίως ἔχει. δῆλον γάρ ἐστι τοῖς Ὀλυνθίοις, ὅτι νῦν οὐ περὶ δόξης οὐδ' ὑπὲρ μέρους χώρας πολεμοῦσιν, ἀλλ' ἀναστάσεως καὶ ἀνδραποδισμοῦ τῆς πατρίδος, καὶ ἴσασιν ἃ τ' Ἀμφιπολιτῶν ἐποίησε τοὺς παραδόντας αὐτῷ τὴν πό-

[1] ποιήσηται

factum vides, novo novum additurus, rei gravitatem sensim adaugere vult. Demetr. de Elocut. §. 11. 21. hæc vocat σισωρευμένα καὶ ἐπῃρμένα κῶλα. Rüdig.

Κατὰ καιρὸν] *Tempore justo*, Oryill. ad Char. p. 419. Idem.

Προέχει] Hoc quum Reiske ad Philipp. referendum putaret, maluit antea scribi τῷ γὰρ εἶναι, at ipsum τὸ εἶναι est subjectum, ad quod προέχει pertinet, cui verbo πολλῷ additum vides, quoniam notio *comparationis* in eo inest. In Dionysod. p. 1283. 2. ed. R. ὁ δαπιζόμενος ἐν παντὶ προέχει ἡμῶν. Idem.

Ποιήσαιτο] Vulg. ποιήσηται, quod Reiskius retinuit, sed illud ex Weim. jam Felic. Wolf. Aug. Bekk. recte dederunt, nam auctor non dicit: fœdus, quod lubens *fecerit*, sed quod *faceret* Philippus. Idem.

Περὶ δόξης οὐδ' ὑπὲρ] Περὶ dicitur de rebus, quas quis (pugnando) adepturus est, ὑπὲρ de periculo, quod quis propulsaturus est, cf. in Aristocr. §. νθ'. εἰ ὑπὲρ δόξης καὶ ἐλευθερίας τελευτήσαντες. Idem.

Ἀναστάσεως καὶ ἀνδραποδισμοῦ] Vid. b. l. apud Herm. d. em. rat. gr. gr. p. 343. De ἀνδραποδ. cf. ad Phil. I. §. ιδ'. Idem.

Ἀλλ' ἀναστάσεως] Post ἀλλὰ, ἢ, ὡς, præpositio frequenter non repetitur: quod interdum viris doctis corrigendi libidinem movit. Hic autem imprimis id notandum, quod post ἀλλὰ prior, non secunda, antecedentis enuntiationis præpositio repetenda sit. Nec enim, opinor, recte dicitur πολεμεῖν ὑπὲρ ἀναστάσεως de cive, qui pugnat, ne patria pessumdetur, sed περὶ τῆς ἀναστάσεως. Patebit hoc, ni fallor, si de discriminè præpositionum περὶ et ὑπὲρ in hujusmodi locutionibus paullo accuratius disputaverimus. Nolo longus esse in aliorum opinionibus refellendis. Περὶ latius patet, ὑπὲρ artius est circumscriptum. Περὶ significat aliquid fieri ratione habita ad rem, quæ nobis sive in bonam sive in malam partem magni momenti est, cujus vel studio et amore, vel odio et aversione tenemur. Fieri igitur potest, ut eam vel parare et tenere, vel abjicere et repudiare capiamus. Τυὶ autem tum nonnisi ponitur, quum res in bonam partem magni nobis est momenti, quum eam vel acquirere nobis vel non amittere studeamus. Ex quo negavi dici posse πολεμεῖν ὑπὲρ ἀναστάσεως de cive (nec enim quisquam bonus voluerit patriam suam everti), sed πολεμεῖν περὶ ἀναστάσεως, ne excidium patriæ fiat; neque sanæ mentis homo πολεμεῖ ὑ κινδυνεύει ὑπὲρ τοῦ θανάτου, sed περὶ τοῦ θανάτου, ut eam avertat; contra πολεμεῖ ὑπὲρ τοῦ βίου, ut vitam servet. Id quidem intelligitur, περὶ pene posse, ubi ὑπὲρ accuratius fuerit: quod viris etiam doctissimis interdum imposuit. Sic legimus Eurip. Alcest. 178. ἀνδρὸς, οὗ θνήσκω περί: pro quo Valckenaerius ad Phœn. 1336. suspicabatur οὗ θνήσκω γ' ὑπὲρ, quod nemo probabit, etiam si præpositio aptior sit. Lysias πρὸς Σίμωνα p. 161. R. Ἵνα ἐπίστησθε, ὅτι πολὺ ἂν δικαιότερον αὐτὸς περὶ θανάτου ἠγωνίζετο, ἢ ἑτέρους ὑπὲρ τῆς πατρίδος εἰς κίνδυνον καθίστη, ubi Marklandus περὶ τῆς πατρίδος conjicit, vim præpositionis ὑπὲρ nimium circumscribens. Contra non opus erat, ut idem vir doctus, sequente Reiskio, p. 123. scriberet: οὐ μόνον ὑπὲρ (vulgo περὶ) τῆς αὐτῶν σωτηρίας κινδυνεύειν, ἀλλὰ καὶ ὑπὲρ τῆς τῶν πολεμίων ἐλευθερίας ἀποθνήσκειν: nam in ipsa præpositionum varietate magna vis inest. Interdum nonnisi variandi causa altera alteram excipit; κατ' Ἀριστοκρ. §. ά. ὑπὲρ τοῦ κεφάλαιον ἔχειν ὑμᾶς ἀσφαλῶς —— περὶ τούτου μοι ἐστὶν ἅπασα ἡ σπουδή. Brem.

Ἀμφιπολιτῶν — Πυδναίων τοὺς ὑποδεξ.] Schol. enarrat, Philippum, Amphipolin ingressum, proditores, quippe homines, quibus ipse non confidere posset, interfici jussisse; idem accidisse Pydnæis proditoribus, quos, ad aram confugientes, precibus hinc deduxit. Quanquam Diod. S. XVI. 8. (ubi vid. Wessel.) narrat, Amphipolin tormentis bellicis esse captam et

λιν καὶ Πιδναίων τοὺς ὑποδεξαμένους. καὶ ἄλλως ἐστίν σφιν, ὦμεν, τοῖς πολιτείαις ἡ τυραννίς, ἄλλως τε καὶ ὅμορον χώραν ἔχουσι.

δ'. Ταῦτ' οὖν ἐγνωκότας ὑμᾶς, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καὶ ταῦτα ἃ προσήκει πάντα ἐνθυμουμένους χρὴ δεῖν ἐθέλησαι καὶ παροξυνθῆναι καὶ τῷ πολέμῳ προσέχειν, εἴ ποτέ ποτε, καὶ νῦν, χρήματα εἰσφέροντας προθύμως καὶ αὐτοὺς ἐξιόν- 59
τας καὶ μηδὲν ἐλλείποντας. οὐδὲ γὰρ λόγος οὐδὲ σκῆψις ἔτ' ὑμῖν τοῦ μὴ τὰ δέοντα πᾶσιν ἐθέλειν ὑπολείπεται, νυνὶ γάρ, ὃ πάντες [1]ἐδρυλεῖτε, ὡς Ὀλυνθίους ἐκπολεμῶσαι δεῖ
11 Φιλίππῳ, γέγονεν αὐτόματον, καὶ ταῦθ' ὡς ἂν ὑμῖν μάλιστα συμφέροι. εἰ μὲν γὰρ ὑφ' [2]ὑμῶν πεισθέντες ἐπολέμουν τὸν πόλεμον,

[1] ἐβουλεύετο

[2] ἡμῶν

Pydnam vi subjectam, tamen non Nostrae hoc negat, neque illa Demosthenis narrationem; quo quisque consilio rem mutavit; fortasse utrumque verum. Quid vero acciderit iis, qui Olynthum tradiderat, exponimus in Proleg. Ut hoc loco accipiat, post genitiv. collocatum vides, ita vid. de Megalop. §. γ'. ἵνα συμπολεμῶσι συμμάχους, Ἀριόβαρζαν τὸν βουλόμενον. Rüdig.

'Ισασιν ἃ τ' Ἀμφιπολιτῶν ἐποίησαν τοὺς παραδόντας, etc.] Philippus, cum Amphipolim et Pydnam proditione coeperat, proditores vel merito vel exsilio mulctavit. Nihil tamen Olynthii magistratibus exemplum profuit. Anno quippe orationes Olynthiacas sequente, proditionem tam male remuneratam imitati sunt: proque ea eadem ipsi praemia acceperunt. *Tourtell.* Stocs.

Καὶ ἴσασιν ἃ τ' Ἀμφιπολιτῶν ... ὑποδεξαμένους] Solet dici τι esse trajectum. Collocandum enim est post vocabulum, quod primum partitionis membrum inchoat, hic post Ἀμφιπολιτῶν: quem ad morem vindicandum Heindorfius ad Platon. Phaed. 80. 88. ait, 'sextiens, sexcentiens τι trajici,' aliique id repetierunt. Contra quod nuper Schaefrus in editione posterum Gnom. Gr. p. 73. atque in indice s. v. σι affirmavit, vere, ni fallor, in hac collocatione aliquid repetendum esse ad καὶ, quo repetito suum utraque particula locum obtinent, v. c. hic ἃ τ' Ἀμφιπολιτῶν ἴσασι —— καὶ ἃ Πυδναίων etc. Bekk.

Ἅπασι — ἡ τυραννίς] Quando nantrum adjectivi substantivi sustinet vices, aliis substantivis adjunctum quum retinet genus, item in lingua Latina, cfr. Vig. p. 63. Herm. ll. ll. 20. οἱ ἀγαθοὶ πολιτικοὶ. Nostrum loc. laudat Stob. p. 344, 66. Add. Phil. II. §. γ'. οὐ γὰρ ἀσφαλὲς τοῖς πολιτείας περὶ τοὺς τυράννους αἴτιον δίκην ὑπολείπειν. Rüdig.

γ'. Παροξυνθῆναι] Quid sit, vid. ex or. Mid. §. ά. ὁ δῆμος ἅπας οὕτως ἐκπέπληκται καὶ παροξύνθη. Idem.

Ἐπιτελεῖσθαι δεῖ] Illam vocem explicuimus Olynth. III. (II.) §. γ'. cfr. Harpocrat. s. h. v. Pro δεῖ vulg. scribitur δεῖν, sed hoc iis deberi videtur, qui dicturant ἐδρύλλουν τινες. Nam alii ex interdum oratt. inserit. structae (Matth. Gr. gr. 518. not. 1.), tamen hoc in structura implicita fieri solet. Idem.

Μάλιστα συμφέροι] Nam et aliis opitulamini, qui ventrum implevere auxilium, et ipsi, hac occasione utentes, injurias vobis illatas ulciscemini. Idem.

Ἡμῶν] Ὑμῶν Bekkerus ex.; etsi praecedat ὑμῖν, tamen, ut paulo infra dicit ἡμῶν et συμπολεμῶσι, ita hic ἡμῶν dixisse videtur. Idem.

Μίκρι του] Id est, μίκρι τινός, *aliquatenus, quodammodo.* Gallice, *jusqu'à un certain point.* Auger.

Μίκρι του ταῦτ' ἂν] *Aliquamdiu in hac sententia fuissent*, sc. bellum esse gerendum. Non est, quod quis cum Reiskio ταῦτ' ἂν malit scribi. Rüdig.

Μίκρι του ταῦτ' ἂν ἐγνωκότες ἦσαν ἅπας] Μίκρι et ἄχρι interdum minuentis sunt, ita ut μίκρι του significet *mediocriter, non tantum, quantum vel oportet vel opus est.* de Cher. §. ιη'. ἄχρι τοῦ θορυβῆσαι καὶ ἐκπλῆξαι τοὺς ἀκούοντας. Nostrum μίκρι του in-

ταῦτ' ἂν ἀγνοῆτε ἦσαν ἴσως· ἐπειδὴ δ' ἐκ τῶν πρὸς [1] αὐτοὺς ἐγκλημάτων μισοῦσι, βεβαίαν εἰκὸς τὴν ἔχθραν αὐτοὺς ὑπὲρ ὧν φοβοῦνται καὶ πεπόνθασιν ἔχειν. Οὐ δεῖ δὴ τοιοῦτον, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, παραπεπτωκότα καιρὸν ἀφεῖναι, [2] οὐδὲ παθεῖν ταὐτὸν ὅπερ ἤδη πολλάκις πρότερον πεπόνθατε. εἰ γάρ, ὅθ' ἥκομεν Εὐβοεῦσι βεβοηθηκότες καὶ παρῆσαν Ἀμφιπολιτῶν Ἱέραξ καὶ Στρατοκλῆς ἐπὶ τουτὶ τὸ βῆμα, κελεύοντες [3] ἡμᾶς πλεῖν καὶ παραλαμβάνειν τὴν πόλιν, τὴν αὐτὴν παρειχόμεθ' [4] ἡμεῖς ὑπὲρ ἡμῶν

[1] αὐτοὺς [2] οὐδὲ δὴ παθεῖν [3] ὑμᾶς [4] ἡμεῖς καὶ ὑπὲρ

terdum corruptum fuit, et Reiskius bene meruit veram lectionem restituendo, ut κατὰ Ἀριστοφ. §. ν'. fin. ἄχει του καὶ φιλεῖν, οἶμαι, χρὴ καὶ μισεῖν, μᾶλλον τὸν παῖδα ὑπερβάλλοντας. σφρὶ Μιχαλ. §. 4. ὅτι τὰ μὲν ἄλυπα πάντες, ἐὰν καὶ μὴ βούλωνται, μέχρι τού γε αἰσχύνωνται μὴ σφρίττειν. Brem.

Πρὸς αὐτοὺς ἐγκλημάτων] Quum ἔγκλ. dicatur de *offensa alicui illata*, αὐτοὺς, quod Auger. et Bekk. dederunt, verum existimamus, nam vulg. αὐτούς. Rüdig.

Πεπόνθασι] De hac re nihil certi constat, sed quum, monente Lucches., Philippus Ol. 106. 1. et 107. 4. in Thraciam sit profectus, hâc occasione fortassis usus est ad agrum Olynthiorum oppugnandum. Expessimus hanc rem in Prolegg. Idem.

Οὐδὲ παθεῖν] Non debebat Reiskius partic. δὴ inter has voces ponere, bene cett. edd. deleverunt. Idem.

Ταὐτὸν] F. τοῦτο. Taylor.

Εἰ γάρ, ὅθ' ἥκομεν Εὐβοεῦσι βεβοηθηκότες] Olymp. 105. Ann. 3. hoc est, novem annos ante habitam hanc orationem, Euboea in duas factiones distracta fuit, quarum una Thebanorum, altera Atheniensium opem imploravit. Thebani principio, nullis obstaculis interecedentibus, suas parti victoriam facile compararunt. Adventu autem Atheniensium tota rerum facies immutata est. Ii Thebanos repelluat, omniaque in Euboea tranquillitati pristinæ restituunt, nullam aliam laboris mercedem cupientes, præter gloriam quæ ex victoria et pacificatione sibi proveniret. Æsch. in Ctesiph. Tourrell. Mount. Vid. Nott. ad Philip. I. §. ζ'.

Παρῆσαν Ἀμφιπολιτῶν Ἱέραξ, καὶ Στρατοκλῆς ἐπὶ τουτὶ τὸ βῆμα, etc.] Legati peregrini, mandata sua exposituri, suggestum conscendere, quo melius a populo intelligerentur. Hierax et Stratocles Amphipolees nomine, cui nova a Philippo obsidio imminebat, se suamque urbem in fidem et tutelam Atheniensibus offerebant, qui eos accipere noluerunt, veriti scilicet, ut pacem anno superiore cum Philippo initam dirimerent. Tourrell. Mount. Cf. Harpocrat. s. v. Ἱέραξ.

Παρῆσαν — ἐπὶ τουτὶ τὸ βῆμα] Suspicabar olim παρεῖσαν, quum præsertim παρεῖναι sit verbum proprium oratorum, qui suggestum ascendunt (vide Sluiteri lectt. Andoc. p. 194. s.), idemque dubitanter quidem proponit Heindorfius ad Platon. Theæt. §. 136. Sed mutatione opus non est. Si παρεῖναι construitur cum præpositione, quæ motum ad locum significat, adest *confusio duarum notionum*. In præpositione inest motus ipse ad locum, in verbo id, ut sis in loco, ut eo perveneris. Exempla præter alios habent Valckenaer ad Herod. I. 23. Seidlerus ad Eurip. El. 1275. Brem.

Ἡμᾶς πλεῖν] Vulg. ὑμᾶς, sed primam personam ex pluribus eodd. cum Bekkero scripsi, nam respondet ἥκομεν. Vulg. πλεῖν legitur, at in Ald. utraq., Fel. Wolf. et Auger. ἰκνεῖσθαι, quod quum Demosthen. sæpius in simili locutione adhibeat, recipiendum putavi. Timoth. p. 1186, 11. ed. R. μᾶλλον ἰκνεῖν τὸν ὕστερον ἤπερ τὸν πρότερον Τριβαλλοὺς οὗτοι: similiter §. ζ'. ἰκνούμενον. Rüdig.

Παρειχόμεθ' ἡμεῖς καὶ] Ammon. de diff. voce., qui (p. 108. Valck.) nostrum locum memoriter laudat (τὴν αὐτὴν παρεχόμεθα προθυμίαν), dicit, παρέχεσθαι λέγεται ἐπὶ τῶν τῆς ψυχῆς διαθέσεων. Cur Bekkerus vocem καὶ ejecerit, non video, nam bene suum obtinet locum. Idem.

Εἰ γὰρ ——— τὴν αὐτὴν παρειχόμεθ' ἡμεῖς — προθυμίαν ——— εἶχεν ἂν cet.] Non decernam, utrum verbum simplex et compositum oppositum consulto sit. Ejusmodi alliterationibus vel paronomasiis, ut appellantur, veteres grammatici et rhetorici imprimis delectabantur, easque etiam Demostheni tanquam ornatum et elegantiam tribuebant, locis, quibus Demosthenes

αὐτῶν προθυμίαν ἧπερ ὑπὲρ τῆς Εὐβοέων σωτηρίας, εἶχετ' ἂν Ἀμφίπολιν τότε καὶ πάντων τῶν μετὰ ταῦτα ἂν ἧτε ἀπηλλαγμένοι πραγμάτων. καὶ πάλιν ἡνίκα Πύδνα, Ποτίδαια, Μεθώνη, Παγασαί, τἄλλα, ἵνα μὴ καθ' ἕκαστα λέγων διατρίβω, πολιορκούμενα ἀπηγγέλλετο, εἰ τότε τούτων [1]ἑνί τῳ πρῶτον προθύμως καὶ ὡς προσῆκεν ἐβοηθήσαμεν αὐτοί, ῥᾴονι καὶ πολὺ ταπεινοτέρῳ νῦν ἂν ἐχρώμεθα τῷ Φιλίππῳ. [2]νῦν δὲ τὸ μὲν παρὸν [3]ἀεὶ προϊέμενοι, τὰ δὲ μέλλοντα αὐτόματ' οἰόμενοι σχήσειν καλῶς, ἠξήσαμεν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, Φίλιππον ἡμεῖς καὶ κατεστήσαμεν τηλικοῦτον, ἡλίκος οὐδείς πώ [4]ποτε βασιλεὺς γέγονε Μακεδονίας. νυνὶ δὲ καιρὸς [5]ἥκει τις οὗτος, ὁ τῶν Ὀλωθίων,

[1] ἐπὶ τῷ † πρώτῳ [2] νυνὶ [3] alii [4] † Deest ποτε. [5] ἦσαν· τίς οὗτος;

hunc honorem vehementer deprecaretur. Sic nobis scribit Hermogenes, respiciens ad verba de Chers. §. ζ'. μέλλειν — μέλλειν: Τὸ καθ' ἡμερότητα λέξεως ἱμείρεται τοῦ δριμύτητος. οἷον· "μέλλει πολιορκεῖν τοὺς Ἕλληνας ἐκδίδωσι· μέλει γάρ τοι τῶν τὴν Ἀσίαν οἰκούντων Ἑλλήνων;" Ἐγὼ μὲν σφόδρα σύλλογῖς εἶχον δεῖσαι ὡς παράδειγμά τινος δριμύτητος. ἐπεὶ δὲ τῶν σφόδρα εὐδοκιμούντων τοὺς κατὰ τοὺς πρὸ ἡμῶν ἀνδρίαντας καὶ νῦν εὐδοκιμούντων ἐπὶ ὀξυρρόπῳ λόγῳ, ἐν οἷς ἀναλελοίπασι βιβλίοις, οὕτω τεθεώρηκασι καὶ τοῦτο καὶ τοιοῦτοι γε ὡς παράδειγμα δριμύτητος ταύτης; εἰρήσθω καὶ ἡμῖν. καίτοι τάχ' ἴσως οὐδ' ἐκεῖνα δριμύτης, εἴπερ οὕτω γένοιτο, ἐκφαύγοις τὴν ψοχρότητα. Hermogenes summum profecto jus habet contra suos sine jure celebres decessores. Bonus etiam Reiskius, cujus coteroqui summa virtus elegantia non erat, hoc notat: "Certus sum, Demostheni nunquam in mentem venisse tam frigidas et umbratilis puerilitatis, ut in vocabulis μέλλει et μέλλει luderet."— Quamquam ne Demosthenes quidem hanc figuram, quæ suo loco adhibita vim et subtilitatem orationi tribuit, non prorsus rejecit. §. ς'. πάλιν βαίσας οἷα ἐπὶ τὸ μέσθυμεῖν ἀνέκλινον: illud de corpore, hoc de animo et mente, respiciens ad bonam illius et malam hujus significationem. de Chers. §. γ'. fin. Τί δ', ἂν ἀνεληλυθὼς ἐκ Θράκης καὶ μηδὲ προσελθὼν Χερρονήσῳ —— ἐπὶ Χαλκίδα ἢ Μίνθαν ἴῃ; ibid. §. ιά. πάνθ' ὅσα πραγματεύεται καὶ κατασευσάζεται νῦν, ἐπὶ τὴν ἡμετέραν πόλιν παρασευάζεται. Olynth. III. (II.) §. ί. μὴ σκοπεῖτε, τίς εἰμὶν τὰ εἰπόντα ὑπὲρ ὑμῶν ἢ φ' ὑμῶν ἀναλήφθαι βουλήσεται. Sed in his rebus Demosthenes perquam sobrius est, nec, ut Isocrates, harum elegantiarum avidus; sed plerisque omnibus in locis fieri non posse videtur, ut sententia aliis quam his ipsis verbis exprimatur. Brem.

"Ηκιστ' ἂν ἐν τῇς Εὐβοέων σωτηρίας] Tribus juxta Demosthenem in Androt. diebus, quinque autem juxta Æschinem in Ctesiph., parati ad hanc expeditionem erant Athenienses, ejusque prosper successus non minus repentinus erat, quam apparatus. *Tourtell.* Mount.

Ἡνίκα Πύδνα] De expugnatione hujus ceterarumque urbium dictam ad Phil. I. §. γ'. et §. η'. adde Ituj. orat. §. ς'. Rüdig.

Ἐπὶ τῷ πρώτῳ] Bekker. dedit ἐπὶ τῷ πρώτῳ. Sed quum Schol. explicet ἐπὶ μέρει τῷ πρώτῳ, ut vulgatam agnoscat, hanc mutare nolui. Nimirum ne dicere videatur orator, omnibus simul fuisse opitulandum, contendit, *uni tantum, qui primo auxilium petiisset*, auxilium fuisse ferendum. Idem.

Τοσουτονὶ] Inculcatur modestia, quam Philippus, oppida illa capiendo, violaverat. Hunc locum habet Thom. M. p. 779.

Νῦν δὲ] Reiskius ex nonnullis libris dederat νυνὶ, sed non tam temporis *præsentissimi* quam *oppositionis* notio hic requiritur, ita ut jure Bekker. vulg. prætulerit. Vig. p. 426. Ex initio seq. §. permutatio orta videtur. De τῦν et νυνὶ monitum ad Olynth. III. (II.) §. β'. Idem.

Τίς οὗτος;] L. τίς; οὗτος. id quod p. 30. v. 9. ed. R. quoque repetit. Taylor.

Τίς; οὗτος] Bekk. τις οὗτος, ὁ—Videtur vero Dem. per οὗτος ad quæstionem respondere. Jam Schol. hujus triplicis ra-

αὐτόματος, τῇ πόλει, ὃς οὐδενός ἐστιν ἐλάττων τῶν προτέρων ἐκείνων.

ε. Καὶ ἔμοιγε δοκεῖ τις ἄν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, δίκαιος λογιστὴς τῶν παρὰ τῶν θεῶν ἡμῖν ὑπηργμένων καταστάς, 12
καίπερ οὐκ ἐχόντων ὡς δεῖ πολλῶν, ὅμως μεγάλην ἂν ἔχειν αὐτοῖς χάριν εἰκότως· τὸ μὲν γὰρ πολλὰ ἀπολωλεκέναι κατὰ τὸν πόλεμον τῆς ἡμετέρας ἀμελείας ἄν τις θείη δικαίως, τὸ δὲ μήτε πάλαι τοῦτο πεπονθέναι, πεφηνέναι τέ τινα ἡμῖν συμμαχίαν τούτων ἀντίῤῥοπον, ἂν βουλώμεθα χρῆσθαι, τῆς παρ' ἐκείνων εὐνοίας εὐεργέτημ' ἂν ἔγωγε θείην. ἀλλ', οἶμαι, παρόμοιόν ἐστιν, ὅπερ καὶ περὶ τῆς τῶν χρημάτων κτήσεως. ἂν μὲν γάρ, ὅσα ἄν τις λάβῃ, καὶ σώσῃ, μεγάλην ἔχει τῇ τύχῃ τὴν χάριν· ἂν δ' ἀναλώσας λάθῃ, συνανάλωσε καὶ τὸ [1] μεμνῆσθαι τὴν χάριν. καὶ περὶ τῶν πραγμάτων οὕτως οἱ μὴ χρησάμενοι τοῖς καιροῖς ὀρθῶς οὐδ' εἰ συνέβη τι παρὰ τῶν θεῶν χρηστόν, μνημονεύουσι·
61 πρὸς γὰρ τὸ τελευταῖον, ἐκβὰν ἕκαστον τῶν προϋπαρξάν-

[1] μεμνῆσθαι τῇ τύχῃ τὴν

tionis mentionem facit. Rüdig.

Τῶν προτέρων] Nostrum habebat: τῶν πρότερον, quod magis videtur Atticum et Demosthenicum. Obsopœus.

Προτέρων] Codd. al. πρότερον habent, quod magis Atticum est, et centies in Demosthene occurrit. Sic Philipp. §. γ'. τοῖς πρότερον; in Orat. pro Megalopolitis, τὸν πρότερον δύναμιν. Mount. Dedi πρότερον cum Mount., quo quidem recte judicante hoc magis Demosthenicum est. Olynth. II. (I.) §. γ'. τοὺς πρότερον συμμ. III. (II.) §. ς'. τῶν πλησίων. Cf. F. A. Wolf. ad Lept. §. κδ'. fin. Rüdig.

ε. Ὑπηργμένων] Nonnulli libri ὑπηρετημένων, sed glossema sapit; ὑπάρχειν alicui præsto esse, quem favore nostro amplectimur. Schol. vulgatam, quam Moschopul. συμβάντων explicat, confirmat. Idem.

Κατὰ τὸν πόλεμον] Mediam vocem omittunt multi libri, et Hoogev. ad Vig. p. 296. deleri vult, sed non delenda videtur, quum illud innuatur bellum, in quo Phil. oppida ista ceperat; oppositum est πάλαι. Hermog. ejusque Schol. articul. agnoscunt. Idem.

Ἀστίῤῥοπον] Hesych. ἰσόσταθμον, quod ejusdem est ponderis, itaque, quæ sunt amissa, recuperare valet. Orv. ad Char. p. 637. Olynthios opibus valuisse constat. Idem.

Θείην] Ducerem, arbitrarer. Id enim præter alia significat τιθέναι, ut τίθεσθαι. Budæus.

Λάθῃ] Imprudens. Vig. p. 258. Rüdig.

Συνανάλωσε — τὴν χάριν] Vulg. τὸ μεμν., et τῇ τύχῃ sine uncis. Sed in Cod. a. hæc ita habes: συνανάλωσε τῷ μεμνῆσθαι τὴν χάριν. De augment, in prima voce vid. ad Olynth. III. (II.) §. δ'. Dativum τῷ μεμν. recepi, quum sensus non sit: consumit memoriam gratiarum, sed una cum memoria beneficiorum ipsas gratias, ut respondeat ἔχει τὴν χάριν. De voce τύχῃ ambigo, eam posset sane ab interprete adjecta esse, sed haud scio, an Dem. ad vim locutionis augendam ipse eam addiderit, ut de Rhod. Libert. §. ιδ'. τάξεως, nisi et hoc abjiciendum est. Bekkerus τῇ τύχῃ delevit, cetera intacta reliquit. Similem dativi usum habes §. δ'. τὰ τῆς τροφῆς τοῖς ξένοις. Idem.

Οἱ μὴ χρησ.] Ad sententiam οἱ μὴ χρησάμενοι, Antonius et Maximus sermone 50. Taylor.

Ἐκβὰν] Sic Epist. ad Att. l. ix. Belbus ad Ciceronem: Nedum hominum humilium, ut nos sumus, sed etiam amplissimorum virorum consilia ex eventu, non ex voluntate, a plerisque probari solent. Atqui sapientum (ut ait Cicero eodem libro

τῶν ἐς τὰ πολλὰ πρίνεται. διὸ καὶ σφόδρα δεῖ τῶν λεγομένων ἡμᾶς, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, φροντίσαι, ἵνα ταῦτ' ἐπανορθωσάμενοι τὴν ἐπὶ τοῖς πεπραγμένοις ἀδοξίαν ἀποτριψώμεθα. εἰ δὲ προησόμεθα, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καὶ τούτους τοὺς ἀνθρώπους, εἶτ' Ὀλυνθον ἐκεῖνος καταστρέψεται, φρασάτω τις ἐμοὶ τί τὸ κωλῦον ἔτ' αὐτὸν ἔσται βαδίζειν ὅπου βούλεται.

ς'. Ἆρά γε λογίζεταί τις ὑμῶν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καὶ θεωρεῖ τὸν τρόπον, δι' [1]ὃν μέγας γέγονεν αἰσθενὴς ὢν [2]τὸ κατ' ἀρχὰς Φίλιππος; τὸ πρῶτον Ἀμφίπολιν λαβών, μετὰ ταῦτα Πύδναν, πάλιν Ποτίδαιαν, Μεθώνην αὖθις, εἶτα Θετταλίας ἐπέβη· μετὰ ταῦτα Φεράς, Παγασάς, Μαγνησίαν, πάνθ', ὃν ἐβούλετο εὐτρεπίσας τρόπον, 13 ὤχετ' [3]ἐς Θρᾴκην· εἶτ' ἐκεῖ τοὺς μὲν ἐκβαλών, τοὺς δὲ κα-

[1] ὧ [2] τυραννὶς [3] †εἰς

Epist. 5.) semper eamus eventorum magis movent, quam ipsa eventa. Mount.

Τῶν πρεσβυτέρων] In nostro legitur; τῶν πρὶν ὑπαρξάντων. Quae lectio videtur esse emendatior καὶ γνησιωτέρα. Oberdieck.

Ὡς τὰ πολλὰ] Haec verba absunt a Codd. nonn. Quum notis multitudinis inesse in ἔπαινον, illa interpretis esse existimo. Rüdig.

Ἡμᾶς] Τιμᾶς, commendat enim ipsis civibus deliberationem. p. 20. v. 1. τὴς ἑαυτοῦ εὐβάτας ἐνὶν ἡμῖν. Idem.

Περιεσόμεθα] Malim juxta Wolfium περιεσόμεθα et καταστρέψεται, quia oratur hypothetice loquitur. Auger.

ς'. Ἆρά γε λογίζεται—] De his rebus a Philippo gestis pascula inveniet lector in argumento Philip. I. ex Tourreilio: consulat autem Diodorum aliosque historicos. Sruck.

Δι' ὃν μέγας] Reiskius ex uno Cod. dedit δι' ὃ, secutus Augerus. Haec lectio etiamsi veri speciem prae se ferat, tamen non admittendam puto: nam διὰ cum acc. ad rationem, quae laudatur, pertinet, διὰ c. gen. ad ipsas res, quibus aliquid efficitur. Phil. II. §. β'. βούλομαι τοὺς λεγομένους ἄνωθεν διὰ βραχέων, δι' οὓς τηνικάδε μοι συμβέβηκεν ἀρχεσθαι, καὶ δι' ὃν ἐχθρὸν ἡγοῦμαι Φίλιππον, ad δι' ὃν intelligo πραγμάτων, quare Reiskius non in δι' οὓς debebat mutare: coll. de Cor. §. ζ'. Hom. Il. I. 72. ἐκ γὰρ τά τ' ἔπλετο—ἐν δὲ διὰ μαντοσύνην. Sic nostro loco modus, propter quem, i. e. qui in causa fuit, ut magnus fieret. Rüdig.

Ἀμφίπολιν — ἐπέβη] Amphipol. Pydn. et Potidaeam cepit Phil. Ol. 105, 3. Methonen et Thessaliam Ol. 106, 4. Struitur ἐπέβη cum gen. ut Orat. Funebr. p. 1394, ult. ed. R. νομίζω τοίνυν καὶ τοῦ τῆς χώρας ἡμᾶς μὴ ἐπεζεῦχθαι τοὺς πολεμίους. Idem.

Φεράς] Cfr. Phil. III. §. γ'. καὶ μὲν καὶ Φερὰς, πρότερον ἐκ φίλης καὶ σύμμαχος εἰς Θετταλίαν ἦλθεν, ἔχω λαμπρὰν, coll. ad Olynth. II. (I.) §. ς'. Cepit hanc urbem, ut et Pagasas (ad Phil. I. §. ιγ'.) et Magnesiam (ad Olynth. II. (I.) §. γ'.) Ol. 106, 4. Idem.

Τρόπον] Ut in ipsius cederent potestatem. Idem.

Εἰς Θρᾴκην] Haec invasio non ad Ol. 105, 1., quod Jacobs., Vir. Cel., vult, pertinet, sed ad Ol. 106, 4. Idem.

Ἐκεῖ τοὺς μὲν ἐκβαλών, τοὺς δὲ καταστησάμενος τῶν βασιλέων] De hac expeditione Diodorus ne verbum quidem. Justinus autem lib. viii. c. 3. refert, Philippum, circa tempus a Demosthene designatum, in eam Thraciae partem, quae Chalcidicen vocatur, trajecisse: ibique solita usum perfidia, captisque per dolum et occisis finitimis regibus, universam provinciam imperio Macedonico adjecisse. Frontinus refert, Alexandrum, postquam Thraciam subegisset, ejus reges ad expeditionem Asiaticam secum eduxisse, ne quid illi absente se turbarent. Unde patet, Philippum et Alexandrum multos regulos, Macedoniae tributarios, in Thracia constituisse. Tourreil. Mount.

Τοὺς μὲν ἐκβαλὼν, τοὺς δὲ] Dem. Aristocr. §. γ'. narrat, Cetye mortuo (Ol. 106,

ταστήσας τῶν βασιλέων ἡσθένησε· πάλιν ῥαΐσας οὐκ ἐπὶ τὸ ῥᾳθυμεῖν ἀπέκλινεν, ἀλλ' εὐθὺς Ὀλυνθίοις ἐπεχείρησε. τὰς δ' ἐπ' Ἰλλυριοὺς καὶ Παίονας αὐτοῦ καὶ πρὸς Ἀρύμ-

4.) Βησσάδων καὶ Ἀμάδοκον καὶ Κερσοβλέπτων τριῶν δυθ' ὑπὸ γενέσθαι βασιλέας. Cersobleptes filius Cotyos erat, quem pater voluerat imperium cum illis duobus partiri. Aristocr. Arg. 2. Cersobleptes hoc decretum repudiasse videtur, nam Suidas (s. Κερσοβλέπτης) auctor est, Amadocum ad Philippum venisse, ut ei auxilium ferret in bello contra Cersobleptem. Qua quidem occasione Phil. fortasse usus fuit, ut alterum expelleret, alteros faceret reges. Veruntamen Cersoblep. imploravit opem Atheniensium, qui Charidemum mittebant. Jam quum Diod. Sic. XVI. 71. referat, Cersoblepten, regem Thracum, Ol. 109, 2. esse ejectum, post illud tempus (Ol. 106, 4.) hic regnum patrium recuperasse videtur. Cfr. epist. Phil. §. ϛ'. Sed haec tempora non sunt confundenda. Rüdig.

Ἡσθένησε] Hujus morbi mentio fit Phil. I. §. ι. Olynth. III. (II.) §. γ'. Idem.

Ῥαΐσας] Harpocr. ῥᾳδίως ἔχων, nondum enim Phil. pristinam valetudinem recuperaverat. Idem.

Τὰς δὲ ἐπ' Ἰλλυριούς] Hodie Solavonii appellantur. Eos, Mons Scodrus sive Scardus, et Drilo flumen, a Macedonia versus Orientem separabant. Ergo quo Philippus imperium ingressus est, magnam ii de Perdicca ejus fratre victoriam reportarunt, pluresque ejus ditionis urbes ceperè. Philippus secundo regni sui anno fratrem ulcisci voluit, quaeque amiserat Perdiccas recuperare. Itaque novus Rex decies mille pedites, equites autem sexcentos in Illyridem introduxit. Quo audito, Bardylis, Rex Illyriorum, missis legatis pacem Philippo offert, ea scilicet lege, ut uterque, quae loca in potestate tunc haberet, retineret. Philippus oblatis conditionibus nihil motus, pacem tamen non penitus rejecit, sed eam ita se recipere velle significavit, si Illyrii omnes quas in Macedonia tenebant urbes ei restituerent. Reversis infecto negotio legatis, Bardylis in campum exercitum educit, conserta acie profligatur, cum clade septem mille hominum, ipsasque denique coactus accipit, quas oblatas rejecerat, conditiones. Diod. [lib. xvi.] Oros. l. iii. c. 12. Just. l. vii. *Tourrell.* Mount.

Τὰς δ' ἐπ' Ἰλλυριοὺς — παραλείπω στρατείας] Non intelligendum puto bellum Illyricum et Paeonicum Ol. 105, 2. gestum, ut Tourrell. et Luecches., sed potius quod pertinet ad Ol. 106, 2. Nam quum (Diod.

S. XVI. 22.) Thraces, Paeones et Illyrii contra Phil. conspirassent, hic eo, quo diximus, anno ad officium hostes redire coegit. Hoc enim tempus non longe abest a bello, Arymbae illato. Arymbas (alii Arybbas scribunt, quae varietas ex confusione literarum μ et ϛ orta, de qua vid. Gronov. ad Arrian. E. A. I, 20 et 24.) filius Alcetae, regis Molossorum, fuit Philippo affinis, nam hic filiam Neoptolemi, fratris Arymbae, in matrimonium duxerat. Diod. S. XVI. 72. Jam quum post Alcetae mortem filii inter se dissiderent et non prius concorditer regnarent, quam regno aequaliter diviso (Pausan. Att. c. 38. §. 3.), hoc ipsum, Philippo interoedente, factum videtur, idque Ol. 107, 1. quam quidem rem Noster, ni fallor, spectat. Nam Diod. S. XVI. 72. prodit, Arymbam Ol. 109, 3. vita decessisse post *decimum* annum regni, illoque mortuo Alexandro, Olympiadis fratri, regnum esse traditum, Justin. VIII. 6. dicit, hoc Arymbae ereptum et Alexandro esse demandatum, quae diversitas non tanta est, ut omnem rem in dubium vocemus. Pro ὅτου Wolf. et Aug. ex Ald. P. Manut. deder. ὅτῳ, sed vulgata non mutanda. Rüdig.

Καὶ Παίονας] Paeones iidem sunt ac Pannonii, quod ex pluribus auctoribus facile probatur, atque ex hoc etiam loco confirmatur; quamvis aliter sentiat Dio Cassius lib. xlix. Zonaras: Οἱ Παννόνιοι πάροντας μὲν πρὸς τῇ Δαλματίᾳ. ἔνθ' αὐτὸν δὴ τὸν Ἴστρον, ἀπὸ Νωρίκων μέχρι τῶν ἐν Βρέννῃ Μυσίας, &c. πρὸς δὲ Θράϊκας καὶ πρὸς αὐτῇ τῇ Μακεδονίᾳ τὰ τῶν Παιόνων ἤθνη ἐστί. Philippus anno regni secundo, bello Atheniensium liberatus, cum Agim Paeonum regem fato concessisse audiret, commodam sibi Paeonas invadendi occasionem oblatam existimavit. Cum exercitu igitur Paeoniam ingressus, Barbaros acie vicit, gentemque deinceps parere Macedonibus coegit. Post hoc ad Illyrios, qui quidem Pannoniis subjacent, profectus est. Diod. lib. xvi. Mount.

Πρὸς Ἀρύμβαν] Arymbas, sive Arybbas, Alcetae Molossorum, sive Epiri, Regis filius erat, fraterque Neoptolemi, cujus natam Olympiadem Philippus uxorem duxit. Mortuo Alceta, inter fratres contentio orta est de imperio dividendo. Arymbas jus prioris ortus afferebat, tum vero regni consuetudinem, cui ex omni memoria aetatum unus tantummodo Rex fuerat. Ut hodie, ita tunc etiam rationes

ἔαν καὶ ὅποι τις ἂν εἴπωι παραλείπω στρατείας. Τί οὖν, ἄν τι εἴπωι, ταῦτα λέγεις ἡμῖν νῦν; Ἵνα γνῶτε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καὶ αἴσθησθε ἀμφότερα, καὶ τὸ προῖέσθαι καθ' 62
ἕκαστον [2]ἀεί τι τῶν πραγμάτων ὡς ἀλυσιτελές, καὶ τὴν φιλοπραγμοσύνην, [1]ἣ χρῆται καὶ συζῇ Φίλιππος, ὑφ' ἧς οὐκ ἔστιν ὅπως ἀγαπήσας τοῖς πεπραγμένοις ἡσυχίαν σχήσει. εἰ δ' ὁ μέν, ὡς [2]ἀεί τι μεῖζον τῶν ὑπαρχόντων δεῖ πράττειν, ἐγνωκὼς ἔσται, ὑμεῖς δέ, ὡς οὐδενὸς ἀντιληπτέον ἐρρωμένως τῶν πραγμάτων, [3]σκοπεῖσθε εἰς τί ποτ' ἐλπὶς

[1] ἣ πρὸς ἅπαντας χρῆται [2] αἰεὶ [3] σκοπεῖτε

impotentium arma erant, paratumque contra densa militum agmina valebant. Neoptolemus se potentiorem esse sensit, lentisque ratiocinationibus detineri noluit. Præcipuus ei, ac potius unicus, titulus erat generi sui Philippi auxilium: qui minime ei defuit, idque tandem effecit, ut, circiter tres annos ante habitam hanc Demosthenis orationem, Arymbas regnum suum cum Neoptolemo partiri cogeretur: cujus rei nullum unquam, jam inde a principio ejus imperii a Pyrrho Achillis filiò fundati, exemplum exstiterat. Primam hanc injuriam gravior insecuta est. Mortuo enim Arymba [Olymp. 109. ann. 3.] tam bene Philippo successere ejus vel minæ vel versutiæ, ut Molossi Æaciden Arymbæ filium ac legitimum hæredem pellerent, et Alexandrum filium Neoptolemi totius Epiri solum regem constituerent. Justinus in sua Trogi Epitome hanc genealogiam mutilat, ac seriem confundit: quæ quidem culpa plerisque abbreviatoribus communis est, qui profecto, ut ignaviam sublevent, ignorantiam aiunt. Alexander primus Neoptolemi antiqui filius, Philippique non solum uxoris frater, sed gener etiam cujus nempe natam Cleopatram uxorem duxit, Italiæ bellum intulit, ibique diem obiit supremum. Post eum Æacides ad majorum solium evectus in Epiro soles regnavit, regnumque filio suo reliquit, Pyrrho illi in Historia Romana tam celebri, magnique Alexandri sobrino ab Alceta communi ipsorum proavo. Pausan. in Att. Plut. in Pyrr. Diod. l. xvi. *Tourreil.* MOUNT.

Καὶ τὴν φιλοπραγμοσύνην] Subaudi γνῶτε εἰδὶ ἐστιν. AUGER.

Ἣ χρῆται] Inter has voces vulgo interseritur πρὸς ἅπαντας, quæ verba quum absint a multis Codd., ejicienda putavi, it. ejec. Bekk., videntur ex initio orat. Mid. §. 4. orta esse: τὸν ἅπαντα, ἣ πρὸς ἅπαντας δεῖ χρῆται. RÜHL.

Ἀεὶ μεῖζον τῶν ὑπαρχόντων] Ut ea, quæ jam possidet, augeat. IDEM.

Ἐρρωμένως] Præ desidia Athenienses non eas, quas par erat, copias instruebant. IDEM.

Σκοπεῖσθε, εἰς τί ποτ' ἐλπὶς ταῦτα τελευτῆσαι] Miror, Reiskium, aliis similibus locis offensum, hic nihil monuisse de aoristo post ἐλπὶς, præsertim quum Aug. pr. legat τελευτήσειν. Nempe dici solet, post verba, quæ futuri quid involvant, aut futurum infinitivi, aut ἂν cum aoristo infinitivi poni. Id, si rem in universum spectes, verum est. Sed jam hoc accuratius definiendum. Nempe *si* aoristus vel etiam præsens infinitivi cum ἂν ponatur, solet esse hypothesis vel expressa vel supplenda, v. c. Philip. I. §. 14. Δοκεῖτε δέ μοι πολὺ ῥᾴονων ἂν περὶ τοῦ πολέμου καὶ ὅλης τῆς παρασκευῆς βουλεύσασθαι, εἰ τὸν τόκον τῆς χώρας, περὶ ἣν πολεμεῖτε, ἐνεμεθεῖτε, aut, si nulla sit hypothesis, particula ἂν simpliciter id indicat, quod fieri possit. Futurum autem ponitur de re futura in se, sive sit conditio, sive non. At etiam præsens et aoristus infinitivi loco futuri, ut sic dicam, ponitur. Hic jam Homerus præivit Od. II. 280.

ἦλυθεν γὰρ ἐμοὶ τελευτῆσαι τάδε ἔργα.

III. 319. s.

——εἴθε σὺ ἦλυθες αὖτε μοὶ ἦλθόμεν.

In Herodoto nimium hoc festinanter tractarunt viri docti, v. c. ad L. I. 10. 50., cautius Petrus Horreus Observv. Crit. in scriptores Græcos historicos, Herodotum præcipue p. 20. De Thucydide docte et subtiliter nuper egit Ern. Fr. Poppo Observv. Critt. in Thucyd. p. 149. sqq. Philosophos et oratores tetigit Heindorfius ad Platonis Phædon. §. 32. et Protag. §. 19. et magnus exemplorum numerus est in uno Xenophonte. Ne tra-

ταῦτα τελευτῆσαι. πρὸς θεῶν, τίς αὐτῶς εὐήθης ἐστὶν ὑμῶν, ὅστις ἀγνοεῖ τὸν ἐκεῖθεν πόλεμον δεῦρο ἥξοντα, ἂν ἀμελήσωμεν; ἀλλὰ μὴν εἰ ταῦτα γενήσεται, δέδοικα, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, μὴ τὸν αὐτὸν τρόπον, ὥσπερ οἱ δανειζόμενοι ῥᾳδίως ἐπὶ τοῖς μεγάλοις τόκοις μικρὸν εὐπορήσαντες χρόνον ὕστερον καὶ τῶν ἀρχαίων ἀπέστησαν, οὕτω καὶ

gicos omittamus, laudamus Brunckium ad Æschyli Pers. v. 737., quem correxit Wunderlich Observv. Critt. in Æschyli tragœdias p. 174., et imprimis G. Hermannum ad Sophoclis Aj. v. 1061. In nostro scriptore Reiskius interdum particulum ἂν addidit, interdum vulgatam lectionem reliquit. Addidit v. c. κατὰ Τιμοκράτους §. 19. οἶμαι δὲ πάντας ἂν ὑμᾶς ὁμολογῆσαι. περὶ Συμμορ. §. β'. Mss. plurimi et optimi suadent lectionem ἐγνώμαι —— τοὺς Ἕλληνας — καὶ συμμαχῆσαι καὶ μεγάλην χάριν ἴσχειν. Sed quum recentiore tempore scriptorum nemo aequius mutatus fuerit, quam Isocrates, cavebo, ut is in posterum quibi simile patiatur. Primo loca adducam, tum quæ mutationem effugerint, tum quæ nemo facile mutaverit; dein vindicabo, quæ perperam mihi mutata esse videantur. Paneg. 39. ἁπλῶς ἐστιν ἕτερον ἀφεστῶναι, ubi miror, neminem conjecisse ἕτερον ἂν ἀφεστῶναι. Archid. 43. ἐστι δ' οὐδὲν ἀνήλιστον, ἐκ τῶν νῦν παρόντων συμβῆναί τι τῶν μὴ παρόντων ἡμῖν. Panath. 39. τὴν Ἀσίαν ἀφεῖναι ἅπασαν κατασχεῖν. πρὸς Καλλιμ. §. 15. οἶμαι δὲ αὐτὸν ὑβρίσθαι καὶ λέγειν. Panath. 87. τῶν δ' οἶμαι πάντας ὁμολογῆσαι. Cf. Archid. 28. Panath. 98. His se tuebuntur sequentia. Paneg. 15. βιάσασθαι προσδοκήσας, ubi Coray atque Orellius in Antid. Mori conjecturam βιάσεσθαι receperunt, Spohnio vulgatam jure revocante. Archid. 31. οἱ δὲ πεισθῆναι προσδοκῶντες, ubi Coray contra codd. πεισθῆναι dedit, quod vel si in codd. esset, scrupulum moveret. in Euthyn. 10. ἁπλῶς πράξασθαι, Coray de sua conjectura πράξεσθαι. Symmach. 29. ἄρχειν προσδέησεσθαι ante H. Wolfium, ubi nunc ἄρξειν. Trapez. 9. οἰόμενος ἐκ τῶν λοιπῶν ἐπανορθώσασθαι, ubi ex Augeri conjectura jam editur ἐπανορθώσεσθαι. περὶ Ἀντιδόσ. p. 39. Or. οἰόμεθα —— διαπράξασθαι, ubi recentissimi διαπράξεσθαι. ibid. p. 78. οἶμαι γὰρ ὑμᾶς ἀκούσαντας μισῆσαι, quod quidem Orellius in Add. p. 305. corrigere vult in μισήσειν. πρὸς Φίλ. 35. δοκῶ συμβουλεύειν, Coray συμβουλεύσειν. Ep. IV. p. 733. ἀλλὰ γὰρ Διόδοτον αὐτὸν οἶμαί σε μᾶλλον προτρέψασθαι πρὸς τὸ φροντίζειν ἑαυτοῦ, Auger et Coray προτρέψεσθαι. et sic porro. Quod si quis Hermanni notam, quam laudavi, accurate perpenderit, rationem pleramque inveniet, cur aoristus loco futuri usurpatus fuerit. Equidem etiam hoc addo. Si aoristus ponitur, res quamvis futura cum fiducia certi ponitur, ut, qui ita loquatur, significet, tam certo sibi de futurae hujus rei veritate persuasum esse, ut si vel hoc ipso tempore fiat, vel facta jam sit. Similia monuit Io. Chr. Held Act. Monac. T. II. p. 1. p. 63. Corayi in Plutarcho similiter corrigendo libidinem tangens. Bekk.

Τελευτῆσαι] Sub. ἂν. Augem.

Δίδοικα δ' ἄνδρες Ἀθηναῖοι, etc.] Id est, *Vereor Athenienses, ne quemadmodum ii, qui contrahunt ex alieno, facile magnis usuris ad breve tempus divites sint, paulo post etiam a principali summa excutiuntur: itidem et nos, si diutius videamur negligentes, cunctaque ad voluptatem quærentes, paulo post in necessitatem veniamus, ut vobis multa etiam acerba sint facienda, quæ nequaquam voluerimus, deque hoc ipso loco periclitemur.* Explicuit eleganter Metaphoram, qua Latini *versuram solvere* dicunt, pro eo quod est, sic e præsentibus malis extricare te, ut aliis gravioribus impediare. Eras. *Ex edit.* Herwag.

Δίδοικα, — ἐπὶ τοῖς μεγάλοις τόκοις] Athenienses, magni fœneratores, nonnunquam exigebant ut pecunia credita tantum sibi in diem redderet. Aristoph. in Nub. Hujusmodi fœneratores ἐμπολεύεσθαι vocabantur. Perditum ivit ignarus debitor, qui constanter solvere omiserit; nam usura quotidie sorti accedebat, atque denique fœnus pariebat. Theoph. περὶ Ἀσεν. et στιχ. Μίνωϊ. Ipsi etiam philosophi istiusmodi commerciis se immiscebant, et Chrysippus in Luciano demonstrat, Philosopho licere, non solum usuram exigere, verum etiam usuras usurarum, quemadmodum ex una conclusione alteram infert. Tourreil. [Vide Petit. in Leg. Att. lib. v. tit. 4.] Mount.

Δανειζόμενοι ῥᾳδίως] Cfr. de f. leg. §. λϑ'. fin. ῥᾳδίως τενερε, v. ult. ἀφεστῶναι, pecunia dare. Rüdio.

Ὑστερον καὶ τῶν ἀρχαίων ἐπήρσησαν] Id est, *paulo post etiam avitis bonis cedunt fœneratoribus.* ταῖχαῖα hoc loco appellat τὰ

ἡμεῖς, ἂν ἐπὶ πολλῷ φανῶμεν ἐῤῥᾳθυμηκότες καὶ ἅπαντα πρὸς ἡδονὴν ζητοῦντες, πολλὰ καὶ χαλεπὰ ὧν οὐκ ἠβουλόμεθα ὕστερον εἰς ἀνάγκην ἔλθωμεν ποιεῖν, καὶ κινδυνεύσωμεν περὶ τῶν ἐν αὐτῇ τῇ χώρᾳ.

ζ. Τὸ μὲν οὖν ἐπιτιμᾷν ἴσως φήσαι τις ἂν ῥᾴδιον καὶ παντὸς εἶναι, τὸ δ' ὑπὲρ τῶν παρόντων ὅ τι δεῖ πράττειν ἀποφαίνεσθαι, τοῦτ' εἶναι συμβούλου. ἐγὼ δὲ οὐκ ἀγνοῶ
14 μέν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῦθ', ὅτι πολλάκις ὑμεῖς οὐ τοὺς αἰτίους ἀλλὰ τοὺς ὑστάτους περὶ τῶν πραγμάτων εἰπόντας 63
ἐν ὀργῇ ποιεῖσθε, ἄν τι μὴ κατὰ γνώμην ἐκβῇ· οὐ μὴν οἴομαί [1][γε] δεῖν τὴν ἰδίαν ἀσφάλειαν σκοποῦνθ' ὑποστείλασθαι περὶ ὧν ὑμῖν συμφέρειν ἡγοῦμαι. Φημὶ δὴ διχῇ βοηθητέον εἶναι τοῖς πράγμασιν ὑμῖν, τῷ τε τὰς πόλεις τοῖς Ὀλυνθίοις σώζειν καὶ τοὺς τοῦτο ποιήσοντας στρατιώτας ἐκπέμπειν, καὶ τῷ τὴν ἐκείνου χώραν κακῶς ποιεῖν καὶ τριήρεσι καὶ στρατιώταις ἑτέροις· εἰ δὲ θατέρου τούτων ὀλιγωρήσετε, ὀκνῶ μὴ μάταιος [2]ὑμῖν ἡ στρατεία γένηται. εἴτε γὰρ ὑμῶν τὴν ἐκείνου κακῶς ποιούντων ὑπομείνας τοῦτο Ὄλυνθον παραστήσεται, ῥᾳδίως ἐπὶ τὴν οἰκείαν ἐλθὼν ἀμυνεῖται· εἴτε βοηθησάντων μόνον ὑμῶν εἰς Ὄλυνθον

[1] Absunt unci.

[2] ἡμῖν

πατρῷα, ut alibi κατ' Ἀφέβου, non *sortem usurarum*, unde fructus et reditus manat, quod tamen etiam ἀρχαῖον significat. Bud. *Ex edit.* Hervag.

Χαλεπὰ] Omnes enim debebitis arma ferre et cavere, ne ipsa urbs in periculum vocetur. Rüdig.

ζ. Ὑπὲρ τῶν παρόντων] Ne res præsentes male cedant. Idem.

Καὶ τοὺς μὲν πρότερον συμμάχους ἡμᾶς ἀδικῆσαι] Alterius membri summa est: Philippus Olynthios ad suam amicitiam pellexit. Quomodo? Potidæam, nostram civitatem, vi captam, abstulit, (in quo fidem societatis violavit, et vanis pollicitationibus nos circumvenit) Olynthiis tradidit. Nullus scrupulus reliquus est, modo intelligas, eo tempore, quo ista facta sunt, Philippum fuisse Atheniensium socium. In epistola certe quidem sua scribit: ἵν' ἐμμείνωμεν τοῖς ὅρκοις, καὶ ταῖς ὁμολογίαις, etc. Sed Chronologia forte fortasse repugnat. Post τὸ ἡμᾶς, asteriscus additus indicat, dubitatum esse de lectione. Quid si ἡμῶν? ut de Potidæatis intelligat sociis Atheniensium. Sed cum Ποτίδαιαν ὖσαν ἡμετέραν præcedat: fortasse param convenit, eosdem et ὑπηκόους et συμμάχους dici. Sed hæc hactenus. Wolf. Dubitationem, quam Wolfius proposuit, ipse eximit Demosthenes, atque adeo Scholiastes refellit, qui per συμμάχους Potidæatas intelligit, scilicet pro ἡμᾶς legendo ἡμῶν. Et enim ex ejus Oratione περὶ Ἁλοσν. §. γ'. discimus non solum Potidæam tum temporis Athenienses incoluisse, quod modo diximus, verum etiam iis cum Philippo societatem tum-interfuisse. Καίτοι Ἀθηναῖοι οἱ ἐν Ποτιδαίᾳ κατοικοῦντες, οὐκ ὄντος αὐτοῖς πολέμου πρὸς Φίλιππον, ἀλλὰ συμμαχίας, καὶ ὅρκων ὀμοσθέντων, οὓς Φιλίππου τοῖς ἐκεῖσιν ἐν Ποτιδαίᾳ ὀμόσαν, ἀφῃρέθησαν ὑπ' αὐτοῦ τὰ πτήματα. Neque sane necessarium est Philippo tum socios fuisse Athenienses, ut recte habeat recepta lectio: dicit enim τοὺς πρότερον συμμάχους, antea ipsius socios, nullo certo tempore definito, quod utique verum esse ipse alibi Demosthenes testatur. In Orat. de Coron. §. ιγ'. — ἐν τῇ πρὸς ὑμᾶς ἐπιστολῇ πρὸς τοὺς ἑαυτοῦ συμμάχους: similia in aliis passim locis occurrunt. Mount.

Τοὺς μὲν πρότερ.] Intelligit Dem. ipsos Athenienses, qui olim Philippi fuerant socii: de Cor. §. ιγ'. epistola Philippi recitata, pergit: ἀκούετε, ὡς σαφῶς δηλοῖ ἐν τῇ πρὸς ὑμᾶς ἐπιστολῇ, πρὸς τοὺς ἑαυτοῦ συμμάχους, coll. or. de Halones. §. γ'. Rüdig.

Παραδοῦναι δὲ ἐκείνοις] Diodorum lib. XVI. ait Philippum pollicitum fuisse se Potidæam Olynthiis traditurum, cujus adipiscendæ magno pridem studio tenebantur: traditæ etiam non meminit, quod mirum videatur, cum id factum fuisse cum ex hoc tum ex aliis Demosthenis locis satis manifestum sit, Pydnam vero iis donasse refert cum agris et fundis territorii. Mount. Cfr. Phil. II. §. ϐ'.

Θετταλοὺς δὲ] Nam et hi non minus, quam Thebani, templi Delphici defensionem susceperant. Wolf. V. Diod. Sic. l.

δὲ νῦν τὰ τελευταῖα τῷ Μαγνησίαν παραδόσιν ὑποσχέσθαι καὶ τὸν Φακικὸν πόλεμον πολεμήσειν [1]ὑπὲρ αὐτῶν ἀναδέξασθαι. ἄλως δὲ οὐδεὶς ἔστιν ὅστις οὐ περφανέστερον ἐκεῖνος τῶν αὐτῷ χρησαμένων· τὴν γὰρ ἑκάστων ἄνοιαν
29 [2]ἀεὶ τῶν ἀγνοούντων αὐτὸν ἐξαπατῶν καὶ προσλαμβάνων οὕτως ηὐξήθη. ὥσπερ οὖν διὰ τούτων ἦρθη μέγας, ἡνίκα ἕκαστοι συμφέρον αὐτὸν ἑαυτοῖς ᾠοντό τι πράξειν, οὕτως ὀφείλει διὰ τῶν αὐτῶν τούτων καὶ καθαιρεθῆναι πάλιν, ἐπειδὴ πάνθ' ἕνεκα ἑαυτοῦ ποιῶν ἐξελήλεγκται.

δ'. Καιροῦ μὲν δή, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, πρὸς τοῦτο [3]πάρεστι Φιλίππῳ τὰ πράγματα· ἢ παρελθών τις ἐμοί, μᾶλλον δὲ ὑμῖν δειξάτω ἢ ὡς οὐκ ἀληθῆ ταῦτ' ἐγὼ λέγω,

[1] ὑπὲρ αὐτῶν πολεμήσειν [2] ἀεὶ [3] παρέστι

XVI. c. 35. 38.

Θετταλοὺς δὲ νῦν τὰ τελευταῖα τῷ Μαγνησίας παραδόσιν ὑποσχέσθαι] Thessali Græciæ populi inter Macedoniam et Thermopylas siti. Philippus a morbo recreatus, quo post susceptum ad Methonen obsidionem vulnus laboravit, Olymp. 106. Ann. 4. ad Alcuadas adjuvandos profectus est, qui eum in Thessaliam vocarunt, ut eos a novis suis ad Pheras tyrannis liberaret. Eorum afflictorum miserationi admista est nonnulla etiam commodi sui ratio. Hujusce expeditionis caruit, Magnesiam cepit, urbem Thessaliæ ad Ægæi maris litora. Thessalis Magnesiam sibi vindicantibus illico se eam redditurum Philippus fidem dedit, satis interea cavens, ut ne eam omnino liberaret. *Thurtell.* Alcuadæ ipsi postea tyrannide potiti sunt, a qua eos Philippus dejecit. Vide Sobel. Olynth. I. (III.) §. θ'. ad voces καὶ γὰρ Παγασάς. Mount.

Τὰ τελευταῖα] Τελευτῶν, ἐπὶ τῆς τελευτῆς ἐλλογιμοτάτης τοῦ λοιποῦ, καὶ ἐπιφημοτάτης, sicut τὰ πρῶτα. Wolf.

Τὸν Φακικὸν πόλεμον] Vid. Not. Philip. I. §. ζ'. Mount.

Ὅλως δέ] Prolixiorem commemorationem præcidit. Wolf.

Τῶν γὰρ ἐκάστων —] Fraudibus, inquit, et impostoris, non alia ratione, socios perfidiosipsis ignaros, sibi comparavit. Idem.

Προσλαμβάνων] *Adscivit* Phil. ignorantium imprudentium, ut ea ad suas res augendas uteretur: mediam quidem formam exspectaveris, sed notio, quæ illa exprimitur, in ipso verbo inest. De libert. Rhod. §. ζ'. ἐπὶ γὰρ αὐτοὺς, ὅπως καταλύσωσι τὸν δῆμον, προσλαβόντας τοὺς τῶν ἀνοήτων. Rüdig.

Ὥσπερ οὖν] A contrariis: quem ignoratio nominum evexit, eandem cognitio deprimet. Wolf.

Διὰ τούτων] Numerum subaudiri potest vel *ἀνθρώπων*, vel (quod malunt plures) *τεχνῶν*. *Eadem artes quæ celatæ extulerunt, jam patefactæ deprimere oportet Philippum.* Stock.

Διὰ τούτων] Sc. *τῶν ἀγνοούντων*: hæc omnis enunciatio vocatur *ἀναλυθεία*. Rüdig.

Πάλιν] Similiter Nester vult, Olynth. III. (II.) §. ι., ut, qui leges de pecunia theatrali tulerint, iidem has abrogent. Idem.

δ'. Καιροῦ μὲν δὴ πρὸς τοῦτο] Τὰ πράγματα πάρεστι Φιλίππῳ σχεῖν πρὸς τοῦτο καιρῷ, id est, τοιοῦτος καιρὸς τῶν Φιλίππου πραγμάτων ἐστί. Fortassis etiam παρέστηκε a παρίστημι, legi possit. *Res adstiterunt ad hoc tempus*, pro, huc deductæ sunt. Wolf.

Καιροῦ] Gen. pendet a πρὸς τοῦτο: *in hunc statum*, ut Phil. I. §. ιγ'. τοῦθ' ἵξεσθαι. Isocr. d. pac. p. 165. C. εἰς γὰρ τοῦτό τινες ἀνίας ἐληλύθασιν. cf. ad Phil. I. §. δ'. Commemorat Nester *διαφθορὰν* Philippi Olynth. II. (I.) §. ϛ. Rüdig.

Πάρεστι] Hoc loct. vulg., sed Reiske ex Aug. 2. scripsit παρέστω, et in Indic. s. v. παρεστάναι, minus probabiliter conjec. παρίστω. Sive legas παρέστω, sive πάρεστι, utroque vox inest notionem *status*, in quo quid est ita, ut propter πρὸς τοῦτο notio *motus*, quo quid aliquo deducitur, cogitando addi debeat; nisi quod notio præsentiæ magis πάρεστι exprimatur, quæ quam h. l. maximi sit momenti, hoc prætuli, cfr. Dem. ep. p. 1473. 19. ed. R. ἡμεῖ τοῦτο τὸν πάρεστιν, ὃς μόνον ἔφασκε. Idem.

ἢ ὡς οἱ τὰ πρῶτα ἐξηπατημένοι τὰ λοιπὰ πιστεύουσιν αὐτῷ, ἢ ὡς οἱ παρὰ τὴν αὐτῶν ἀξίαν δεδουλωμένοι Θετταλοὶ νῦν οὐκ ἂν ἐλεύθεροι γένοιντο ἄσμενοι. καὶ μὴν εἴ τις ὑμῶν ταῦτα μὲν οὕτως ἔχειν ἡγεῖται, οἴεται δὲ βίᾳ καθέξειν αὐτὸν τὰ πράγματα τῷ τὰ χωρία καὶ λιμένας καὶ τὰ τοιαῦτα προειληφέναι, οὐκ ὀρθῶς οἴεται. ὅταν μὲν γὰρ ὑπ' εὐνοίας τὰ πράγματα συστῇ καὶ πᾶσι ταὐτὰ συμφέρῃ τοῖς μετέχουσι τοῦ πολέμου, καὶ συμπονεῖν καὶ φέρειν τὰς συμφορὰς καὶ μένειν ἐθέλουσιν οἱ ἄνθρωποι· ὅταν δ' ἐκ πλεονεξίας καὶ πονηρίας τις, ὥς περ οὗτος, ἰσχύσῃ, ἡ πρώτη πρόφασις καὶ μικρὸν πταῖσμα ἅπαντα ἀνεχαίτισε 30

Πιστεύουσιν] F. πιστεύσουσιν. et v. 7. ταὐτά. Taylor.

Παρὰ τὴν αὐτῶν ἀξίαν] *Præter dignitatem suam*, indignis modis, contra quam exspectarant. ἀξίαν, id est, *dignitatem*, hic tribuit Thessalis, quos priore oratione ut perfidos criminatus est: at ostendat, Thessalos, quanquam improbos, tamen Philippo esse meliores, et digniores, qui eidem imperent, quam serviant. Quantæ autem opes Thessalorum fuerint, in oratione de pace exposuit Isocrates: et in Philippica minime cum hoc loco Demosthenis consentit, cum sic scribit: οὐ Θετταλοὺς μὲν τοὺς πρώτοις ἐπάρξαντας Μακεδονίας, οὕτως εἰκαίως πρὸς αὐτὸν διακεῖσθαι ὑπειλήφατε ὥσθ' ἑκάστους αὐτῶν μᾶλλον ἑκάτερ πιστεύειν, ἢ τοῖς συμπολιτευομένοις; et epistola 2. ἐνθυμεῖσθε δέ, ὅτι πολλοῖς καλῶς βεβουλεῦσθαι δοκεῖς, ὅτι δικαίως κέχρησαι Θετταλοῖς, καὶ συμφερόντως ἑκάτερ· ἀνδράσιν οὐκ εὐμεταχειρίστοις, ἀλλὰ μεγαλοψύχοις καὶ στάσεως μεστοῖς. Quanquam τὸ δεδουλωμένοι referri potest vel ad Philiadæ Tyranni liberos, quos pulsos a Thessalis, Philippus restituit, vel ad quosdam Thessalos male tractatos. Nam in oratione de Haloneso scribitur, §. ζ'. ὅτι Θερσίαν ἀφῆρηται τὴν πόλιν καὶ φρουρὰν ἐν τῇ ἀκροπόλει κατέστησεν· ἵνα δὲ αὐτόνομοι ὦσιν. et Isocrates: τῶν πόλεων τῶν περὶ τὸν τόπον ἐκεῖνον, τὰς μὲν ταῖς εὐεργεσίαις πρὸς τὸν αὐτοῦ συμμαχίαν προσῆκται, τὰς δὲ σφέδρα λυπούσας ἀναστάτους πεποίηκε; Μάγνητας δὲ κατέστρεπται; Wolf.

Παρὰ τὴν αὐτῶν ἀξίαν] Wolf. interpr. *contra dignitatem suam*, potius: *contra exspectationem*, ut Ol. I. (III.) §. θ'. coll. huj. or. §. Ϛ'. Nam Thessali, qui, ut paulo ante monuimus, Philippi præsidium implorabant, minime exspectaverant, se Philippi dominium experturos esse, quod quidem Noster tangit Ol. I. (III.) §. θ'. Mount. affert locum ex Polyæn. Strat. IV. 20., qui docet, Philippum Thessaliam Strategematis subegisse, non armis. Rüdig.

Δεδουλωμένοι Θετταλοί] Philippus, ubi Thessaliæ tyrannos ejecisset, ipse in eorum locum succedere aggressus est. Neutiquam vero vi aperta: sed adeo callide comitatem et benignitatem simulavit, etiam erga victos, ut Thessali omnium rerum ei fidem haberent; quod ille in sua commoda dirigere probe norat. *Ex edit.* Stock.

Καὶ μὴν εἴ τις ὑμῶν] Postquam ostendit, socios, cæterosque Græcos male velle Philippo, refutat opinionem de vi et potentia: sumto argumento a natura et ingeniis hominum, maxime Græcorum. Locum hunc Cicer. 2. de officiis copiosius tractavit: quem his verbis concludit: 'pessimum diuturnitatis custodem esse metum: benevolentiam vero fidelem vel ad perpetuitatem.' Wolf.

Συστῇ] Præpos. ὑπὸ notionem præsidii vel impedimenti alicujus rei exprimit, cfr. de Chers. §. δ'. ἂν δ' ὑπὸ πτωμάτων μὴ δυνώμεθα. Verbum συστῆναι refertur et ad ortum et ad statum rerum, de Cor. §. ζ'. τοῦ γὰρ φαυλοῦ συστάντος πολέμου. cfr. Thom. M. s. συνίστατει. Rüdig.

Ταὐτὰ] Vulg. ταῦτα, sed illud jure editores vel ob enunciationem præcedentem prætulerunt: ceterum has voces sæpe confundi docuerunt VV. DD., quos Schæf. laudat ad Greg. Cor. p. 303. Confirmatur etiam orat. in ep. Phil. §. γ'. quem omnem locum cum nostro conferas. Idem.

Φέρειν τὰς συμφορὰς] *Ferre casus*, i. e. non tantum tolerare labores, sed ne cladibus quidem acceptis a societate recedere solent. Wolf.

Ἐκ πλεονεξίας] Διά. Plura sibi præter jus et æquum vendicando, et improbe agendo. Idem.

Ἡ πρώτη πρόφασις] Τῶν δεδουλωμένων. Idem.

καὶ διέλυσεν. οὐ γὰρ ἔστιν, οὐκ ἔστιν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἀδικοῦντα καὶ ἐπιορκοῦντα καὶ ψευδόμενον δύναμιν βεβαίαν κτήσασθαι, ἀλλὰ τὰ τοιαῦτα εἰς μὲν ἄπαξ καὶ βραχὺν χρόνον ἀντέχει, καὶ σφόδρα γε ἦν-θησεν ἐπὶ ταῖς ἐλπίσιν, ἂν τύχῃ, τῷ χρόνῳ δὲ φωράται καὶ περὶ αὐτὰ κα- 21

Ἡ πρώτη — διέλυσεν] Vel vana causa manet orator res collabi. Nam vocis πρόφ. notio vanitatis subest, quod jam vidimus ad Phil. I. §. 34. et videbimus huj. or. §. 8'. Rüdig.

Καὶ μικρὸν ὕστερον] Ἀντίκημα τοῦ τρόπου. Wolf.

Ἄπαντα] Τὰ πρότερον κατωρθωμένα, καὶ πεπολιτευμένα. Idem.

Ἄπαντα ἀνεχάλτισε καὶ διέλυσεν] Ἀντὶ τοῦ ἀνέστρεψεν καὶ ἀνέκοψε. Metaphorice dixit pro eo quod est, *omnia retro agit, et rerum processum interpellat et abrumpit.* Sic Lucian. ἀναχαιτίζειν τὸν γοῦν τοῦ δρόμου dixit. Vide Bud. in Comment. *Ex edit.* Hervag.

Ἄπαντα ἀνεχάλτισε καὶ διέλυσεν] Budeus, et ex eo Henricus Stephanus, hæc ita vertit: *omnia retroagit, rerumque processum interpellat et abrumpit:* sed non videtur mentem Demosthenis attigisse. Ἀνεχάλτισε hoc in loco idem sonat ac ἀνέστρεψε, sicuti exponit Scholiastes, et Harpocratio; ad quem Maussacus vocabulum hoc inter vocabula grandiloquentiæ et sublimis sermonis relatum esse a Criticis Plinio, Dionysio, Longino, et aliis, observat: eumque sensum ipse Demosthenes confirmat, qui in Orat. in Epist. Phil. ubi eadem fere ad verbum repetuntur, pro ἀνεχάλτισε, διέστησε dixit, καὶ διέλυσεν. Mount. Imaginem nobis exhibet equi generosi, jubis erectis se efferentis, et onus suum superbe dejicientis. Stock. Vid. Hesych. s. ἀναχαιτίζει. διέλυσεν conferendum cum συστῇ. Rüdig.

Ἀνεχάλτισεν] Ὡσανεὶ ἔπαυσε τῇ χαίτῃ εἰς τοὐπίσω σείλυσεν, εἰς τὰ πρόσω ἐφιέμενον. Wolf.

Καὶ διέλυσεν] Τὰ παλαῖ συμπεπῆχθαι δοκοῦντα. Idem.

Οὐ γὰρ ἔστιν] Ἐπαπόλυσις διαβεβαιωτική, καὶ μᾶλλον ἀποφαντικωτέρα ἴσως ἢ ἀληθοστέρα, παρ' ἡμῖν γε, τοῖς συνηθῶς τυχαπουμένοις, καὶ ἀπεπαμένοις. Idem.

Οὐ γὰρ ἔστιν, —— δύναμιν βεβαίαν κτήσασθαι] Ad res feliciter agendas plurimum conferre pietatem erga deos, et justitiam erga homines, hoc est quod sæpe sapius prædicat Demosthenes. Contra, nihil omnino stabile esse quod justitiæ fundamento haud nititur. Illustris est in hanc sententiam locus Orat. de Coron. §. ξζ'. θαύμασόν τοίνυν ὡς σαθρὸν, ὡς ἄπιστον, ἐστὶ φύσει πᾶν ὅ,τι μὴ δικαίως ἢ πεπραγμένον. Mount.

Ἀδικοῦντα] Τῷ ἀδικεῖν διὰ τοῦ ἀδικεῖν. Wolf.

Καὶ ἐπιορκοῦντα] Casaubonus, ad Equit. Aristoph. vèr. 298. v. ἐπιορκῶ, hæc observat. "ὅρκος, *jusjurandum*: ἐπιορκεῖν, proprie *jusjurandum aliud addere, iterum jurare.* Usus auctorum obtinuit, ut ponatur in malam partem de pejerante; quasi monerent nos vivi sapientes non multum interesse inter pejerantem, et sæpe jurantem, ut recte disputat Hierocles in Carmina Pythagoræ. Lysias in Theomnestum ἐπιορκήσαντα exponit ὀμόσαντα, *cum qui juravit.*" Harpoc. Mount.

Οὐκ ἔστι κτήσασθαι] Οἷς οἷόν τε ἢ δυνατόν ἐστι κτήσασθαι, id est, ὅσοις ἂν τις κτήσηται, ἢ οὐ δύναται τις κτήσασθαι. Wolf.

Ἀλλὰ τὰ τοιαῦτα] Τὰ ἀδικεῖν, καὶ τὰ λοιπά. Idem.

Εἰς μὲν ἅπαξ] Ἅπαξ γενόμενα, μᾶλλον δὲ σπανίως ἀντέχει, τουτέστι, διαμένει, καὶ οὐ καταγωνίζεται ἢ κατασίνεται. Notetur præpositio adverbio junota: εἰς ἅπαξ διαφέρουσι, sed σποραὶ ὑφῆν. Idem.

Εἰς μὲν ἅπαξ] Præp. εἰς sæpius struitur cum adverbiis temporis: εἰς μακρὰν §. ζ'. εἰς τότε de Class. §. 4. præivit Hom. Od. II. 99. Nostrum locum, ex quo petet, εἰς ἅπαξ non esse conjunctim scribendum, laudat Thom. M. p. 479. Rüdig.

Ἀντέχει] Hæc vox neutral.: *sustinere impetum, durare,* Olynth. I. (III.) §. 1. cfr. Xen. Mem. IV. 7. 7.: λίθος ἐν ὕδατι ὢν — οὐτε πολὺν χρόνον ἀντέχει, ὁ δὲ ἥλιος — διαμένει, Schol. ἰσχύει. Idem.

Καὶ σφόδρα γε ἤνθησεν] Ἀνθεῖν εἰωθεῖν. Wolf.

Σφόδρα γε ἤνθησεν] Est γε admirationem excitantis: Olynth. III. (II.) §. 1. Hom. II. V. 132. 303. Lucian. Dial. M. XVII. 1. Herm. ad Vig. 825. Rüdig.

Ἂν τύχῃ] *Si res ita tulerit*: fieri aliquando potest, τῶν ἐνδεχομένων ἐστὶν ἀσθενεῖ τὰ τοιαῦτα ταῖς ἐλπίσι. Wolf.

Τῷ χρόνῳ δὲ φωράται] Ἐλέγχεται, τὰ φύσει παπαλαμβάνεται. Idem.

Περὶ αὐτὰ παταβρεῖ] Malim aspirate αὐτὰ, pro ἑαυτὰ, *circa se ipsa difficiunt*, vel *dejiciunt.* haud scio, an legendum sit ᾽ας αὐτὰ, *per seipsa*, id est, ipsa sese destruunt, sua aponte dilabuntur, decidunt instar flosculorum, cum vel arserunt, vel

ταῤῥεῖ. ὥς περ γὰρ οἰκίας, οἶμαι, καὶ πλοίου καὶ τῶν ἄλλων τῶν τοιούτων τὰ κάτωθεν ἰσχυρότατα εἶναι δεῖ, οὕτω καὶ τῶν πράξεων τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ὑποθέσεις ἀληθεῖς καὶ δικαίας εἶναι προσήκει. τοῦτο δὲ οὐκ ἔνι νῦν ἐν τοῖς πεπραγμένοις Φιλίππῳ.

ε΄. Φημὶ δὴ δεῖν ὑμᾶς ἅμα τοῖς μὲν Ὀλυνθίοις βοηθεῖν, καὶ ὅπως τις λέγει κάλλιστα καὶ τάχιστα, οὕτως ἀρέσκει μοι· πρὸς δὲ Θετταλοὺς πρεσβείαν πέμπειν, ἢ τοὺς μὲν διδάξει ταῦτα, τοὺς δὲ παροξυνεῖ· καὶ γὰρ νῦν εἰσὶν ἐψηφισμένοι Παγασὰς ἀπαιτεῖν καὶ περὶ Μαγνησίας λόγους ποιεῖσθαι. σκοπεῖσθε μέντοι τοῦτο, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ὅπως μὴ λόγους ἐροῦσι μόνον [1] οἱ παρ' ἡμῶν πρέσβεις, ἀλ-

[1] [οἱ παρ' ἡμῶν πρέσβεις]

vento agitantur. Sic in Psalmis impiorum felicitas pulveri, quem ventus dissipat, et gramini tectis innato comparatur. Idem. Valde arridet Wolfii conjectura. Hic plane loci sensus est, atque ita eum interpretantur Nic. Carrus, et Tourrellus. Illud αὐτὰ aspirate non necessariam est, cum apud optimos scriptores αὐτὰ pro αὐτὰ frequentissime invenies. Verisimile est scripsisse Demosthenem παρ' ἑαυτὰ, a quo facilior adhuc erat lapsus in περὶ αὐτά. Mount. *Ultro delabuntur*, plerique vertunt. Rectius fortasse, *eodemque recidunt*, unde exstructa sunt, scilicet. Translata est metaphora (teste Schol.) a veteri aliquo pariete, qui diuturnitate temporis pereditur. Stock.

Οἶμαι] *for instance*. Antonius et Maximus serm. 1. Taylor.

Καὶ πλοίου] Διὰ τάς τε ὑφάλους πέτρας, καὶ τὸ ἐπικεῖσθαι τῇ τροπίδι ἅπαν πλήρωμα καὶ βάρος τῶν ἐν τῇ νηΐ. Wolf.

Τὰ κάτωθεν ἰσχυρότατα εἶναι δεῖ] Veteres Grammatici vituperabant Demosthenem, quod κάτωθεν dixerit, non κάτω. Ulpianus eum defendit, quod ex inferiore parte in superiorem ædificetur. Id quidem κάτωθεν significare potest, ex imo omnia solida esse oportere. Sed quum alia derivata in θεν, tum imprimis κάτωθεν, non motum ex loco, sed esse in loco significat. Cf. Schaefer. Melet. Crit. p. 78. Brem.

Καὶ τὰς ὑποθέσεις] Οὐχὶ τὰς τῶν λόγων περιοχὰς, οὐδὲ τὰ ὡρισμένα τῶν ζητημάτων· ἀλλὰ τὰ κάτωθεν καὶ τὰ θεμέλια. μεταφορικὴ γὰρ ἐνθάδε ἡ λέξις. Wolf.

Ἀληθεῖς] Κεχωρισμένας ψεύδους καὶ ἐπιορκίας. Idem.

Καὶ δικαίας] Οὐ πλεονεκτικάς. Idem.

Τοῦτο δ' οὐκ ἔνι] Ὁλόκληρος ὁ συλλογισμὸς ὡδίπως γένοιτ' ἄν, οὐδεμία τῶν ἀδίκων δυναμένων βεβαία ἐστίν. ἡ τοίνυν Φιλίππου ἄδικος, οὐκ ἄρα βεβαία. τί δὲ τὸ συμβαῖνον ἐντοῦθεν; ὅτι ἀβέβαιον κεκτημένος δύναμιν οὐκ ἔστιν ἄμαχος, οὐδὲ φοβερός. Idem.

ε΄. Φημὶ δὴ δεῖν] Ἀρξάμενος μὲν τοῦ λόγου, διὰ τοῦ δηλῶσαι, ὅτι θείας εὐεργεσίας ἐστὶν ἡ τῶν Ὀλυνθίων συμμαχία· ἅμα καὶ ὅτι βοηθεῖν αὐτοῖς προσήκει, ἀπέφηνε. νυνὶ δὲ, ἀποδεῖξαι πειραθεὶς, ὅτι καὶ δυνήσονται Φιλίππῳ ἐναντιοῦσθαι· ἐπιλογιζόμενος, καὶ τὸ τοῦ τρόπου, καὶ πῶς δεῖ ποιεῖσθαι τὴν βοήθειαν, ἐκτίθεται. Idem.

Ἅμα μὲν] Διμερὴς ὁ ἐπίλογος, πρῶτον μὲν, περὶ βοηθείας, δεύτερον δὲ, περὶ πρεσβείας λέγων, μετὰ προσδιορισμῶν, ὅτι τοὺς λόγους δέοι τοῖς ἔργοις πιστώτασθαι. παῤῥησία γὰρ κέχρηται ὁ ῥήτωρ. Idem.

Ὅπως τις — οὕτως] Hæc se excipiunt ut p. 40. v. 4. ὅσῳ — τοσούτῳ, nisi quod h. l. ad οὕτως superlativum non additum vides, qui in ipsa voce ἀρέσκει inest; hinc non μάλιστα supplendum cum Reiskio. Rüdig.

ε΄. Οὕτως ἀρέσκει μοι] Scilicet μάλιστα. Sicut τὸ ὅπως superlativos habet τάχιστα καὶ κάλλιστα. Wolf.

Ἢ τοὺς μὲν διδάξει] Quæ? perfidiamne et imbecillitatem Philippi? an nostros conatus? an potius utrumque? Idem.

Τοὺς δὲ παροξυνεῖ] Eos qui, cum ipsi rem omnem intelligant, metu Philippi quiescunt. Idem.

Παγασὰς ἀπαιτεῖν] Pagasas, Thessaliæ oppidum in promontorio Pheræorum situm, Philippus quinque annos ante habitam hanc orationem in potestatem suam redegerat. Mount.

Λόγους ποιεῖσθαι] Dicuntur, qui id, quod alii sibi assumserunt, vindicant: in Aphob. I. p. 818. 8. ed. R. ἐποιήσατο λόγους περὶ τούτων ὁ Δημοχάρης sc. de re familiari, qua

λὰ καὶ ἔργον τι [1] δεικνύναι ἕξουσιν ἐξεληλυθότων ἡμῶν ἀξίως τῆς πόλεως καὶ ὄντων ἐπὶ τοῖς πράγμασιν, ὡς ἅπας
31 μὲν λόγος, ἂν ἀπῇ τὰ πράγματα, μάταιόν τι φαίνεται καὶ κενόν, μάλιστα δὲ ὁ παρὰ τῆς ἡμετέρας πόλεως· ὅσῳ γὰρ ἑτοιμότατ' αὐτῷ δοκοῦμεν χρῆσθαι, τοσούτῳ μᾶλλον ἀπιστοῦσι πάντες αὐτῷ.

ϛ'. Πολλὴν δὴ τὴν μετάστασιν καὶ μεγάλην δεικτέον τὴν μεταβολήν, εἰσφέροντας, ἐξιόντας, ἅπαντα ποιοῦντας ἑτοίμως, εἴ πέρ τις ὑμῖν προσέξει τὸν νοῦν. κἂν ταῦτα ἐθελήσητε ὡς προσήκει καὶ δεῖ περαίνειν, οὐ μόνον, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τὰ συμμαχικὰ ἀσθενῶς καὶ ἀπίστως ἔχοντα φανήσεται Φιλίππῳ, ἀλλὰ καὶ τὰ τῆς οἰκείας ἀρχῆς καὶ 22
δυνάμεως κακῶς ἔχοντα ἐξελεγχθήσεται. ὅλως μὲν γὰρ ἡ Μακεδονικὴ δύναμις καὶ ἀρχὴ ἐν μὲν προσθήκης μέρει ἐστί τις οὐ σμικρά, οἷον ὑπῆρξέ ποθ' ὑμῖν ἐπὶ Τιμοθέου

[1] † δεικνύειν

tutores Demosthenis potiti erant. Rüdig.

Ἐξεληλυθότων ὑμῶν]. S. μεθ' ὅπλων ἐκ τῆς πόλεως, ἐκστρατευσάντων. Wolf.

Ἀξίως τῆς πόλεως] Μετὰ μεγάλης τῆς δυνάμεως, ἐπειδὴ μεγίστη καὶ ἀξιωματικωτάτη ἡ πόλις. Idem.

Ὄντων ἐπὶ τοῖς] Similiter Noster p. 928. 11. ed. R. πλευσεῖσθαι ἐπὶ τοῖς χρήμασι, i. e. ut invigiles mercibus. Rüdig.

Ὡς ἅπας μὲν λόγος] Alludit ad ignavam Atheniensium eloquentiam. Sic Isocratis Archidamus ἀεὶ ἐνόμισε τοὺς περὶ τοὺς λόγους διατρίβοντας, ἀργοτέρους εἶναι τὰς πράξεις. ubi multum verborum, ibi plerumque est parum rerum: nec ab re Turnus Drancen objurgat his verbis [Æn. xi. 389.]

—An tibi Mavors
Ventosa in lingua pedibusque fugacibus istis
Semper erit?—

Huic Ciceronianum dictum opponatur: *ubi rerum adsint testimonia: nihil opus esse verbis.* Wolf.

Ὅσῳ ἑτοιμότατα] Ἀντὶ τοῦ, πολλῷ ἑτοιμότερον τῶν ἄλλων· πολλὰ μὲν ἐπαγγελλόμενοι, ὀλίγα δ' ἐπιτελοῦντες. Idem.

Ἑτοιμότατα] De hoc superlativi usu cfr. Matth. Gr. §. 462. Aliis etiam locis orator Atheniensibus exprobrat, quod τριήρεις κενὰς emiserint. Phil. I. §. ιέ. Olynth. III. (II.) §. γ'. Rüdig.

ϛ'. Πολλὴν δὲ τὴν μετάστασιν] Isocrates de pace: ἣν μεταβαλώμεθα τὸν τρόπον, καὶ δόξαν βελτίω λάβωμεν etc. Wolf.

Τὴν μετάστασιν — μεταβολὴν] Reiske μεταβολὴν in suspicionem vocat, sed sine idonea causa, nam hunc vidimus a Demosthene teneri morem, ut binis vocibus gravitatem sententiæ augeat: confirmatur etiam lect. vulgata testimonio scholiastæ, qui subtilius utramque vocem distinguit. Verbale δεικτέον cum accus. struitur, inest notio verbi δεῖ. cfr. Matth. Gr. p. 623. Rüdig.

Εἴπερ προσέξει] Ἀντὶ τοῦ, εἰ βουλόμεθα προσέχειν τινὰ ἡμῖν. Wolf.

Προσέξει τὸν νοῦν] Vid. Phil. I. §. γ'. fin. *navare cui suam operam*; futurum notionem *finis* exprimit. Rüdig.

Κἂν ταῦτα ἐθελήσητε] Hactenus consilium: cujus nunc fructum exponit, et magis etiam Macedonum vires extenuat, quod et per se parvæ sint, et Philippo parum fidæ. Wolf.

Τὰ συμμαχικὰ] Στρατεύματα, τοὺς συμμάχους. Idem.

Ἐν μὲν προσθήκης μέρει] Προστιθεμένη ἑτέρᾳ δυνάμει. Idem.

Οἷον ὑπῆρξέ ποθ'] Τὸ, οἷον, adverbium. Alioqui dicendum οἷα. Idem.

Ἐπὶ Τιμοθέου] Historiæ fides sit penes auctorem et Ulp. Idem. Nullus, quod scio, Historicorum hujus expeditionis mentionem fecit, excepto Nepote, qui quidem inter Timothei præclare facta, Olynthios eum subegisse refert, de Macedonicis autem copiis ei conjunctis nihil dicit. Mount.

πρὸς Ὀλυνθίους· πάλιν αὖ πρὸς Ποτίδαιαν Ὀλυνθίοις ἐφάνη τι τοῦτο συναμφότερον· νυνὶ δὲ Θετταλοῖς νοσοῦσι καὶ στασιάζουσι καὶ τεταραγμένοις ἐπὶ τὴν τυραννικὴν οἰκίαν ἐβοήθησε. καὶ ὅποι τις ἄν, οἶμαι, προσθῇ κἂν μικρὰν δύναμιν, πάντ' ὠφελεῖ. αὐτὴ δὲ καθ' αὑτὴν ἀσθενὴς καὶ πολλῶν κακῶν ἐστὶ μεστή. καὶ γὰρ οὗτος ἅπασι τούτοις οἷς ἄν τις μέγαν αὐτὸν ἡγήσαιτο, τοῖς πολέμοις καὶ ταῖς στρατείαις, ἔτ' ἐπισφαλεστέραν αὐτήν, ἢ ὑπῆρχε φύσει, κατεσκεύακεν ἑαυτῷ. μὴ γὰρ οἴεσθε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῖς αὐτοῖς Φίλιππόν τε χαίρειν καὶ τοὺς ἀρχομένους, ἀλλ' ὁ μὲν δόξης ἐπιθυμεῖ, καὶ τοῦτο ἐζήλωκε, καὶ προήρηται πράττων καὶ κινδυνεύων, ἂν συμβῇ τι, παθεῖν,

Ἐπὶ Τιμοθέου] Timotheus, ejus Cononis filius, qui Athenas a Lacedæmoniis afflictas restauravit: eique in isto opere strenuus etiam adjutor. Plures postea urbes, inter alias vero Potidæam, patriæ suæ recuperavit. Nemo alius Imperator belli sortem expertus est minus inconstantem: etenim nihil unquam aggressus est quod ei non prospere successit. Felicitatem eam qui illi invidebant dormientem cum pingebant, Fortuna interim prope ipsum urbes retibus capiente. Quibus ille immotus: "Urbes dormiens capio: ecquid vigilans non faciam?" *Tourrell.* Confer Schol. ad Plut. Aristoph. ver. 180. IDEM.

Ἐπὶ Τιμοθέου] Timotheus, quem Corn. Nep. Olynthios subegisse tradit, auctore Diod. S. XV. 47. Ol. 101. 3. in Thraciam profectus multas ibi civitates in societatem civium suorum pertraxerat. Hoc tempore Macedoniæ præfuit Amyntas, qui (Æsch. de f. leg. §. ιγ'.) familiaritate utebatur Atheniensium; his ille videtur Perdiccam filium, quem Schol. commemorat, ad opem ferendam misisse. RÜDIG.

Ὀλυνθίους ἐφάνη τι] Olynthiorum plurimum videtur interfuisse, tenere Potidæam, *ofr.* §. γ'. ibique dicta. Ut Phil. I. §. ϛ'. per τινὰς vidimus *non paucos* significari, ita hic per τὶ *magnum aliquid* exprimitur: eodem modo Lat. *aliquid.* Cic. Tusc. I. 10. Ovid. Metam. XIII. 241. IDEM.

Τοῦτο συναμφότερον] Scilicet ἥ τε Μακεδονικὴ καὶ ἡ Ὀλυνθιακὴ δύναμις. WOLF.

Θετταλοῖς νοσοῦσι] Sc. τὴν ψυχὴν διὰ τὴν στάσιν καὶ ταραχήν. IDEM.

Θετταλοῖς—Ἰβοήθησε] Alexander, Pherarum tyrannus, ab uxore ejusque fratribus Lycophrone et Tisiphono Ol. 105. 4. trucidatus fuit; hinc illi gratia apud populum erant. Diod. S. XVI. 14. Sed quum consilio mutato principatum retinerent, *Aleuadæ*, nobile genus, ex quo ipso Schol. illos tyrannos oriundos dicit, Philippum Ol. 106. 4. arcessiverant, qui anno sequenti ita bello finem fecit, ut tyranni Pheras Philippo traderent. Diod. S. XVI. 35. 36. Jam intelligitur, cur talem describat Thessalorum statum, qui omnino perfidi habebantur. RÜDIG.

Ἐπὶ τὴν τυραννικὴν οἰκίαν ἐβοήθησε] Adversus Pitholaum et Lycophronem, qui cum, sorore Thebe adjutrice, affinem Alexandrum occidissent, tyrannicidæ habiti: non multo post ipsi eandem tyrannidem occuparunt. WOLF. Olymp. 106. a. 4. *Tourrell.* Vid. Diod. l. XVI. et Xenoph. l. VI. MOUNT.

Καὶ ὅπου τις ἂν] Οὐδὲν ἐξαίρετον ἔχει ἡ Μακεδονικὴ δύναμις. WOLF. Leg. ὅπῃ. TAYLOR.

Πάντ' ὠφελεῖ] Πότερον ἡ δύναμις ὠφελεῖ πάντα ἄνθρωπον, ἢ πράγματα πάντα; ἢ πάντα τὰ προστιθέμενα ὠφελεῖ; IDEM.

Πάντ' ὠφελεῖ] Si quid inchoatum vel parvo additamento absolvitur, hoc ipsum, quoniam perfecit rem, maximi facimus; nam ita illa integra facta eique toti consultum est; cavet, ne cives Philippo tribuant, quod casui debeatur. Cel. Hermannus mavult legi τὰ πάντα et Reisk. πάντως ὠφελεῖ, *semper prodest.* RÜDIG.

Ἐπισφαλεστέραν] Ἐπικινδυνωτέραν. WOLF.

Καὶ τοῦτο ἐζήλωκε] Τὸ δόξαν λαβεῖν. Nam δόξης ἐπιθυμεῖ, præcessit. IDEM.

Προήρηται πράττων] *Decrevit agendo et periclitando*, id est, rebus gerendis et periculis adeundis, *si quid acciderit, pati*, id est, mori non recusat. Supra τοῦτο ἐζήλωκε pro τὸ δόξαν ἐζήλωκε, *gloriam admiratur*, summum bonum in gloria collocat.

32 τὴν τοῦ διαπράξασθαι ταῦτα, ἃ μηδεὶς πώποτε ἄλλος Μακεδόνων βασιλεύς, δόξαν αὐτὶ τοῦ ζῆν ἀσφαλῶς ἠρημένος· τοῖς δὲ τῆς μὲν φιλοτιμίας τῆς ἀπὸ τούτων οὐ μέτεστι, κοπτόμενοι δὲ [1]ἀεὶ ταῖς στρατείαις ταύταις ταῖς [2]ἄνω κάτω λυποῦνται καὶ συνεχῶς ταλαιπωροῦσιν, οὔτ' ἐπὶ τοῖς ἔργοις οὔτ' ἐπὶ τοῖς αὑτῶν ἰδίοις ἐώμενοι διατρίβειν, οὐδ' ὅσ' ἂν πορίσωσιν οὕτως ὅπως ἂν δύνωνται, ταῦτ' ἔχοντες διαθέσθαι [3]κεκλημένων τῶν ἐμπορίων τῶν ἐν τῇ χώρᾳ διὰ τὸν πόλεμον. . . . . .

ζ. Οἱ μὲν οὖν πολλοὶ Μακεδόνων πῶς ἔχουσι Φιλίππῳ, ἐκ τούτων ἄν τις σκέψαιτο· οὐ χαλεπῶς· οἱ δὲ δὴ περὶ 23
αὐτὸν ὄντες ξένοι καὶ περέταιροι δόξαν μὲν ἔχουσιν ὡς

[1] αἰεὶ [2] ἄνω τε καὶ κάτω [3] κεκλεισμένων

Cic. 1. Offic. de fortitudine agens, 'Est, inquit, in hoc genere molestum, quod in maximis animis splendidissimisque ingeniis, plerumque exsistunt honoris; imperii, potentiæ, gloriæ cupiditates.' IDEM.

Περέφρηται] Vid. ad Phil. I. §. ιϛ'.; de perfecti hujus usu valet, quod Herm. d. em. rat. gr. p. 186. dicit: tempus significat præteritum terminatum præsenti tempore ita, ut res, quæ perfecto exprimitur, nunc peracta dicatur, illudque jam, perastam rem esse, præsens sit. Quid διαπράξασθαι sit, dictum ad Phil. I. RÜDIG.

Μακεδόνων βασιλεὺς] Scilicet διαπράξατο. WOLF. Vid. Pausan. VIII. 7.

Ἀντὶ τοῦ ζῆν ἀσφαλῶς] Ἀντ' ἀσφαλοῦς ζωῆς. WOLF.

Ἀντὶ τοῦ ζῆν ἀσφαλ.] Diod. S. XVI. 3. Ἡρὸς δὲ τὸ πλῆθος τῶν ἐνιφερομένων κινδύνων εὐστόχως ἀντεμηχανᾶτο; coll. Justin. 9. 8. et Drumanns Ideen zur Gesch. des Verf. der griech. Staat. p. 27. sqq. RÜDIG.

Τοῖς δὲ οὐ μέτεστι] Οὐ κοινωνοῦσι τῆς φιλοτιμίας, μᾶλλον δὲ, οὐ φροντίζουσι ταύτης, φίλοπος μᾶλλον καὶ φιλοχρήματος ὄντες, ἢ φιλοπάλαμοι καὶ φιλόδοξα. WOLF.

Κοπτόμενοι] Καταπονούμενοι, μᾶλλον δὲ τιτρωσκόμενοι καὶ φονεύμενοι. IDEM.

Κοπτόμενοι] Hesych. per ταλαιπωρεῖσθαι et Schol. ad Thuc. 8. 13. per καταπονεῖσθαι interpretatur. RÜDIG.

Ταῖς ἄνω τε καὶ κάτω] Ταῖς συχναῖς καὶ πανταδαπαῖς. Vide expeditiones Philippi superiore oratione. Proverbialis locutio est 'Sursum deorsum.' WOLF.

Οὐδ' ὅσ' ἂν πορίσωσιν — ἔχοντες διαθέσθαι] Wolfius ita hæc vertit: *Neque etiam quæ sic quæsita tenent, suo arbitratu collocare possunt.* Pessime. οὕτω ἔχοντες idem sonat ac οὐ διάμενοι, ut in Scholiaste est. Supra dixit οὔτ' ἐώμενοι. Illud οὕτως a Scholiaste additum putat. MOUNT.

Οὕτως ὅπως] Τὸ οὕτως videtur a scholiaste additum. WOLF.

Ἔχοντες διαθέσθαι] Δυνάμενοι σωθῆναι. IDEM.

Κεκλεισμένων] Aug. 1. 2. Bav. κεκλειμένων, quam formam Thom. M. 521. Etym. M. 500. 12. 17. Græcos adhibuisse tradunt, quamque recepissem, nisi in Aristog. I. p. 778. 11. ed. R. κεκλεισμένης sine varietate legissem. Vulgatam confirm. Schol. In Aug. 3. vetustior manus dederat κεκλημένης, quod Bekk. rec. RÜDIG.

Διὰ τὸν πόλεμον] Φοβουμένων τοῖς ἐμπόροις, μὴ κηρυκεῖς περιπεσόντες καὶ περὶ τῶν σωμάτων κινδυνεύσωσι. WOLF.

ζ'. Οἱ μὲν οὖν πολλοὶ τῶν Μακεδόνων] Postquam et sociorum et Macedonum fidem in dubium vocavit: etiam mercenarios milites in contemptum adducit. IDEM.

Περίταιροι] Sic dicti, quasi *pedites socii*: sicut optimus et fortissimus imperator Maximilianus I. Augustas milites suos, conciliandæ benevolentiæ causa, modo filios, modo suos nudos, id est, male vestitos puerulos appellasse fertur. IDEM.

Περίταιροι] Per hanc vocem Tourrelius Phalangem Macedonicam intelligit, cujus auctor exstitit Philippus. De ea Diod. l. XVI. prope initium de Philippo loquens: ἐπενόησε δὲ καὶ τὴν τῆς φάλαγγος κατασκευὴν καὶ κατασκευὴν, μιμησάμενος τὸν ἐν Τροίᾳ τῶν Ἡρώων συσπεσμόν. καὶ πρῶτος συνεστήσατο τὴν Μακεδονικὴν φάλαγγα. Vide Eustath. ad Il. N. ver. 26. Ea nihil unquam fuit in bello terribilius, ut ex plurimis diversorum auctorum locis discimus,

εἰσὶ θαυμασταὶ καὶ συγκεκροτημένοι τὰ τοῦ πολέμου, ὡς δ' ἐγὼ τῶν ἐν αὐτῇ τῇ χώρᾳ γεγενημένων τινὸς ἤκουον, ἀνδρὸς οὐδαμῶς εἶόν τε ψεύδεσθαι, [1] οὐδενῶν εἰσὶ βελτίους. εἰ μὲν γάρ τις ἀνὴρ ἔστιν ἐν αὐτοῖς οἷος ἔμπειρος πολέμου καὶ ἀγώνων, τούτους μὲν φιλοτιμίᾳ πάντας ὑπερθεῖν αὐτὸν ἔφη, βουλόμενον πάντα αὐτοῦ δοκεῖν εἶναι τὰ ἔργα — πρὸς γὰρ αὖ τοῖς ἄλλοις καὶ τὴν φιλοτιμίαν ταύτης ἀνυπέρβλητον εἶναι — εἰ δέ τις σώφρων ἢ δίκαιος ἄλλως, 33
τὴν καθ' ἡμέραν ἀκρασίαν τοῦ βίου καὶ μέθην καὶ κορδα-

[1] † οὐδένων

tum vero præcipue ex Polybii Fragmento pag. 1015. ubi de L. Æmilio Paulo hæc habet: ἀνθωμολογεῖτο πρὸς τοὺς τῶν ἐν τῇ Ῥώμῃ μηδὲν ἐκπεπλῆχθαι φοβερώτερον Μακεδόνων φάλαγγος. Nondum autem sub Philippo auctore ad summam ejus perfectionem successerat: quare minus παράδοξον in Demosthene videatur eam tantopere extenuare. In Orat. ad Ep. Phil. §. γ'. ubi fere eadem repetit, habet: τοὺς δὲ περὶ αὐτὸν ὄντας Ἰταλιώτας καὶ τοὺς τῶν ξένων ἡγεμόνας εὐφυεστέρους δίξαν μὲν ἴσχοντας ἐπ' ἀνδρίᾳ, πεφευδῶς δὲ μᾶλλον τῶν ἀδίκων ζῶντας. Mount. Vid. Meurs. Attic. Lect. l. II. c. XI. Poll. I. 175. Eustath. ad Il. Δ. p. 359. Hesych. s. v.

Συγκεκροτημένοι τὰ τοῦ πολέμου] Δεινὸ πολεμιστά. Hesychius: συγκροτῶν, συμπήγνυντα, συνάγων. Suidas: αὔξειν, συνιστᾶν, συνδεῖν, πρὸς ἀρμονίαν ἄγειν, συνέχειν, συμπήγνυντα. Varinus: ἐπὶ τῶν χαλκείων κυρίως, καὶ ἀφ' οὗ τούτου, ἐπὶ τῶν συμφωνούντων. συγκροτῶν δύναμιν, cogere copias. συγκεκροτημένοι, ἰσχυροποιημένοι, συνεστυκωμένοι. Videtur non tam fortitudinem et peritiam rei militaris, (etsi has quoque) quam concordiam et mutuas operas significare. Wolf. Pollux I. 157. iis hoc verbum annumerat, quæ notionem *vires intendendi* innuunt: denotantur *exercitati rebus bellicis*. Rüdig.

Συγκεκροτημένοι τὰ τοῦ πολέμου] Phalangem intelligit, quæ confertis ordinibus in scie stabat instar valli, et (partibus se mutuo sustentantibus) difficillime perrumpi poterat. *Ex edit.* Stock.

Οἷον τε ψεύδεσθαι] Id est, εἰωθότος, qui minime solet mentiri, qui minime talis est, ut mentiatur. Wolf.

Οὐδένων] l. e. *οὐδὲ ἄλλων*, cfr. Olynth. I. (III.) §. ι. fin. *αἰσχύνη οὐδεμιᾶς ἐλάττων ζημίας*, i. e. tarpitudo non minor alia pœna. Bav. habet *οὐδενῶν*, quod Bekker. dedit. Sed ipsa, quam proposuimus, explicatio suadet, ut accentus in penultima ponatur: ita *οὐδείς* est *fere nemini*. Cfr. Valcken. ad Herod. 3. 140. Rüdig.

Εἰ — τις ἀνὴρ — τούτους] Observa mutationem numerorum. Wolf.

Εἰ μὲν γάρ τις — τούτους μὲν φιλοτιμίᾳ πάντας ὑπερθεῖν] Quin et ipse Philippus plus se lætitiæ ex prospero stratagemate, quam ex qualibet victoria, capere fatebatur. Diod. l. XVI. Polyæn. l. IV. c. 2. Legimus eum in duces suos eo magis præ invidia injurium fuisse, quo ipsi, illustriores se præbuerint: quod vitium humile prorsus et maligunm neque ipse effugit Alexander. Urebatur scilicet nimio Perdiccæ, Lysimachi, Seleuci, Antigoni fortitudinis fulgore, edioque habebat ipsorum fortunam nimis prosperam. Æl. Var. Hist. l. XII. c. 16. *Tourreil.* Mount.

Οἷος ἔμπειρος] Τοιοῦτος οἷος, id est, εἴ τις ἔμπειρός ἐστι πολέμου. Elegantia pleonasmi speciem habet. Sic paulo post: τοιούνους οἷους μεθυσθέντας ἐχεῖσθαι, id est, τοὺς ἐχομένους, ἐπειδὰν μεθυσθῶσι. Wolf.

Οἷος] Si quis est talis, ut virtute bellica excellat. Aristoph. Vesp. 970. ὁ δ' ἔπειρος οἷός ἐστιν οἰκοῖς μόνον. Hinc non est, quod, ut Reiske proponit, hanc vocem tollamus; nam efficit, ut id, quod alicui tribuitur, certius definiatur. Respondet in seq. ἄλλως ἄλλα ὡς, mera probus. Schol. ibi: κατὰ φύσιν. Rüdig.

Ἀγώνων] Πολεμικῶν, μαχῶν, κινδύνων. Wolf.

Τὴν φιλοτιμίαν ὑπερθεῖν.] Οὐ τοίνυν ἐπαινετὴν διὰ τί ἄγαν. Idem.

Καρδακισμοὺς] *Saltationes impudicæ*, nomen suum mutuatæ a satyro qui eas instituit. In nequitia et luxu Philippi describendis, verum excedere forsan videretur Demosthenes, ni eadem, vel etiam graviora, ab historicis traderentur. Videat lector eruditus Athen. lib. 6. Ex *edit.* Stock. Vide Schol. Aristoph. Nub. v. 540. et

κισμοὺς οὐ δυνάμενος φέρειν, [1] παρεῶσθαι καὶ ἐν οὐδενὸς εἶναι μέρει τὸν τοιοῦτον. λοιποὺς δὴ περὶ αὐτὸν εἶναι λῃστὰς καὶ κόλακας καὶ τοιούτους ἀνθρώπους, οἵους μεθυσθέντας ὀρχεῖσθαι τοιαῦτα, οἷα ἐγὼ νῦν ὀκνῶ πρὸς ὑμᾶς ὀνομάσαι. ὅῆλον δ' ὅτι ταῦτ' ἐστὶν ἀληθῆ· καὶ γὰρ οὓς ἐνθένδε πάντες ἀπήλαυνον ὡς πολὺ τῶν θαυματοποιῶν ἀσελγεστέρους ὄντας, Καλλίαν ἐκεῖνον τὸν δημόσιον καὶ

[1] παρεωράσθαι

Palmer. ad loc. Polluc. l. IV. c. 14. Jul. Cæs. Scalig. de Comœd. et Tragœd. c. 14. Jul. Cæs. Buleng. de Theatr. l. I. c. 52. Mount. Et Hesych. et Harpocrat. s. v. κίρδαξ.

Οὐ δυνάμενος φέρειν] Εἴτε διὰ τὸν τοῦ σώματος ἀσθένειαν εἴτε διὰ τὸν τῶν τρόπων παλαπαγβίαν. Wolf.

Δυνάμενος] Participium pro verbo finito, vid. Schaef. Mel. cr. p. 43. sq. Seidler. ad Eurip. Electr. v. 533. Rüdig. Perperam Rüdiger affirmat, participium δυνάμενος positum esse pro verbo finito δύναται. Nos vehementer dubitavimus (Philol. Beytrage aus der Schweiz. Vol. I. pag. 172. sqq.), nam usquam participium sic ponatur. Nostro quidem loco id neutiquam fit. Nam post ἄλλως comma ponendum est, quod est in aliis editionibus, et supplendum ἐστί; δυνάμενος autem est appositio. Brem.

Παρεωράσθαι] Laud. Barocc. et Pith. παρῆσθαι habent: et sic etiam Ald. asterisco tamen præfixo, et inter varias lectiones παρωχῆσθαι exhibito: quæ certe germana lectio est, quamque Scholiasten etiam agnoscere satis manifestum est, quamvis in eo corrupte legatur παρεῶσθαι. Mount. Jam ex ipsa voce Schol. οἷονεὶ et ex ἀπωθεῖν §. ά., cui orator παρωθεῖν videtur adjunxisse, conclusi lectionem παρεῶσθαι a Demosth. esse profectam. Rüdig.

Ἐν οὐδενὸς εἶναι μέρει] Ἐξουθενημένον εἶναι, καταφρονεῖσθαι, μηδεμίαν ἴσχειν παρὰ φιλίππῳ τὴν ἀξίωσιν, μηδαμοῦ μηδένα εἶναι. Wolf.

Λῃστὰς] Hæc lectio in omnibus libris est et a Schol. confirmatur, qui interpret. οἷονεὶ ἅρπαγάς τινας στρατιώτας. Sed quem non offendat, *latrones* cum *parasitis* jungi? Reiskius conjec. διαλιστὰς, Valcken. [ap. Sluiter. Lect. Andoc.] γελοιαστὰς, quod placuit Jacobsio, Hermann. ex Athen. X. 435. C. legi vult αὐλητὰς, ipse in Progr. proposui λήρους, quod præter explicationes Lexicogg. sæpe apud Platonem de *nugatoribus* dicitur. cf. Heindorf. ad Theæt. p. 402. Quid horum verum sit, alii judicent. Rüdig.

Οἵους] Struitur hæc vox cum infinit., de Ord. Class. §. ί. εἰ δή τις καὶ τοιοῦτός ἐστιν, οἷος ἐγχειρεῖν ἔργῳ τῳ. cfr. Fisch. ad Well. III. 2. p. 13. sq. Idem.

Ὀρχεῖσθαι τοιαῦτα] Post ἐρχεῖσθαι distinguit Brucioluus, *qui ebrii saltent*: ut τὰ τοιαῦτα, κατ' ἔλλειψιν τοῦ ποιεῖν, καὶ παράλειψιν accedat: *atque alia agent flagitiosa*, etc. Posset etiam conjungi, ὀρχεῖσθαι τοιαῦτα, *saltare ad eum modum*: ut de representatione mimica intelligatur, quæ manuum potius fuit, quam pedum artificiosa agitatio, ut ex Luciano apparet. Ovidius item [de Art. Am. i. 595.]

Si vox est, cauta: si mollia brachia, salta:
Et quacunque potes arte placere, place.

Wolf.

Δῆλον δ'] Noti hominis flagitiosi exemplo narrationem probare studet, ut Æneas Virgilianus [ii. 65.]

Accipe nunc Danaum insidias, et crimine ab uno
Disce omnes. — Idem.

Θαυματοποιῶν] *Thaumatopœi* seu *mirifici* dicti sunt homines projectæ audaciæ, qui summo vitæ periculo stupenda in vulgus patrarent, per rotas et ignes se trajicerent, tenuissimis et adversis funibus currerent, ingentia onera supra hominis vires portarent, in immensam altitudinem mergerentur et sine ulla respirandi vice maria perpoterentur: cum aliis id genus multis, quibus homines obstupescerent, et quodammodo consternarentur. Vide Buleng. de Theatro, lib. 1. cap. 36. et seqq. Æl. Var. Hist. lib. 8. c. 6. et Athen. passim. Nonnulli Proteum præstigiatorem fuisse autumant. Vid. Eustath. in Odyss. Δ. p. 1765. ad hos versus?

Πάντα δὲ γιγόμενος πειρήσεται, ὅσσ' ἐπ' γαῖαν
Ἕρπετὰ γίνονται, καὶ ὕδωρ, καὶ θεσπιαδὲς πῦρ.

Mount.

Καλλίαν ἐκεῖνον τὸν δημόσιον] Servum

τοιούτους ἀνθρώπους, μίμους γελοίων καὶ ποιητὰς αἰσχρῶν ἁσμάτων ἂν εἰς τοὺς συόντας ποιοῦσιν ἕνεκα τοῦ γελασθῆναι, τούτους ἀγαπᾷ καὶ περὶ αὐτὸν ἔχει. καί τοι ταῦτα, εἰ καὶ μικρά τις ἡγεῖται, μεγάλα, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, δείγματα τῆς ἐκείνου γνώμης καὶ κακοδαιμονίας ἐστὶ τοῖς εὖ φρονοῦσιν. ἀλλ', οἶμαι, νῦν μὲν ἐπισκοτεῖ τούτοις τὸ κατορθοῦν· αἱ γὰρ εὐπραξίαι δειναὶ συγκρύψαι καὶ συσκιάσαι τὰ τοιαῦτα ὀνείδη· εἰ δέ τι [1] πταίσει, τότ' ἀ- 34
24 κριβῶς αὐτοῦ ταῦτα πάντ' ἐξετασθήσεται. δοκεῖ δ' ἔμοιγε,

[1] πταίσοις

publicum, ex eorum numero, quos Athenienses cum ducibus suis emittere solebant, ut iis in quibusdam rebus adessent, et munera quædam ad exercitum pertinentia obirent. Servos ad hæc munera deligebant, ut ab iis veritatem (si occasio esset) tormentis extorquere liceret: quod in cives haud concessum fuit. *Ex edit.* Stock.

Καλλίαν δημόσιον] Δημόσιοι erant servi publici, quales liotores, viatores, scribæ (Harpocrat. s. h. v. et Maussac. not.); horum qui litteras edocti erant, monente Schol., vendebantur. Lucches. suspicatur, Calliam esse eundem, quem Suidas (s. Καλλίας Ἀθηναῖος) fabularum scriptorem fuisse dicit. Rüdig.

Τὸν δημόσιον] Δεῦλον. Vide Ulpianum. Suidas: δημόσιος ἐλεγον τοὺς τῆς πόλεως δούλους. Et Æschines: ἔδρασεν δημόσιον, οἰκέτην τῆς πόλεως. Wolf. V. D'Orville ad Char. Aphrod. l. III. c. IV. p. 292.

Μίμους γελοίων —] Vid. Athen. l. IV. c. 6. et 10. Theopom. rer. Philipp. l. XII. Plut. in Com. de Curiosit. Æl. V. H. l. XII. c. 51. et Athen. l. VII. p. 289. Polyb. p. 1375. sqq. ed. Gronov. et p. 1391. Mount.

Ἕνεκα τοῦ γελασθῆναι] Sive impersonaliter, *ut rideatur*. Wolf.

Τῆς ἐκείνου γνώμης] Οἰχ ὑγιοῦς οὔσης. Idem.

Καὶ κακοδαιμονίας] Τῆς ἐκείνης ἐς τὰ σπουδὰ τῇ ἀφροσύνῃ. Idem.

Τοῖς εὖ φρονοῦσι] Τοῖς τὴν ψυχὴν μᾶλλον ἢ τὴν τύχην ἐπιζήλωσιν. Idem.

Ἀλλ' οἶμαι] Μετάστασις τῆς αἰτίας τοῦ δαιμόνιον τὴν δύναμιν: non est Philippi sapientia, sed fortuna in causa, cur ejus consistat imperium, τί γὰρ ἂν μαθόντ' ἀνὴρ βασιλεύσειν παλῶς. Idem.

Ἀλλ', οἶμαι, τὸν μὲν ἐκείνου] Hunc locum habet auctor orat. ad Phil. ep. §. γ'. Schottus in Parall. monet, hunc locum expressum esse ex Thuc. III. [39.]: ἔδοξε δὲ τῶν πόλεων αἷς ἂν μάλιστα καὶ δι' ὀλιγίστου ἀφορμὴ δόξειεν ἐλθεῖν, ἐς ὕβριν τρέπειν. Quo pacto hoc ille contenderit non video. — ἐκείνου cum dat. struitur in Mid. 565. 25. ed. R. οἷσιν ὠκοδόμησεν ἐν Ἑλευσῖνι τοιαῦτον, ὅστε φάσιν ἐκείνου τοῖς ἐν τῷ τόκῳ. Rüdig.

Ἐκείνου τούτοις] Συόντος ἐκείνου, ἐρᾶσθαι οἷοι ἦσαν. Isocrates: ἡ ῥᾳστη ταῖς τῆς ψυχῆς ἐκπλήξεσιν ἐκείνου. Wolf.

Αἱ γὰρ εὐπραξίαι] Αἱ εὐτυχίαι καὶ εὐπραγίαι, οὐχὶ δὲ αἱ κατ' ἀρετὴν ἐνέργειαι. Idem.

Δειναὶ συγκρύψαι] Sollicet εἰσὶ δύναμιν ἔχουσι μεγάλην τοῦ συγκρύψαι. Idem.

Συσκιάσαι] Περιφόρους τέρψεις καὶ ψυχαγωγίας τινὲς ὑπεραπολογεῖσθαι αὐτῶν. Idem.

Συγκρύψαι καὶ συσκιάσαι] Id est, *tegere, præumbrare, caligine offundere et involvere*. Tacitus: 'fama, in quantum præumbrante Imperatoris vestigio datur, clarus,' δέξῃ δὲ λαμπρὸς, ὅσα γε ἐκείνου σκιάσουσι τῆς κορυφῆς ἔξεστι τῆς τοῦ αὐτοκράτορος. Cic. de Off. 'Tanta vis est honestatis, ut speciem utilitatis obscuret,' ὡς τὸ σχῆμα τοῦ χρησίμου συγκρύψαι. Bud. *Ex edit.* Herv.

Τὰ τοιαῦτα ὀνείδη] Τὰς συνουσίας τῶν ἑταιρῶν, τὰς μέθας καὶ τὰ λοιπὰ τὰ σχετικὰ τούτοις. Wolf.

Αἱ γὰρ εὐπραξίαι δειναὶ συγκρύψαι καὶ συσκιάσαι τὰ τοιαῦτα ὀνείδη] Eadem fere repetit in Oratione ad Philippi epistolam. §. δ'. Sallustius Histor. lib. 1. p. 12. Ed. Wass. ita hanc sententiam imitatus est: 'Secundæ res mire sunt vitiis obtentui.' Seneca controv. XXIV. p. 172. eam Thucydidi tribuit, legit autem ἐπιόντων ἀμαρτήματα pro τοιαῦτα ὀνείδη. Mount.

Εἰ δέ τι πταίσοις] Ἐὰν ἡττηθῇ ἄπαξ. Wolf.

Αὐτοῦ πάντα] Τὰ πράγματα καὶ ὀνείδη, τὰ τῶν λακωνίζοντα τοὺς φυλλοὺς. Idem.

Αὐτοῦ πάντα] Π. Φλ. Ἐπιστ. §. δ'. hæc: τότ' ἀκριβῶς διακινδυνεύσεται πάντα ταῦτα, eadem laudant Stob. et Dionys. Halic. Reisk. et Bekker. nostro loco post αὐτοῦ interseruerunt ταῦτα, quod quia

ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, δείξειν οὐκ εἰς μακράν, ἂν οἵ τε θεοὶ θέλωσι καὶ ὑμεῖς βούλησθε. ὥσπερ γὰρ ἐν τοῖς σώμασιν ἡμῶν, τέως μὲν ἂν ἐρρωμένος ᾖ τις, οὐδὲν ἐπαισθάνεται τῶν καθ' ἕκαστα σαθρῶν, ἐπὰν δὲ ἀρρώστημά τι συμβῇ, πάντα κινεῖται, κἂν ῥῆγμα κἂν στρέμμα κἂν ἄλλο τι τῶν ὑπαρχόντων σαθρὸν ᾖ, οὕτω καὶ τῶν πόλεων καὶ τῶν τυράννων, ἕως μὲν ἂν ἔξω πολεμῶσιν, ἀφανῆ τὰ κακὰ τοῖς πολλοῖς ἐστίν, ἐπειδὰν δὲ ὅμορος πόλεμος συμπλακῇ, πάντα ἐποίησεν ἔκδηλα.

ἡ. Εἰ δέ τις ὑμῶν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τὸν Φίλιππον εὐτυχοῦντα ὁρῶν ταύτῃ φοβερὸν προσπολεμῆσαι νομίζει,

in aliis libris post ἐξεταση θήσεται, in aliis ante legitur, non dubito, quin ejiciendum sit. Ceterum in utraque Ald., quam in manibus teneo, αὐτοῦ πάντα cum asterisco ante πάντα, neque in priore ταῦτα pro πάντα, quod Reiskius dicit, legitur. Rüdig.

Ἐξεταση θήσεται] Φανήσεται, ὅτι φαυλά ἐστιν ἐκφανῆ γενήσεται. Wolf.

Δοκεῖ δ' ἐμοὶ δείξειν] Τὰ ἑαυτοῦ, τουτέστι, φαίσειν. Idem. δοκεῖ, videtur, scil. Philippus. Auger.

Δοκεῖ δ' ἐμοιγε — εἰς μακρὰν] Videor mihi ostensurus non in longum tempus, i. e. breviter. Rüdig.

Βούλησθε] Sc. omnia aperta fient, si vultis. Idem.

Ἕως] Reiske dedit τέως, idem Bekker. sed quum paullo post ἕως legatur, idemque apud Stob. 540. 28., vulgata non erat mutanda, nisi conjicias τέως, ἕως, ut in Timocr. p. 721. 1. ed. R. Similiter de Class. §. ι. pro ἕως dedit τέως, ubi vulgata revocanda, nisi Codicis Bav., qui utrumque præbet, lectionem sequamur. Idem.

Τῶν καθ' ἕκαστα σαθρῶν] Τῶν ἐν ἑκάστοις μέλεσι σαθρῶν ὄντων. Hesychius: σαθρόν ἀσθενές, κεκλασμένον. Suidas: ἀπὸ τοῦ σείεσθαι ῥᾳδίως, ἢ, ἀπὸ τοῦ σείεσθαι τὰ ἄρθρα. σαθρωθῆναι, σαλευθῆναι. σαθρὸν, παλαιὸν, φθαρέν. Varinus σαπρός. σεσυπωμένος, παρὰ τὸ σαπῆναι, σαπρὸς, καὶ σαθρὸς, κατ' ἀντίφρασιν. Wolf.

Κινεῖται] Videtur hæc vox ad motus periculosos referri, qui et corporis sunt et civitatis; mala enim, quæ in utriusque quasi medulla recondita jacent, jam erumpunt, de Cor. §. νό. fin. ὥσπερ τὰ ῥήγματα καὶ τὰ σπάσματα, ὅταν τι κακὸν τὸ σῶμα βάλῃ, τότε κινεῖται. Rüdig.

Ῥῆγμα κἂν στρέμμα] Plutarch. videtur σπάσμα legisse. v. de discrim. adul. et amic. p. 43. ed. Gr. Taylor. Schol. auctore medici ῥῆγμα vocant vasis alicujus ruptionem: quæ quidem tecta fuit, nam Phot. ita: ἡ κατὰ μῆκος τοῦ τραύματος οὐλή; iidem illi dicunt στρέμμα articuli elisionem et ossis emotionem. Phot. ἡ στραγγύλου ἕλκους οὐλή. Vid. Fœs. Œc. Hipp. Rüdig.

Κἂν ἄλλο τι τῶν ὑπαρχόντων σαθρῶν ᾖ] Sic habent codices 4. Sed ego lego: κἂν ἄλλο τι τῶν ὑπαρχόντων, τουτέστι, τῶν μελῶν τοῦ σώματος, ᾖ σαθρόν. Wolf.

Οὕτω καὶ τῶν πόλεων] Οὕτω καὶ τὰ κακὰ τῶν πόλεων ἀφανῆ ἐστι τοῖς πολλοῖς. Idem.

Ὅμορος πόλεμος συμπλακῇ] Πόλεμος γένοιτο πρὸς τῇ χώρᾳ αὐτῶν. Idem.

Συμπλακῇ] Οὕτω περιστοιχίσαιτο αὐτὸς ὥστε μὴ ἐκ' ἐκείνοις εἶναι τὸ καταθέσθαι τὸν πόλεμον, ὅταν βουλομένοις αὐτοῖς ᾖ. Idem.

Συμπλακῇ] Hæc vox luctæ propria est, eaque Noster usus esse videtur, ut pugnæ violentiam significaret. Rüdig.

Πάντα ἐποίησεν] Ποιεῖν εἰωθε, δηλοῖν φιλεῖ. Wolf.

Ἔκδηλα] Dicuntur ea, quæ quum antea quasi sub tecto latuerunt, nunc manifesta fiunt, ut, qualia sint, appareat: sensu bono apud Hom. Il. V. 2. Rüdig.

ἡ. Εἰ δέ τις ὑμῶν] Ademit Philippo fidem sociorum et Macedonum, ademit bellicosos milites, ademit sobrietatem et sanam mentem, sola fortuna reliota. Quæ cum et ipsa vel una terreat Athenienses: primum concessione utitur. Deinde suorum civium fortunam Philippicæ anteponit, et ignaviam, quæ illis obstet, repudiare eos jubet, vel hostis exemplo, non tam fortunati, quam laboriosi atque industrii. Nihil ergo illi obstitit ebrietas, aut non tanta tamque crebra fuit, quantam fecit Demosthenes. Wolf. Cfr. Phil. I. §. γ'.

Φοβερὸν προσπολεμῆσαι] Isocrates Paneg. τὸν βασιλέα χαλεπὸν πρὸς τὸ πολεμεῖν, quanquam ibi quoque fortasse legendum

σώφρονος μὲν ἀνθρώπου λογισμῷ χρῆται· μεγάλη γὰρ ῥοπή, μᾶλλον δὲ τὸ ὅλον ἡ τύχη παρὰ πάντ' ἐστὶ τὰ τῶν ἀνθρώπων πράγματα· οὐ μὴν ἀλλ' ἔγωγε, εἴ τις αἵρεσίν μοι δοίη, τὴν τῆς ἡμετέρας πόλεως τύχην ἂν ἑλοίμην, ἐθελόντων ἃ προσήκει ποιεῖν ὑμῶν αὐτῶν καὶ κατὰ μικρόν, ἢ τὴν ἐκείνου· πολὺ γὰρ πλείους ἀφορμὰς εἰς τὸ τὴν παρὰ τῶν θεῶν εὔνοιαν ἔχειν ὁρῶ ἡμῖν ἐνούσας ἢ ἐκείνῳ. ἀλλ', οἶμαι, καθήμεθα οὐδὲν ποιοῦντες· οὐκ ἔνι δ' αὐτὸν ἀργοῦντα

est περιστολμεῖν: *oppugnatu difficilem: non sine magno metu et periculo ac difficultatibus posse bello peti.* Wolf.

Μεγάλη γὰρ] Hanc sententiam Cic. eleganter 2. Off. interpretatus est, 'Magnam vim esse in fortuna in utramque partem, vel secundas ad res, vel adversas, quis ignorat? Nam et cum prospero ejus flatu utimur, ad optatos exitus pervehimur: et cum reflavit, affligimur.' Plin. etiam lib. 2. cap. 7. 'Fortunæ omnia expensa, omnia feruntur accepta: et in tota ratione mortalium, sola utramque paginam facit.' Idem. Demosthenes, non orator modo summus, verum etiam philosophus, omnem prorsus rerum humanarum rectionem ac gubernationem fortunæ tribuit. Quid autem fortunæ nomine intelligat, ipse paulo post docet. Cum enim dixisset, si quis sibi optionem daret, malle se Atheniensium fortunam, quam Philippi: causam subjiciens, cur eo sit animo, ait plura videre se in Atheniensibus, quæ ad conciliandam deorum benevolentiam valeant, quam in Philippo: Πολὺ γὰρ πλείους ἀφορμὰς εἰς τὸ τὴν παρὰ τῶν θεῶν εὔνοιαν ἔχειν ὁρῶ ὑμῖν ἐνούσας, ἢ ἐκείνῳ. Ecquid videtur aperte profiteri, se fortunæ prosperitatem in divina benevolentia ponere! Vide Muretum, a quo hæc mutuati sumus, in Cicer. primam contra Catilinam, pag. 621. Ed. Græv. qui ibi prolixe docet, fortunam veteres nihil aliud quam divinam voluntatem vocasse. Demosthenes eadem repetit in Orat. in Epist. Philipp. §. ί. ubi legitur Τὸ ὅλον ἡ τύχη, sicuti et hic in Voss. et Ben. s. n. S. In oratione autem de Pace clarius indicat se fortunæ nomine divinam providentiam intelligere: dicit enim, — δι' εὐτυχίαν, ἣν συμπάσης ἐγὼ τῆς τῶν ἀνθρώπους οὔσης διανοίας καὶ σοφίας ἐρῶ κρατοῦσαν. Mount.

Ὅλον] Reisk. dedit τὸ ὅλον, idem Bekker. sed hic articulus repetitus videtur ex Φιλ. Ἐπιστ. §. ί.; ὅλον vero est in Dionys. et vel propterea non improbandum videtur, quum non de *certa* quadam re sermo sit: cfr. §. ς'. πάντ' ὠφελεῖ. Auger. etiam artic. omittit. Neutrum cum femin. compositum vides Olynth. I. (III.) §. γ'. Pro παρὰ πάντα in altero loco πρὸς ἅπαντα, sed παρὰ illud ipsum denotat tempus, quo homines aliquid peragunt, *fortuna est in rebus hominum.* Vid. F. A. Wolf. ad Lept. §. λ'. Rüdig.

Ἑλοίμην] Sc. μᾶλλον, quod ipsum ad βούλεσθαι etiam subintelligitur; vid. Zeun. ad Vig. p. 409. Idem.

Κατὰ μικρόν] Licet adeo obvia hæc formula, tamen non raro interpretes fefellit. Sic ap. Dem. Olynth. II. ubi *paullulum* pro *paullatim.* D'Orville ad Char. Aphrod. l. I. c. IX. p. 109.

Ἡ τὴν ἐκείνου] Dionys. l. l. monet, in his tribus periodis (inde ab εἰ δί τις) omnia verba concinne et blande et eleganter composita esse, quia suaviter admodum et numerose digesta sint. Rüdig.

Πολὺ γὰρ πλείους —] Ob istius scilicet perjuria. Agesilaus Barbaris, quibus jusjurandum violare religio non erat, gratias agere solitus est. 'Bene, bene est,' inquit, 'Perjuri isti Deos nobis amicos et auxiliares reddunt.' Æl. Var. Hist. lib. XIV. Corn. Nep. in Agesil. *Tourrell.* Mount.

Ἀφορμὰς — ἐνούσας] Ἴσως διὰ τὴν καλοκαγαθίαν καὶ εὐορμίαν· ἢ, τοὺς καιροὺς καὶ τοὺς συμμάχους, ἀφορμὰς λέγει. ἐνούσας, ὑπαρχούσας, ἵν' ὑμῖν οἷον οὖσας. Wolf.

Ἀφορμὰς] Quasi fortuna sequeretur hominum facta, ad quæ peragenda Atheniensibus non deesse judicat occasionem. Quod paullo post legitur ἡμῖν, retinui; ὑμῖν in nonnullis libris et in Dionys. habes. Quanquam, ut alibi vidimus, orator personas sæpe mutat, quod ipsum in ἡμετέρᾳ. πόλ. et ὑμᾶς ποιοῦντων factum est, tamen id de nostro loco non valet, in quo ἡμῖν respondet ἡμετέρας πόλ. Illud mirum est, quod, quum aperte nostrum locum in mente habuerit Dionys., Sylburg. ubique comparat alterum ex eoque disorepantias affert. Rüdig.

Οἶμαι] Aliquid irrisionis inest in hoc voce ut in *credo.* Idem.

Καθήμεθα οὐδὲν ποιοῦντες. Οὐκ ἔνι δ' αὐτὸν

35 οὐδὲ τοῖς φίλοις ἐπιτάττειν ὑπὲρ αὐτοῦ τι ποιεῖν, μή τί γε δὴ τοῖς θεοῖς. οὐ δὴ θαυμαστόν ἐστιν εἰ στρατευόμενος καὶ πονῶν ἐκεῖνος αὐτός, καὶ παρὼν ἐφ' ἅπασι, καὶ μηδένα καιρὸν μηδ' ὥραν παραλείπων ὑμῶν μελλόντων καὶ ψηφιζομένων καὶ πυνθανομένων περιγίγνεται. οὐδὲ θαυμάζω ταῦτ' ἐγώ· τοὐναντίον γὰρ ἂν ἦν θαυμαστόν, εἰ μηδὲν ποιοῦντες ἡμεῖς ὧν τοῖς πολεμοῦσι πρασσῆτε, τοῦ πάντα ποιοῦντος ἃ δεῖ περιῆμεν. ἀλλ' ἐκεῖνο θαυμάζω, εἰ Λακεδαι- 25

ἀργοῦντα—] Sallustius in oratione Catonis p. 177. Ed. J. Wass.—'Inertia et mollitia animi, alius alium exspectantes, cunctamini, videlicet dis immortalibus confisi, qui hanc Rempubl. in maximis sæpe periculis servavere. Non votis, neque supplicibus muliebribus auxilia deorum parantur: vigilando, agendo, bene consulendo, prospere omnia cedunt: ubi socordiæ tete, atque ignaviæ tradideris, nequicquam deos implores, irati infestique sunt.' Terent. Adelph. IV. 5. 59. 'Quid? credebas, dormienti hæc tibi confecturos Deos?' Eodem sensu, quo hic et alibi passim Demosthenes καθήμεθα dixit, Latini verbum *sedere* usurpant. Virgil. Æn. XII. 15. '*Sedeant* spectentque Latini?' Terent. Adelph. IV. 5. 38. 'An *sedere* oportuit Domi Virginem tam grandem?' Cic. ad Tironem lib. 16. 2. 2. 'His ventis istinc navigatur, qui si essent, nos Corcyræ non *sederemus*.' MOUNT.

Οὐκ ἂν ἐπιτάττειν] Οὐκ ἔξεστιν, οὐ πρέπει. WOLF.

Οὐ δὲ φίλος] Ἴσως οὖσιν. IDEM.

pulum ageret Demosthenes.—Sed supersunt alia quædam, quæ nostræ sententiæ minus favere videntur, quorum primum hoc est, quod quum hæc oratio sit habita post Olynthum expugnatam, hujus rei nulla fiat mentio. At quum Atheniensium animi illa facile moverentur et occasionem, quam e manibus dimisissent, se a Philippi dominio liberandi, ægre in memoriam revocarent, videtur orator consulto Olynthi mentionem prætermisisse; hoc vel inde probari poterit, quod, quo loco (§. ιδ'.) eas enumeret regiones, in quas Philippus irrumpat, Olynthum omittat, quanquam §. ζ'. iisdem regionibus, quas §. ιδ'. affert, addat etiam Olynthum. Quare quo tempore verba capitis §. ζ'. dicta sunt, illa urbs haud dubie nondum fuit expugnata, at memoria, ad quam alteram orationis partem, in qua inest §. ιδ'., retuleris, Olynthum existimanda est manibus Philippi traditam vidisse.

Neque etiam Harpocrationis et Libanii auctoritas tanta est in hac re, ut certum ex illorum testimonio argumentum peti possit ad nostram sententiam labefactandam: alter enim sub voce ἱερὰ τριήρης hanc orationem vocat quartam Philippicam, itaque eandem facit cum ea, quam vulgo primam dicimus: alter vero argumentum hujus orationis, quod paullo post sequetur, ita adumbrat, ut pateat, illum utramque hujus orationis partem unam habuisse. Jam si illo tempore (a. 314. p. Ch.), quo hi viri vixerunt, altera orationis pars ita cum altera coaluerit, ut una haberetur hæc oratio, quid mirum, quod neuter eorum harum partium faceret discrimen? Sed quo modo hæ duæ partes in unum sunt conglutinatæ? Ita, si recte sentio. Quum prior illius orationis pars finiretur pecuniæ ratione (πόρου ἀπόδειξις), eademque verba essent præfixa posteriori parti, inde ab eo tempore, quo oratio Phil. I. post tertiam Olynthiacam collocabatur, eo facilius hæ partes coaluerunt, quo magis quis, quo prima referret verba, desideraret.

Hæc fere habuimus, quibus nostram stabiliremus sententiam. Quanquam enim primo propositum fuit, ut rationem vulgatam probaremus, tamen quo sæpius hanc rem in judicium vocabamus, eo probabilior ea, quam tuiti sumus, sententia visa est. Sed quoniam non eo, quo visum est, loco illas partes disposuimus, necesse est, ut, quum argumentum hujus orationis adumbraturi sumus, eam totam complectamur.

7 καταπολεμῶν καὶ τὰ τῶν Ἑλλήνων διοικῶν; τέθνηκε Φίλιππος; οὐ μὰ Δί'· ἀλλ' ἀσθενεῖ; τί δ' ὑμῖν διαφέρει; καὶ γὰρ ἂν οὗτός τι πάθῃ, ταχέως ὑμεῖς ἕτερον Φίλιππον ποιήσετε, ἅνπερ οὕτω προσέχητε τοῖς πράγμασι τὸν νοῦν· οὐδὲ γὰρ οὗτος παρὰ τὴν αὑτοῦ ῥώμην τοσοῦτον ἐπηύξηται, ὅσον παρὰ τὴν ἡμετέραν ἀμέλειαν. καίτοι καὶ [1] τοῦτο. εἴ τι πάθοι καὶ τὰ τῆς τύχης ἡμῖν [2] ὑπάρξαι, ἥπερ ἀεὶ βέλτιον, ἢ ἡμεῖς ἡμῶν αὐτῶν ἐπιμελούμεθα, καὶ τοῦτ'

[1] τούτων εἴ τι πάθοι,
[2] ὑπάρξῃ, (ἡ γὰρ ἀεὶ βέλτιον, ἢ ἡμεῖς ἡμῶν αὐτῶν, ἐπιμελουμένη, καὶ τοῦτ' ἂν ἐξεργάσαιτο)

interrogatione, et *Quidnam*; ubi παρέλκει particula *nam*. Veteres autem Latini hanc præfigebant: quos sequens Maro dixit,

'Nam quis te, juvenum confidentissime, nostras
Jussit adire domos?'

Vid. Hen. Steph. Dissert. de Stylo N. T. IDEM.

Τέθνηκε φίλιππος;] Gliscebant hi rumores, eo quod in obsidione Methones vulseratus erat Philippus, anno præcedente. [Vide infra, Olynth. iii. 3.] Totum hunc locum maxime miratur Longinus; quem vide, §. 18. Edit. Pear. *Tourrell.* STOCK.

Τέθνηκε φίλιππος; οὐ μὰ Δί'· ἀλλ' ἀσθενεῖ; Τί δ' ὑμῖν διαφέρει;] Otiosos homines, novitatis avidos, in duabus primis enuntiationibus Demosthenes inducit. Secunda autem uno tenore et sublato interrogationis signo legenda videtur. Istius modi enim homines, alter altero melius et certius rem nosse volunt. Primus interrogat, nam sciat et credat alter quod divulgatur, Philippum mortuum esse. "Minime vero, inquit alter, mortuus est, sed morbo laborat." Hic non interrogat, sed certo scit, quid verum sit. Demosthenes autem ridet utrumque: Τί δ' ὑμῖν διαφέρει; cet. BREM.

Ἂν οὗτός τι πάθῃ] *Si quid ei acciderit*: i. e. si moriatur ille: notus ὑφημισμὸς, cujus exempla passim observanda sunt. Sic Cicero in Catilin. iv. Deinde, si quid obtigerit, æquo animo paratoque moriar. MOUNT.

Ἂν περ οὕτω προσέχητε] Ἐὰν οὕτως ἀμελήσητε τῶν πραγμάτων. Sunt enim hæc κατ' ἀντίφρασιν intelligenda. WOLF.

Ἀμέλειαν] Adde καὶ ῥᾳθυμίαν. IDEM.

Καίτοι καὶ τοῦτο] S. ὁ Σχυλλεῖον οἱ πολλοὶ, ὅτι τέθνηκε φίλιππος, εἰ συμπείσει. Videtur enim aut ἀλλοιωτικὸν, aut redundans. IDEM. τοῦτο restituerunt Augor. et Bekker., qui, nescio quo consilio, post hanc vocem punctum collocavit. Lectionis vulgatæ, quam probo, hic erit sensus: *si hoc fieret, ut ei quid accideret*, nam in πάθοι inesse videtur γένοιτο. cfr. in Aristocr. p. 632, 23. ed. R. τί τοῦτο λέγων; i. e. quid dicis hoc dicens? RÜDIG.

Τὰ τῆς τύχης] *Fortunæ favor*. cfr. §. id. fin. τὸ τῶν πραγμάτων. §. 6. Matth. Gr. gr. §. 285. IDEM.

Ὑπάρξαι] Plerique libri manuscripti et impressi legunt ὑπάρξῃ: cod. R. dat ὑπάρξῃ, quod admisit Reiskius. Καίτοι καὶ τοῦτο accipio quasi sensum aliquem efficiens, *et tamen sic se res habet*. Ἥπερ ἀεὶ βέλτιον, sub. ἐπιμελεῖται ἡμῶν. Ad verbum interpretor καὶ γὰρ ἐξεργάσαιτο, *et utinam rem absolveret*. i. e. utinam vitam Philippo eriperet! Vulgata, i. e. Wolfius, Ald. et Fel. legunt καὶ γὰρ ἐξεργάσαιτο, nescio unde acceptum quum libri omnes habeant καὶ τοῦτο ἐξεργάσαιτο. Retinui γὰρ quia τοῦτο proxime præcessit. AUGER.

Ἥπερ ἀεὶ βέλτιον] Ἀθυσίαν δυσβουλίαν καὶ συντυχίᾳ. WOLF.

Ἐξεργάσαιτο] Si pro γὰρ legas τοῦτο, (ut habet Obsopœus) conjungere licebit: καὶ εἰ τὰ τῆς τύχης (εἰ ἡ τύχη) ὑπάρξαι ἡμῖν, καὶ ἐξεργάσαιτο τοῦτο, S, οὕτως ἔχετο. *Si fortuna nobis faverit, et huic etiam beneficio quasi summam manum addiderit*, id est, si Philippus ex morbo decesserit. Licet et διπτικῶς exponere: *fieri enim potest, ut Fortuna, quod cœpit, perficiat*: et διπτικῶς, *utinam vero absolvat* id, *quod instituit*, id est, perimat eum, quem prostravit. IDEM.

Καὶ τοῦτο ἐξεργάσαιτο] *Atque hoc absolvat, quod inœpit*: sc. Philippum ad exitum vitæ perducendo. Alii legunt, καὶ γὰρ ἐξεργάσαιτο, et exposui possit, inquit Wolfius, διπτικῶς, *et utinam absolvat*: quanquam si adesset particula ἄν, καὶ γὰρ ἐξεργάσαιτ' ἄν, hanc tutius sententiam complecti possemus; notante Leschesinio. STOCK.

Ἥπερ ..... ἐξεργάσαιτο] Reiskii mutatio ἡ γὰρ .... ἐπιμελουμένη non habet, quo probetur, vulgata enim lectio, quam et Auger. et Bekker. recc., bene habet.

ἐξεργάσαιτο, ἴσθ' ὅτι πλησίον μὲν ὄντες, ἅπασιν ἂν τοῖς πράγμασι τεταραγμένοις ἐπιστάντες, ὅπως βούλεσθε διοικήσαισθε· ὡς δὲ νῦν ἔχετε, οὐδὲ διδόντων ὑμῖν τῶν καιρῶν Ἀμφίπολιν δέξασθαι δύναισθ' ἄν, ἀπηρτημένοι καὶ ταῖς παρασκευαῖς καὶ ταῖς γνώμαις.

ς'. Ὡς μὲν οὖν δεῖ τὰ προσήκοντα ποιεῖν ἐθέλοντας 8
ὑπάρχειν ἅπαντας ἑτοίμως, ὡς ἐγνωκότων ὑμῶν καὶ πεπεισμένων παύομαι λέγων· τὸν δὲ τρόπον τῆς παρασκευῆς, ἣν ἀπαλλάξαι ἂν τῶν τοιούτων πραγμάτων ὑμᾶς ἡγοῦμαι,

Nam πῆ, quod Reiske in γὰρ mutavit, significat animum ejus, *qui sententiam suam aliis non improbari putat*: ad quam quidem notionem eo, ni fallor, revocari poterunt, quæ Hoogev. de Part. gr. p. 688. singulatim affert. Cfr. §. ϑ'. καὶ ἅπαντ' ἴσως πῆ etc. h. l. *fortuna, quæ, ut quivis concedet, nobis favet.* Quam quidem sententiam sæpe Noster exprimit. cfr. Olynth. II. (I.) init. Non recte Reiske ἐπιμελούμεθα mutavit in ἐπιμελοῦμεν, quum ἡμεῖς proximum sit subjectum: nec minus ἂν post τοῦτο, quod eidem debetur, abjiciendum. Notas parenthes. post ἐπιμελ. collocavi, quum ἐξεργάσαιτο pendeat a præced. Rüdig.

Ἴσθ' ὅτι] Ἴστε ὅτι, παρὰ τὸ ἴσημι, ἴσατε καὶ ἴστε, κατὰ συγκοπήν. Wolf.

Πλησίον] Εἴ τι Μακεδονίας εἴ τι Ἀμφιπόλεως. Idem.

Οὐδὲ διδόντων ὑμῖν τῶν καιρῶν Ἀμφίπολιν] Amphipolis antiquitus *Ἐννέα ὁδοί*, postea Amphipolis nominabatur, quia, ut ait Thucydides, [cui assentit Auctor Etymologici] eam amnis Strymon pene circumfluat. [Suidas ita appellatam dicit, quia circum undique coleretur.] Hodie vocatur *Emboli*. Cimon Miltiadis F. Coloniam decem millium Atheniensium ad hanc urbem olim deduxit, quæ commodissime sita erat ad infestandam Macedoniam, cum intra eam et Thraciam jaceret. Philippus cito hoc animadvertit. Itaque vix solium adscenderat, quin eam occuparet; cum autem diutius eam retinere non posset, id libenter fecit quod necessitas exegit, ejusque incolis concessit ut Democratia uterentur. Eam iterum post biennium obsidens Atheniensibus se traditurum fidem dedit, urbe autem capta promisso non stetit. Maxime Atheniensium intererat urbem adeo ipsis opportunam recuperare, neque quidquam erat de quo eos tam sollicitos esse oportuit: itaque Demosthenes, ut ostendat quam deplorata sit ipsorum socordia, atque imprudentia, apertis, inquit, per occasionem portis Amphipoleos, vestra inter vos dissidia, atque animi inper-

titudines, vobis eas iterum occludentibus. Prebas in Cim. Plutar. Dem. in Aristocr. et de Fals. Leg. *Tourrell.* Mount. Phil. Ol. 105, 3. hanc urbem ceperat, Diod. Sic. XVI. 8., quam, ut ex multis locis veterum intelligitur, recuperare quam maxime Athenienses cupiebant. Quare quum hi ab Amphipolitanorum legatis Hierace et Stratocle ad auxilium ferendum invitarentur, cfr. Olynth. I. (III.) §. ϑ', illorum precibus non sunt commoti, nam Philippus se hanc illis traditurum esse promiserat. Olynth. II. (I.) §. γ'. Καιροὶ, qui nostro loco nominantur, videntur ad illam legationem, de qua diximus, pertinere. Cfr. in Aristocr. p. 669, 10. ed. R. Rüdig.

Ἀπηρτημένοι καὶ ταῖς παρασκευαῖς] Κεχωρισμένοι, πρεμάμενοι, μακρὰν ὄντες: μήτε παρεσκευασμένοι μήτε βουλόμενοι. Wolf.

Ἀπηρτημένοι] Sagillat hic Orator civium suorum levitatem solennem ἄτοπον inconstantiam: eamque pulcre exprimit vox ἀπηρτημένοι, quæ significat *suspensi*, ideoque *fluctuantes*, ut ipse in versione reddidi. Haud multum absimile est quod Apostolus Ephesiis dicit, cap. iv. 14. κλυδωνιζόμενοι καὶ περιφερόμενοι παντὶ ἀνέμῳ τῆς διδασκαλίας. Sumitur quidem alias hoc verbum pro κεχωρισμένοι, ut observat Scholiastes, μακρὰν εἶναι, *longe abesse, abhorrere*: sensu, ut opinor, minus huc arridenti, quemque sententiæ structura non admittat: nisi inserantur v. τῶν πραγμάτων, vel legamus τῆς παρασκευῆς καὶ τῆς γνώμης. Mount. Thom. M. p. 327. ἀπορεῖσθαι: quo quidem auctore illa vox proprie de mari dicitur; h. l. *prohibiti* et apparatus inopia et animorum fluctuatione. Rüdig.

ς'. Ὡς μὲν οὖν δεῖ] Παύομαι μὲν οὖν λέγων, ὡς ὑμῶν ἐγνωκότων καὶ πεπεισμένων τί δέ; ὡς δεῖ ἅπαντας ὑπάρχειν ἑτοίμους, ἰδίλοντας τὰ προσήκοντα ποιεῖν. Wolf.

Ἣν ἀπαλλάξαι ἂν] Ἀπαλλάξαι, δι' ἧς ἂν ἀπαλλαγείημεν τούτων τῶν πραγμάτων. Idem.

Τοιούτων πραγμάτων] Intelligitur is re-

καὶ τὸ πλῆθος ὅσον, καὶ πόρους οὕς τινας χρημάτων, καὶ τἆλλα ὡς ἄν μοι βέλτιστα καὶ τάχιστα [1] δοκεῖ παρασκευασθῆναι, καὶ δὴ πειράσομαι λέγειν, δεηθεὶς ὑμῶν, ὦ 44 ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοσοῦτον. ἐπειδὰν ἅπαντα ἀκούσητε, κρίνατε, καὶ μὴ πρότερον προλαμβάνετε· μηδ' ἂν ἐξ ἀρχῆς δοκῶ τινὶ καινὴν παρασκευὴν λέγειν, ἀναβάλλεσθαί με τὰ πράγματα ἡγείσθω. οὐ γὰρ οἱ ταχὺ καὶ τήμερον εἰπόντες μάλιστα εἰς δέον λέγουσιν — οὐ γὰρ ἂν τά γε ἤδη γεγενημένα τῇ νυνὶ βοηθείᾳ κωλῦσαι δυνηθείημεν —, ἀλλ' ὃς ἂν δείξῃ τίς πορισθεῖσα παρασκευὴ καὶ πόση καὶ πόθεν διαμεῖναι δυνήσεται, [2] ἕως ἂν ἢ διαλυσώμεθα πεισθέντες τὸν πόλεμον ἢ περιγενώμεθα τῶν ἐχθρῶν· οὕτω γὰρ οὐκέτι τοῦ λοιποῦ πάσχοιμεν ἂν κακῶς. οἴομαι τοίνυν ἐγὼ ταῦτα λέγειν ἔχειν, μὴ κωλύων εἴ τις ἄλλος ἐπαγγέλλε-

[1] δοκῇ [2] τέως

rum status, quo Atheniensibus metuendum, ne Philippo cederent. Rüdig.

Δοκῇ] Retinui: *si, quæ visa fuerint.* De Class. p. 178. v. 13. ed. R. πειράσομαι τὸν τρόπον εἰπεῖν, ὃν ἄν μοι δοκῆτε παρασκευάσθαι: add. huj. or. §. 4. p. med. Idem.

Καὶ δὴ] i. q. ἤδη. Herm. ad Vig. 829. Idem.

Τοσοῦτον ἐπειδὰν] Ἵνα κρίνητε, ἐπειδάν. Wolf.

Καὶ μὴ πρότερον προλαμβάνετε] S. τὴν κρίσιν, μὴ κρίνετε πρὶν ἀκοῦσαι καὶ μαθεῖν τὴν ἐμὴν γνώμην. Idem.

Καινὴν παρασκευὴν] Pro καινὴν legi vult Victorius in Var. Lect. l. ix. c. 16. κενήν.

Ἀναβάλλεσθαί με τὰ πράγματα] Quomodo? cum parvæ copiæ citius comparari possint, quam magnæ? An quia his bellum duci potius quam confici potest? Wolf.

Οὐ γὰρ οἱ ταχὺ καὶ τήμερον εἰπόντες] Est ἐλλειπτικὸν, S. δεῖ παρασκευάσασθαι. Vult bellum maturari Demosthenes: sed id tam subito apparari posse negat. Idem.

Ταχὺ et τήμερον] Accipe tanquam substantivos, qui jugiter vobis hæc verba occinunt, *cito, hodie.* Auger.

Εἰς δέον λέγουσι] Τὰ δέοντα. Wolf. Opportune. Rüdig.

Οὐ γὰρ ἂν τά γε ἤδη γεγενημένα, &c.] Mirum quantum hallucinatus est Wolfius, qui hunc locum ita transtulit: *cum, quo quidem in loco res nunc sunt, auxiliis, quæ nunc mittimus, pericula propulsare non possimus.* Sensus hic est: quæ jam nobis damna evenerunt, auxiliis nunc missis defendere non possumus; etenim infectum reddere quod factum est non ipse potest qui potest omnia, juxta illud Horatianum Od. iii. 29.

——'non tamen irritum,
Quodcunque retro est, efficiet, neque
Diffinget, infectumque reddet,
Quod fugiens semel hora vexit.'
Mount.

Ἀλλ' ὃς ἂν] Οὗτος μάλιστα εἰς δέον λέγει, ὃς, &c. Wolf.

Τίς πορισθεῖσα παρασκευὴ] *Quæ copiæ extructæ esse debeant.* Rüdig.

Ἕως ἂν] Reiske τέως male in textum recepit. Nam in enunciatione relativa, cui ἂν additur, non utuntur particula demonstrativa. Rüdig.

Πεισθέντες] Οὐχὶ δὲ διασθέντες. Wolf.

Τοῦ λοιποῦ] Ἐπιῤῥηματικῶς, εἰς τὸν λοιπὸν χρόνον, μετὰ ταῦτα. Idem.

Ἄλλος] F. ἄλλο. Hæc verba ἡ μὲν ὑπόσχεσις, &c. alicubi, uti memini, citat Longinus, qui multa mutuatur a Demosthene non adducendo tantum, verum effingendo (sic), ut alibi notavi. Taylor.

Ἐπαγγέλλεται] Hoc verbum dicitur de iis, qui criminantur aliquem concionari et reipubl. præesse, quanquam non liceat. cfr. Harpocr. s. h. v. Etym. M. 353, 43. jam illi, quod pollicitationibus suadent, ut *perficiatur, postulant.* d. fals. leg. 401, 17. ed. R. τί δὴ μόνος οὐδὲν ἐπαγγέλλεται. Rüdig. Quid his verbis hic voluerit vir d., non intelligo. Apud Harpocrationem legitur: Ἐπαγγελία σημαίνει καὶ ἄλλα, ἰδίως δὲ λέγεται ἐπὶ τῶν ἐγκαλούντων τινὶ δημηγορεῖν καὶ πολιτεύεσθαι οὐκ ἐξόν. Λέγεται τὸ ἐπαγ-

ταί τι. ἡ μὲν οὖν ὑπόσχεσις οὕτω μεγάλη, τὸ δὲ πρᾶγμα ἤδη τὸν ἔλεγχον δώσει· κριταὶ δ' ὑμεῖς ἔσεσθε.

ζ. Πρῶτον μὲν τοίνυν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τριήρεις πεντήκοντα παρασκευάσασθαί φαμι δεῖν· εἶτ' αὐτοὺς οὕτω τὰς γνώμας ἔχειν, ὡς, ἐάν τι δέῃ, πλευστέον εἰς ταύτας αὐτοῖς ἐμβᾶσι. πρὸς δὲ τούτοις τοῖς ἡμίσεσι τῶν ἱππέων ἱππαγωγοὺς τριήρεις καὶ πλοῖα ἱκανὰ εὐτρεπίσαι κελεύω. ταῦτα μὲν οἶμαι δεῖν ὑπάρχειν ἐπὶ τὰς ἐξαίφνης ταύτας ἀπὸ τῆς 9
ἀκείας χώρας αὐτῷ στρατείας εἰς Πύλας καὶ Χερρόνησον

γάλλεσθαι καὶ ἀντὶ τοῦ περιστάττειν ἢ αἰτιᾶσθαι, ὡς παρὰ Δημοσθένει ἐν τῷ περὶ τῆς παραπρεσβείας. Etymolog. M. ἐπαγγεῖλαι καὶ ἐπαγγελία σημαίνει μὲν καὶ ἄλλα, ἴδιος δὲ λέγεται ἐπὶ προφερομένου καὶ δημηγοροῦντος οὐκ ἐξὸν καὶ ἐπάγγελλε, παρακελεύεται, προτείνοντι. λέγεται καὶ ἐπιθυμοῦς, καὶ ἐπαγγέλλεσθαι λέγεται τὸ καλεῖσθαι ἢ καταγγέλλειν. Apparet ex his, ea, quam Rüdiger hoc loco aptam putavit, significatione nominis activum ἐπαγγέλλειν adhiberi, activum autem et medium significatione προτείνειν, καλεῖν. Neutra autem hoc loco apta. Taylor, qui varias hujus verbi significationes accurate explicat ad orationem de falsa legat. p. 293. vol. ii. Nostr. Ed., ait, hic significare *operis formam proponere, rem seu argumentum delineare et rationem instituere ejus, quod esset exsequendum*: quam significationem quo magis commendet, legendum conjicit ἄλλο pro ἄλλος, quod vel molestus hiatus dissuadet, ut nil dicam de separatione ἄλλο — τι. Mihi quidem ἐπαγγέλλεται et ὑπόσχεσις consulto videntur opposita. Ut enim jam veteres Grammatici notarunt, ὑπισχνεῖσθαι est polliceri, quod præstare velis et possis; ἐπαγγέλλεσθαι promittere, quod præstare non possis, sive vanitate ductum, seu lucri studio, seu alia causa. εἴ τις ἄλλος ἐπαγγέλλεταί τι est igitur 'si quis alius vana et magnifica promittit;' ὑπόσχεσις contra ejus est, qui, quæ conducunt et fieri possunt, promittit. Rehm.

Οὕτω μεγάλα] Τηλικαῦτα. Wolf. i. e. ut vix exsolvi promissum possit. cfr. de Coron. §. ρά. εἰ δ' ἅπ' ἴσχυσιν οὕτως ἀνάντως. Rüdig.

Τὸ δὲ πρᾶγμα] *Res* appellat explicationem consilii sui. Wolf. Metaphora hæc a re forensi desumta, in qua πρᾶγμα ipsa est causa, de qua agitur, ἔλεγχος argumentum causæ. Cfr. de Coron. ξς'. τοὺς ὑπὲρ αὐτὰ τὰ πράγματα ἐλέγχους φυγών. Rüdig.

Τὸν ἔλεγχον δώσει] Ἐλεγχθήσεται, γνωσθήσεται. πάντων ἀληθὲς ἡ ὑποσχεσις αὐτὸ δείξει. Wolf.

Κριταὶ — ἔσεσθε] Κρινῆτε. Idem.

ζ. Εἶτ' αὐτοὺς] Verba sic ordina: οἶμαι φαμι δεῖν αὐτοὺς (ἡμᾶς τοὺς Ἀθηναίους) ἔχειν οὕτω (τοιαύτας) τὰς γνώμας (alias οὕτω γνώμας ἔχειν cum genitivo) ὡς αὐτοῖς ἐμβᾶσιν εἰς ταύτας (τὰς τριήρεις) πλευστέον (ἐστὶ) ἐάν τι δέῃ. Idem. De Class. §. ί. οὕτω διανεῖσθαι τὰς γνώμας ὑμᾶς. Rüdig.

Ἡμίσεσι τῶν ἱππ.] *Dimidiæ equitum partis*. Xen. Cyr. II. 3, 17. ἡμίσεις τῶν ἀνδρῶν. vid. Wolf. ad Lept. §. γ'. Hoogev. ad Vig. p. 99. Idem.

Ἱππαγωγούς, τριήρεις, καὶ πλοῖα ἱκανὰ] Ita distinguit Laz. Bayfius in libro de re navali. V. Robortelli Emendat, i. 2. Taylor. Casaubon. ad hanc vocem in Equit. Aristoph. "Naves Græcorum varie nominantur: fere a mensura, quam capiunt, ut Chiliagogi, Myriagogi: vel a re, qui sunt destinatæ, ut σιταγωγοί, quæ deferunt τὸν σῖτον, i. e. *frumentum*. Sic et illæ naves quibus utebantur in transvehendis equis, quibus postea utebantur in terra, Gr. Ἱππαγωγοί, Lat. *Hippagines*. Mount. Cf. Thuc. ii. 56. iv. 42. vi. 43. Herod. vi. 48.

Κελεύω] *Hortor*; sæpe cum φημὶ et οἶμαι permutatur, apud Xen. Cyr. V. 2, 15. cum δοκεῖ. Suid. s. h. v. Wessel. ad Herod. III. 36. Rüdig.

Πύλας] Pylæ, sive Thermopylæ: transitus sexaginta passuum latitudinis, inter Phocidem ac Thessaliam. Varii lacus, sicut etiam Mare Locrense, et mons Œta, hasce angustias impediebant; quas Philippus appellavit *Clasem Græciæ*. Phocenses, ut munimentum adversus Thessalos, hostes ipsorum implacabiles, haud difficulter custodiendum possiderent, murum ædificarunt ad Thermopylas, qua solum ex Thessalia in Phocidem patet introitus. Hiatus qui in hoc muro factus erant, ne viam prorsus obstrueret, appellabatur Πύλαι, *Portæ*; cui voci addita est v. Θερμαί, *calidæ*, propter calida quædam, quæ circa eum locum erant, la-

ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, λέγειν, ἐπισχὼν ἂν ἕως οἱ πλεῖστοι
3 τῶν εἰωθότων γνώμην ἀπεφήναντο, εἰ μὲν ἤρεσκέ τί μοι τῶν ὑπὸ τούτων ῥηθέντων, ἡσυχίαν ἂν ἦγον, εἰ δὲ μή, τότ' ἂν καὶ αὐτὸς ἐπειρώμην ἃ γιγνώσκω λέγειν· ἐπειδὴ δὲ περὶ ὧν πολλάκις εἰρήκασιν οὗτοι πρότερον, συμβαίνει καὶ νυνὶ σκοπεῖν, ἡγοῦμαι καὶ πρῶτος ἀναστὰς εἰκότως ἂν συγγνώμης τυγχάνειν. εἰ γὰρ ἐκ τοῦ παρεληλυθότος χρόνου τὰ δέοντα οὗτοι συνεβούλευσαν, οὐδὲν ἂν ὑμᾶς νῦν ἔδει βουλεύεσθαι.

Β'. Πρῶτον μὲν οὖν οὐκ ἀθυμητέον, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι,

Ἐπισχὼν ἄν] Scilicet ἐμαυτὸν, καίτοι ἐπιθυμῶν τὰ συμφέροντα τῇ πόλει λέγειν. Idem.

Οἱ πλεῖστοι] Σωφροσύνης ἐνδεικτικὸν οὐχὶ δὴ εἷς μόνος, ἢ δύο, ἢ τρεῖς. Si qua nova res ageretur, non modo non primus verba facerem, sed in postremis potius. Idem.

Τῶν εἰωθότων] Scilicet λέγειν, ἢ γνώμην ἀποφαίνεσθαι, τουτέστι, τῶν πρεσβυτέρων καὶ ἐνδοξοτέρων ἀνδρῶν. Idem.

Ἕως οἱ πλεῖστοι τῶν εἰωθότων] Lege Solonis cautum erat, ut inter oratores, seniores sententiam priores dicerent. Lex autem illa abrogata fuisse dicitur 57 annis antequam habita fuerit hæc oratio. Decori tamen ratione mos adhuc viguit. Propterea Demosthenes excusationem hanc callidam profert. *Ex edit.* Stock.

Εἰωθότων] Videtur decem illos innuere oratores, qui electi erant, ut, si qua res in deliberationem caderet, coram senatu verba facerent: vocabantur *συνήγοροι*: quibus non ante annum quadragesimum aut trigesimum causas dicere licuit. Vid. Schol. ad Aristoph. Vesp. 464. Lucches. ad or. d. Class. not. B. Rüdig.

Τότ' ἂν αὐτὸς ἐπειρώμην] Observetur modestia verborum. Wolf.

Ἃ γιγνώσκω] Οὐχ ἃ οἶδα, ἀλλ' ἃ συμφέρειν ὑπολαμβάνω: ἐπειρώμην ἂν γνώμην ἀποφαίνεσθαι. Idem.

Οὗτοι πρότερον] Οἱ εἰωθότες λέγειν. Idem.

Καὶ νυνὶ] Νυνὶ ipsum tempus præsentissimum significat, quum νῦν sit trium temporum. Etym. M. p. 608, 44. male Viger. p. 426. docet, νυνὶ nil deferre a νῦν. cf. Olynth. I. (III.) §. 4. Rüdig.

Καὶ πρῶτος ἀναστὰς] Εἰ καὶ πρῶτος ἀνέστην, ἢ, τοῦ πρῶτος ἀναστῆναι, καὶ παρεῖναι ἐπὶ τὸ βῆμα. Wolf.

Καὶ πρῶτος] Legem, quam Æschin. l. l. desuetudine abrogatam dicit, ante violat. Rüdig.

Εἰκότως συγγνώμης τυγχάνειν] Scilicet ὑμᾶς ἐμοὶ δικαίως ἂν συγγνώμην νέμειν. Wolf.

Ἐκ τοῦ παρεληλυθότος] Ἐν τῷ παρελθόντι χρόνῳ. Eandem formulam paulo post repetet. Idem.

Εἰ γὰρ ἐκ τοῦ] i. e. *inde a tempore superiore et per illud.* cf. §. Β'. et Or. in Newer. p. 1360, 22. ed. R. καὶ ἐκ τοῦ λοιποῦ χρόνου φίλους εἶναι ἀλλήλοις. Rüdig.

Τὰ δέοντα οὗτοι] ἐν τῇ πόλει δηλ., καὶ ἃ τοῖς πράγμασι συμφέρει. Wolf.

Οὗτοι συνεβούλευσαν] Pro οὗτοι αὐτοὶ et pro *συνεβούλευσαν συνεβούλευον*: secuti Wolf. et Auger. Sed illud non recepi, quum orator videatur οὗτοι repetere, ut pungat illos, et *imperf.* non convenit, nam dicere vult: *si consuluissent*, ut Olynth. I. (III.) §. Γ'. εἰ — ἐβουθήσαμεν, quare lect. vulg. tuitus sum. Rüdig.

Β'. Πρῶτον μὲν οὖν] Duæ sunt præcipuæ hujus orationis partes: quarum altera, principio et fine tractatur, adhortatione constans, ad rem magnis animis et strenue contra Philippum gerendam, multis reprehensionibus cessationis perniciosæ, et desperationis indignæ tanta republica, admistis: altera in medio adhortationum posita, rationem instructionis et apparatus bellici continet: quæ fere difficillima consiliorum pars est, quod tum usum rerum non vulgarem, tum hominum, locorum, temporum, facultatum ab omni parte cognitionem exquisitam, tum ingenii maximum acumen postulat. Ut enim quisque maxime non modo perspicit, quid in re quaque verissimum sit: sed et acutissime et celerrime potest et videre et explicare rationem, hoc est, τὸν τρόπον τοῦ διαπράξασθαι τὰ δέοντα, καὶ μετ' ἐλλόγων αἰτιολογεῖν: is prudentissimus et sapientissimus rite haberi solet. Cic. 1. de officiis. Wolf.

Οὐκ ἀθυμητέον τοῖς παροῦσι πράγμασι] Διὰ τὸ καιρὸς φέρεσθαι ὑμᾶς τῷ πρὸς Φίλιππον πολέμῳ, κατορθοῦντα τὰ πολλά. pro-

τοῖς παροῦσι πράγμασιν, οὐδ' εἰ πάνυ φαύλως ἔχειν δοκεῖ. ὃ γάρ ἐστι χείριστον αὐτῶν ἐκ τοῦ παρεληλυθότος χρόνου, τοῦτο πρὸς τὰ μέλλοντα βέλτιστον ὑπάρχει. τί οὖν ἐστι τοῦτο; ὅτι οὐδέν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τῶν δεόντων ποιοῦντων ὑμῶν κακῶς τὰ πράγματα ἔχει, ἐπεί τοί γε εἰ πάνθ' ἃ προσῆκε πραττόντων οὕτως εἶχεν, οὐδ' ἂν ἐλπὶς ἦν αὐτὰ βελτίω γενέσθαι. ἔπειτα ἐνθυμητέον καὶ παρ' ἄλλων ἀκούουσι καὶ τοῖς εἰδόσιν αὐτοῖς ἀναμιμνησκομένοις, ἡλίκην ποτ' ἐχόντων δύναμιν Λακεδαιμονίων, ἐξ οὗ χρόνος οὐ πο-

positio prior. IDEM. *Παροῦσι πράγμασι* Lacobenius refert ad Pydnam, Potidæam, Methonen aliasque urbes, quas Philippus ademerat, auctore Æschine de fals. leg. §. xv. RÜDIG.

Ἔχειν δοκεῖ] Scilicet *τοῖς τὰ μὲν ἐκβάντα θεωροῦσι, τὰς δὲ τούτων αἰτίας οὐκ ἐπισκεπτομένοις.* Ita significat, res ipsas, id est, fortunam Atheniensium, non esse malas, sed videri. Fortunatis non est desperandum. At inquiunt Athenienses, nos calamitosi sumus, rebus toties male gestis? Refutatio translatione a fortuna in ignaviam, constat, adjecta concessione, Si fanoti hactenus essent officio, non injustam desperationis causam habituros. WOLF.

Ὃ γάρ ἐστι χείριστον αὐτῶν] *Τῶν πραγμάτων, ἢ τῶν πράγμασι.* Quid autem illud est? ipsa calamitatum causa, imprudentia et cessatio: qua sublata tolletur effectus, ipsæ calamitates. IDEM. Cf. Procem. xv. et Phil. III. §. β'.

Οὐδὲν τῶν δεόντων] Mitigari potest acerbitas generalis sententiæ, addito *προσδιορισμῷ* e 2. Olynthiaca [§. 4. med.] *μηδὲν ποιούντων, ἂν τοῖς πολεμοῦσι προσῇκε.* IDEM.

Ἔστι τοί γε, si] *Nam profecto, si.* Vid. Hoogev. de Part. Gr. p. 287. Zeun. ad Vig. 403. RÜDIG.

Πραττόντων] Scilicet *ὑμῶν, μᾶλλον δὲ ἡμῶν.* Sic enim mitigatur acerbitas reprehensionis *εἰ ἐκπέπτωκε, ἡ, εἰ ἐκπέπτωμεν.* Observa synonymiam: *πολῶν τὰ δέοντα*, et *πράττειν ἃ προσῆκεν.* WOLF.

Οὕτως εἶχεν] *Ὡσαυτῳ ἔχει, φαύλως διακεῖται.* IDEM.

Ἔστιν ἐνθυμητέον] Primum argumentum a spe fortunæ melioris sumptum, quia parum firmum est (Quid enim spes est, nisi vigilantis somnium?), exemplis Atheniensium et Philippi confirmatur: qui et Lacedæmonios potentissimos vicerint, et ab hoste imbecilli, cum ipsi potentissimi essent, sint superati. Quod

quidem terrorem augere posset, nisi causa eventus consideraretur. Nam si Philippus, tum infirmus, Athenienses potentissimos superavit; quid nunc fiet, illo potentissimo, his infirmissimis? IDEM.

Ἔστιν ἐνθυμητέον] *Illud considerandum, quod et ab aliis audiistis et ipsi nostis, si in memoriam revocatis.* RÜDIG.

Ἡλίκην ποτ' ἐχόντων] Isocrates Areopagitico: *λαβόντες καὶ τὴν κατὰ γῆν καὶ τὴν κατὰ θάλασσαν ἀρχήν.* WOLF.

Ἡλίκην ποτ' ἐχόντων δύναμιν Λακεδαιμονίων] Bellum quod et hic et in aliis locis Demosthenes magnifice prædicat, situm est Olympiadis centesimæ anno quarto, hoc est viginti quatuor annis citeriter, ante hanc orationem. Historia hæc est. Lacedæmonii, victa apud Cnidum eorum classe, et pace exinde facta, superbire tamen et civitates Græciæ injuriis afficere haud cessant. Cadmæam occupabant Thebanorum arcem, horum multis patriæ privatis. Exsules autem revertuntur et auxiliantibus sibi Atheniensibus, Lacedæmonios ejiciant. Exinde Thebani exercitum ingentem conflant. Athenienses, ut inimicos veteres et imperii æmulos frangerent, primas sibi belli partes sumunt. Legatos mittunt ad civitates Lacedæmoni subjectas, qui hortentur ut communis libertatis asserendæ occasionem amplectantur. Deficiunt itaque Chii, Byzantini, Mitylenii, aliique. Sub hoc tempus Sphodrias, Lacedæmoniorum jussu, Piræeum nocte tentat: unde novam belli occasionem sumsit Athenienses; quod iis prospere cessit.——Consulat Lector eruditus Xenoph. lib. 5. [c. 3. et 4.] et Diodor. lib. 15. [c. 35.] *Tourtell.* STOCK. Et Diod. l. 11. Corn. Nep. in Vit. Conon. Xenoph. Rer. Hell. l. 4. Justin. l. 6. Aristid. Or. 2. de Soc. et in Panathen. Demosth. Phil. 3.

Ἐξ οὗ χρόνος οὐ πολύς] *Ἔστιν, ἡ, διαλύθη, non ita olim: οὐ πρὸ πολλοῦ χρόνου.* WOLF.

λθς, ὡς καλῶς καὶ προσηκόντως οὐδὲν ἀνάξιον ὑμεῖς ἐπράξατε τῆς πόλεως, ἀλλ' ὑπεμείνατε ὑπὲρ τῶν Ἑλληνικῶν δικαίων τὸν πρὸς ἐκείνους πόλεμον. τίνος οὖν ἕνεκα ταῦτα 41
λέγω; ἵν' εἰδῆτε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καὶ θεάσησθε ὅτι

Ὡς καλῶς] Honestum enim est defendere Græciæ libertatem contra tyrannos: et si ea defensio ejusmodi fult, ut si quis secum in libertatem assertum sibi servire cogeret. Tales enim Græcorum fuisse patronos tam Athenienses quam Lacedæmonios, passim docet Isocrates. IDEM.

Προσηκόντως] Ut qui et principes Græcorum ab antiquissimis temporibus fuerint, et urbem suam tanquam asylum patere calamitosis semper voluerint. IDEM.

Οὐδὲν ἀνάξιον] Sive metu consternati cessissent Lacedæmonii; sive largitionibus corrupti Græcos deseruissent. IDEM.

Τινὸς τῶν Ἑλληνικῶν δικαίων] Rüdiger uncis inclusit Ἑλληνικῶν, quod abest a multis codd. Sed quum ut pauci, ita præstantissimi codd. id teneant, nequaquam abjiciendum est, quum τὰ Ἑλληνικὰ δίκαια in hac re quasi terminus quidam technicus sit, obvius etiam Olynth. II. §. ά. qd quem locum Scholiastes monet, bellum illud vocari τὸν πόλεμον τὸν ὑπὲρ τῶν Ἑλληνικῶν δικαίων. Phil. II. §. β'. med. appellantur τὰ κοινὰ δίκαια τῶν Ἑλλήνων. Eadem περὶ Ῥοδίων ἐλευθ. §. γ'. opponuntur τοῖς ἰδίοις δικαίοις. Etiam aliis substantivis Ἑλληνικὸς similiter jungitur, ut Ἑλληνικαὶ πράξεις de Cor. §. ιά. ἵν τε τοῖς κατὰ τὴν πόλιν πολιτεύμασι καὶ ἐν τοῖς Ἑλληνικοῖς. Ibid. §. λά. BREM.

Εἰδῆτε καὶ θεάσησθε] Hæc sine sensus discrimine dicuntur. Nam qui, ut res aliqua mentibus infixa hæreat, volunt, vel binis verbis eam exprimere solent. Hom. Od. VIII. 94. ἐπιφράσατ' ἠδὲ νόησον. 134. οἶδε καὶ δείδηκε. vid. Eust. ad h. l. Soph. Œd. T. 58. γνωτὰ κοὐκ ἄγνωτα. Eur. Suppl. v. 115. Electr. 772. Demosth. Olynth. I. (III.) §. ζ'. καδιδῶτε καὶ φοσεδρεύσω. Olynth. II. (I.) §. ά. δαιμονία καὶ δεινὰ εἰεργασία. Vid. Hermann. ad Hom. h. in Cer. 362. RÜDIG. Vere monet Rüdiger, eos, qui velint, ut res aliqua mentibus infixa hæreat, vel binis verbis eam exprimere. Ex Demosthenis usu loquendi hoc aliquanto accuratius et per partes explicemus. Istam synonymorum conjunctionem Demosthenes præcipue amat in notione *cognoscendi, perpendendi, tenendi*, omnino eorum, quæ mentis agitationem spectant, sive vocabulorum alterum a sensu externo petitum sit, sive utrumque ad internum pertineat. P. 19. l. 23. ed. R. θεωρῶν καὶ σκοπῶν εἰρήσω. p. 122. l. 3. λογίζεσθε δὲ πρὸς θεῶν καὶ θεωρεῖτε παρ' ὑμῖν αὐτούς. p. 43. l. 25. ὡς ἐγνωκότων ὑμῶν καὶ πεπεισμένων. Etiam substantiva sic junguntur. p. 124. l. 18. Τῷ λογισμῷ καὶ τῇ διανοίᾳ. p. 21. l. 24. πολλὴν δὲ τὴν μετάστασιν καὶ μεγάλην διαπτόην τὴν μεταβολὴν· ubi Ulpianus absurde μετάστασιν interpretatur τὸ ἀπὸ Ἀθηνῶν εἰς Ὄλυνθον ἰλθεῖν συμμάχους, Reiskius perperam καὶ μεγάλην τὴν μεταβολὴν ut glossam rejicit. Mutationis notio primaria est; hinc junguntur synonyma. Notandum etiam hoc, quod Demosthenes, si allocutio adest, eam solet utrique interponere, ut nostro loco. p. 13. l. 7. ἵνα γνῶτε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καὶ αἰσθησθε. p. 12. l. 23. Ἀρά γε λογίζεταί τις ὑμῶν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καὶ θεωρεῖ τὸν τρόπον. Κατὰ Ἀριστοκρ. p. 629. l. 25. ed. R. σκέψασθε δή, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καὶ διαφέρατε. Raro vocativum postponit, ut p. 94. l. 6. ἀφ' ὁρᾶτε καὶ λογίζεσθε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τὴν ἐκατέρου ἅρπαν τοῦ ἔτους, et hic quidem recte propter objecti amplitudinem.—Alterum est genus conjunctionis, quum utrumque vocabulum notione quidem cognatum sit, prioris vero significatio latius pateat, et posteriore definiatur. Locus est a nonnullis interpretibus vexatus p. 10. l. 2. sqq. ed. R. ἐστι μάλιστα τοῦτο δίκης, μὰ σωφρόνως ὀργὴν καὶ δυσὶ ἀνθρώποις πράγμασι χρῆσθαι, τὰ μὲν εἰκῇ, ἐκὶν ἀν τύχῃ, τὰ δ' ἀκριβῶς —— τὰ δ' ἡμᾶς διαβάλλειν καὶ τὴν ἀκουσίαν τὴν ἡμετέραν, τρίψεται καὶ παρασκάπτεταί τι τῶν ὅλων πραγμάτων. Reiske dedit e conjectura δρίψεται pro τρίψεται, eamque secutus est vir elegantis judicii Fr. Jacobs, vertens: "*Wir haben nichts so sehr zu fürchten, als dass dieser verschlagene Mann —— —— vor uns her ernte und die Umstände zu seinem Vortheil kehre.*" Quæ quidem mutatio lenis est, sed minime vera videtur. Δρίπτεσθαι enim verbum est, quod a Demosthene neque propria neque tropica significatione usquam adhibetur: id quod grave est in nostro scriptore. Nam vocabula et phrases, quæ similia sunt hujus δρίπτεσθαι, non semel sed sæpius ab eo adhiberi solent, et, qua tropica significatione aliquando usus est, in ea usurpanda sibi placet. Porro quæritur, num, si vocabulo δρίπτεσθαι Demosthenes usus fuisset, huic παρασκάπτεσθαι adjunxisset. Non credo equidem. Quid enim utriusque notioni commune? At contra lectio vulgaris prorsus est ex more Demosthenis. Sæpe

οὐδὲν οὔτε φυλαττομένοις ὑμῖν ἐστὶ φοβερὸν οὔτ', ἂν ὀλιγωρῆτε, τοιοῦτον οἷον ἂν ὑμεῖς βούλησθε, παραδείγμασι χρώ- 4
μενοι τῇ τότε ῥώμῃ τῶν Λακεδαιμονίων, ἧς ἐκρατεῖτε ἐκ τοῦ προσέχειν τοῖς πράγμασι τὸν νοῦν, καὶ τῇ νῦν ὕβρει τούτου, δι' ἣν ταραττόμεθα ἐκ τοῦ μηδὲν φροντίζειν ὧν ἐχρῆν.

enim apud eum præcedit vocabulum, quod dicunt, generis, sequitur partis seu speciei, rem accuratius definiat. Sic τρέπεσθαι in genere est *convertere*, et ut generalis hæc significatio perperam non possit intelligi, additur παρασπᾶσθαι: quod est *in damnum nostrum ad se rapere*. Exempla quædam similia adjiciamus. P. 123. l. 13. οὐδὲν ἡγοῦμαι πλέον ἢ τὰ τοῦ πολέμου κτᾶσθαι καὶ ἐπιδιδόναι. Κτᾶσθαι, ut τρέπεσθαι, quamvis mutationem significat; sed ea per ἐπιδιδόναι in bonam partem definitur, ut τρέπεσθαι in malam per παρασπᾶσθαι. p. 95. l. 23. αἰτιᾶσθαι καὶ διαβάλλειν, ut p. 110. l. pen. αἰτιώμενοι καὶ διαβάλλοντες. p. 98. l. 21. φάσκειν καὶ ὁμολογεῖν. p. 100. l. 3. ἕξει πάντα καὶ διαφέρεται πρὸς ὑμᾶς, cum quo πρὶ Συμμορ. p. 181. l. 18. comparandum est ἕξει καὶ διάκεινται. Multis in ejusmodi locis καὶ reddi potest *et quidem*. Sic etiam substantiva junguntur. P. 23. l. 25. δείγματα τῆς ἐκείνου γνώμης καὶ κακοδαιμονίας. Κακοδαιμονία significat, qualis illa γνώμη fuerit, scilicet quasi a malo quodam genio injecta. p. 100. l. 13. τῆς πολιτείας καὶ τῆς δημοκρατίας, ut attentio moveatur. p. 119. l. 14. sqq. κύριος δὲ Πυλῶν καὶ τῶν ἐπὶ τοὺς Ἕλληνας, καὶ φρουραῖς καὶ ξένοις τοὺς τόπους τούτους κατέχει.—Quamquam autem in vocabulis cognatæ significationis tum apud oeteros scriptores, tum apud Demosthenem a minore ad majus progressio fiat, nonnunquam tamen noster a majore recedit ad minus. P. 119. l. 1. sqq. εἰ δέ γε δεῖλος ἢ ὑποδολιμαῖος τὰ μὲν προσήκοντα ἀπώλλυε καὶ ἐλυμαίνετο, Ἡράκλεις ὅσῳ μᾶλλον δεινὸν καὶ ὀργῆς ἄξιον πάντες ἂν ἔφασαν εἶναι! Fortius præcedit, quoniam Demosthenes significare vult, id ipsum cadere in Philippum, quamquam ne alterum quidem, etsi mitius, tolerabile foret. Nos non uteremur particula καὶ sed ἢ καὶ, *oder auch nur*, Eodem modo p. 121. l. 6. ἀντιτιθῶνται δὲ ἀντὶ τούτων, ὑφ' ὧν ἀπώλοντο καὶ νενίκηνται ὑπὸ Ἑλλάς. Reiskius, his locis non offensus, mutavit, ubi caussa non erat, v. c. de Cor. p. 286. l. 18. sqq. τί οὖν βούλεται (ὁ Φίλιππος), καὶ τίνος ἕνεκα τὴν Ἑλάτειαν κατείληφε; πλησίον δύναμιν δείξας καὶ παρεσκευάσας τὰ ὅπλα, τοὺς μὲν ἑαυτοῦ φίλους ἐπᾶραι καὶ θρασεῖς ποιῆσαι. Vulgo, quod recte revocavit Bekkerus, θρασεῖς ποιῆσαι καὶ ἐπᾶραι. Nonnunquam etiam particulam ἢ eadem vi ponit, v. c. p. 36. l. 1. ὁμοίως ἢ παρασκλησίως. περὶ Παραπρεσβείας p. 439. l. 20. ἆρά γε ἧσσον ἢ παρακλήσια τούτοις; Hinc fit, ut posterius vocabulum diversæ significationis multifariam prius definiat, sive causam hujus indicans, sive viam et rationem. P. 98. l. 10. sqq. νῦν δὲ δημαγωγοῦντες ὑμᾶς —— οὕτω διατεθείκασιν, ὥστ' ἐν μὲν ταῖς ἐκκλησίαις τετυφῶν καὶ κολακεύεσθαι πάντα πρὸς ἡδονὴν ἀκούοντας, ἐν δὲ τοῖς πράγμασι καὶ γιγνομένοις περὶ τῶν ἰσχάτων ἤδη κινδύνων. i. e. ferocire *propter* adulationes. p. 126. l. 22. τῶν δὲ πολλῶν εἴ τις αἰσθοῖτο, ἰσχνὰ καὶ κατεσπίλωτο, *tacebat metu* perculsus. περὶ Παραπρεσβ. p. 391. l. 18. sqq. οὗτοι δ' ἐχαλίζοντο πάντ', ἐνδεικνύμενοι καὶ ὑπερκολακεύοντες αὐτόν. adulationibus sese insinuantes. BREM.

Τοιοῦτον] Pro τοιοῦτο, ad quod audiendum ἐστὶ quod præcessit. Mox post τῇ addidi juxta Reiskii mentem τε, quod mihi visum fuit excidisse, et esse necessarium si non ad sensum, at saltem ad conficiendam phrasim Demosthenicam. Auger.

Ἧς ἐκρατεῖτε] Prospere hoc bellum cessit Atheniensibus. Iphicrates et Callias Lacedæmonios ad Corinthum superarunt. Deinde Chabrias Polim eorum ducem vicit navali prælio inter Naxum et Parum. [Id prælium maxime Athenienses erexit, et Chabriæ nomen, itemque Phocionis illustravit. Vicit etiam Agesilaum regem Lacedæmoniorum in Bœotia.] Haud multum post Timotheus Corcyram occupavit: sequente etiam anno Lacedæmonios ad Leucadem profligavit. Diod. lib. xv. Xenoph. lib. v. Aristid. in Panathen. *Tourrell.* Eodem anno Thebani Lacedæmonios ad Orchomenum profligarunt. Diod. ibid. Sigon. in temp. Athen. Mount.

Ἐκ τοῦ προσέχειν — τὸν νοῦν] Præp. *in* causam efficientem indicat. ofr. §. ιδ. τὰ δὲ πράγματα ἐν τούτοις ἀπώλοντο. Thuc. I. 2. ἐξ ὧν ἐφθείροντο. Matth. Gr. gr. §. 574. πράγματα quæ sint, vid. ad Liban. Arg. §. 3. Præter ea, quæ ad §. β'. notantur, etiam Timotheus Cl. CI. 1. ad Leucadem Lacedæmoniorum naves disjecit et anno 4. Corcyra illos expulit. Rüdig.

Τούτου] Vide quanto cum contemptu de

γ'. Εἰ δέ τις ὑμῶν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, δυσπολίμητον οἴεται τὸν Φίλιππον εἶναι, σκοπῶν τό τε πλῆθος τῆς νῦν ὑπαρχούσης αὐτῷ δυνάμεως καὶ τὸ τὰ [1] χωρία πάντα ἀπολωλέναι τῇ πόλει, ὀρθῶς μὲν οἴεται, λογισάσθω μέντοι τοῦθ', ὅτι εἴχομέν ποτε ἡμεῖς, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, Πύδναν καὶ Ποτίδαιαν καὶ Μεθώνην καὶ πάντα τὸν τόπον τοῦτον

[1] *χωρία ταῦτα πάντα*

Philippo loquitur: alibi passim cum *Δημοσθένης*, regem vix semel quidem appellat. Infra §. δ. dicit, *γένοιτο γὰρ*, &c. *Μακεδὼν ἀνήρ*; in Orat. de Coron. [§. κδ'.] *τῷ μὲν ἐν Πέλλῃ τραφέντι*. In Philippica autem tertia [§. ζ'.] contumeliosius adhuc eum tractat: verba hæc sunt. *Φιλίππου*, &c. *οὐ μόνον οὐχ Ἕλλησ ὄντος, οὐδὲ προσήκοντος οὐδὲν τοῖς Ἕλλησιν, ἀλλ' οὐδὲ βαρβάρου ἐντεῦθεν ὄθεν καλὸν εἶναι ἦν, ἀλλ' ὁλέθρου Μακεδόνος, ὅθεν οὐδ' ἀνδράποδον σπουδαῖον οὐδὲν ἦν ᾠρέσθαι πρίασθαι.* Mount.

Τούτου] *Istius*, i. e. Philippi. Οὗτος Græco sermone sicut *iste* Latino, vulgo, dicitur de eo quem petimus, contra quem loquimur. Auger.

Τῇ νῦν ὕβρει τούτου] Hæc insolentia qualis fuerit, exponit §. γ'. adde §. δ'. dicit *τούτου* contemtim: nam hoc pronomen contemtus notionem innuit, ut §. ϛ. *ἐκείνου*. *ταύτας δυνάμεις*. Or. p. Megal. 203, 1. *Θετταλικὴ τοιαυτί*. Plat. Crit. 4. *τούτους τοὺς συκοφάντας*. Rüdig.

γ'. *Εἰ δέ τις ὑμῶν*] Occupatio. Potentiam Philippi non esse extimescendam. Ratio ab ipsius hostis exemplo: quod is, cum vires Atheniensium non reformidasset, rem suam bene gesserit. Quas autem cogitationes Philippo tribuit: iisdem uti jubet Athenienses. Wolf.

Σκοπῶν τό τε πλῆθος] Philippus eo tempore 20000 pedites, equites 3000 habuit; ingentem sane exercitum, si Græcorum exercitibus eum conferas. Notum est Athenienses ad Marathonem 10000 milites, plures nunquam in pugnam eduxisse. *Tourrell.* Stock.

Τὰ χωρία] *Τὰ ὁρμητήρια καὶ ἐπιτηδεύσαντα*, opportuna loca ad vim tam inferendam tum propulsandam: quorum quædam hic attinguntur, cum plura sint 1. Olynthiaca exposita. Wolf.

Δεγισ. μέντοι] Particulam *μὲν* excipit δὲ, quum non copulandi, sed potius *adversandi* particula requiratur: cæterum *μέντοι* in se habet δὲ, ut *εἶτα* Olynth. II. (I.) §. 4. Cfr. Hoogev. Part. Gr. p. 477. Herm: ad Vig. 842. Rüdig.

Πύδναν, καὶ Ποτίδαιαν, καὶ Μεθώνην] [Pydna, Macedoniæ urbs, quæ postea *Citrum*, ut Strabo, sive, ut Livius habet, *Citium*, vocabatur. Potidæa, Thraciæ urbs, quæ postea *Cassandria*, in confinio Macedoniæ sita, in Isthmo peninsulæ Pallenes, atque sexaginta stadiis dissita ab Olyntho: Corinthiorum fuit colonia. Vide Schol. ad Aristoph. in Equit. et Thucyd. lib. i. Ad opposita sinus Thermaici litora sitæ erant hæ duæ urbes; unde maximi erant Atheniensibus momenti. Utramque Philippus ceperat, ut et Amphipolim, Olymp. 105. ann. 3. Methone (ea scilicet de qua hic Demosthenes) Thraciæ urbs fuit, quadraginta stadiis ab Olyntho distans; quam cum obsideret Philippus, in præteruntem de muris sagitta ab Astere quodam Amphipolitano jacta dextram ejus oculum effodit. Sagittæ inscriptum fuisse traditur: *Ἀστὴρ Φιλίππῳ δωδέκατον πήματι βάλλει.* Vid. Schol. ad Olynth. iii. §. γ'. Lucianus in lib. De scrib. Hist. in Olyntho id contigisse refert. Stephanus Byzantinus, ut et Maussacus ad Harpocrationem, quinque Methenas numerat: aliam Thraciæ, aliam Laconicæ, aliam Macedoniæ, aliam Persidos, quintam vero Euboeæ. Ad quamnam harum Philippus oculum amisit, inter auctores haud consensum est: nos vero Diod. Strab. Harpocrat. et Suidam sequimur. Obsidionem ad tempus tulerunt oppidani, tandem deditionem facere coacti sunt, ea lege ut cives singuli ex urbe cum veste excederent; eam Philippus solo æquavit, agrumque Macedoniæ attribuit. Hanc urbem Philippus cepit, Pagasas etiam (quas Pagas appellat Diodorus) imperio suo addidit Olymp. CVI. ann. 3. Vid. Diod. lib. xvi. [31.] Strab. lib. vii. [fin.] Justin. lib. vii. sub fin. [Polyæn. IV. 2.] Eustath. ad hunc versum in Il. B. [v. 716.]

Οἱ δ' ἄρα Μεθώνην, καὶ Θαυμακίην ἐνέμοντο,

et Palmerii Exercitationes ad Lucianum p. 557.] Athenienses, post victorias Salaminiam atque Marathoniam, non solum Græciæ imperio potiti sunt; verum etiam plures versus Thraciam, nonnullas in ipsa Thracia, urbes cepere: hæ vero, postquam Lacedæmonii, sub fine belli Peloponnesiaci, Athenarum potentiam evertissent, jugum exsuere. Timotheus, re-

οἰκεῖον κύκλῳ, καὶ πολλὰ τῶν μετ' ἐκείνου νῦν ὄντων ἐθνῶν αὐτονομούμενα καὶ ἐλεύθερα ὑπῆρχε, καὶ μᾶλλον ἡμῖν ἐβούλετ', ἔχειν οἰκείως ἢ ἐκείνῳ. εἰ τοίνυν ὁ Φίλιππος τότε ταύτην ἔσχε τὴν γνώμην, ὡς χαλεπὸν πολεμεῖν ἐστὶν [1] Ἀθηναίοις ἔχουσι [2] τοσαῦτα ἐπιτειχίσματα τῆς αὐτοῦ χώρας ἔρημον ὄντα συμμάχων, οὐδὲν ἂν ὧν νυνὶ πεποίηκεν ἔπραξεν, οὐδὲ τοσαύτην ἐκτήσατ' ἂν δύναμιν. ἀλλ' οἶδεν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῦτο καλῶς ἐκεῖνος, ὅτι ταῦτα μέν ἐστιν ἅπαντα τὰ χωρία ἄθλα τοῦ πολέμου κείμενα ἐν μέσῳ, φύσει δ' ὑπάρχει τοῖς παροῦσι τὰ τῶν ἀπόντων καὶ τοῖς ἐθέλουσι πονεῖν καὶ κινδυνεύειν τὰ τῶν ἀμελούντων. καὶ γὰρ τοι ταύτῃ χρησάμενος τῇ γνώμῃ πάντα κατέστραπται καὶ ἔχει, τὰ μὲν ὡς ἂν ἑλών τις ἔχοι πολέμου νόμῳ, τὰ δὲ σύμμαχα καὶ φίλα ποιησάμενος· καὶ γὰρ συμμαχεῖν 42

[1] Ἀθηναίοις ἐστὶν

[2] τοιαῦτα αὐτοῦ

superata patriæ potentia, eas Atheniensium ditioni denuo subjecit. Hoc illud est, quo sensus textus præcipue collimat. *Townsell.* Mount.

Ἐθνῶν] Illyrios, Paonas ac Thraces intelligit. *Lucch.* Rüdig.

Αὐτονομ. καὶ ἐλεύθ.] Vid. Thuc. VIII. 91., cujus Schol. explicat αὐτονομεῖσθαι, τοῖς ἰδίοις νόμοις χρῆσθαι. Ceterum Noster solet αὐτόνομος conjungere cum ἐλεύθερος, ut Olynth. I. (III.) §. θ'. et de Coron. 327, 8. Idem.

Οἰκείως] Thuc. VI. 57. εἶδόν τινα διαλεγόμενον οἰκείως τῷ ἱστορίᾳ. Schol. ad hunc loc. explic. φιλικῶς. cfr. §. ϛ'. Idem.

Τοιαῦτα ἐπιτειχίσματα] Τὰ προβεβλημένα magis ad defensionem nostri, τὰ ἐπιτειχίσματα ad oppugnationem hostium extructa castella, significare tradunt: quibus ego non assentior, hoc quidem loco, ab ἐπιτειχίζω fit et ἐπιτείχισμος, et ἐπιτείχισις. Wolf. Eodem sensu Demosthenes hanc vocem usurpat, quo alibi ἐρυμνήματα. Namque in Orat. de fal. leg. §. 126. ἐρυμνήματα (inquit) ἐφ' ἡμᾶς ἐν Εἰδόλῳ φιλικῶς προπατεσκευάζοντο: in Orat. autem de Chers. §. 16. κατασκευάζοντες ὑμῖν ἐπιτείχισμα τὴν Εἴδοιαν. Urbes supra memoratæ verissime erant contra Philippum ἐπιτειχίσματα, maximeque ad infestandam Macedoniam opportunæ. Demosth. Philip. II. §. γ'. Εἰ γὰρ Ἀμφίπολιν καὶ Πυδναῖον περίειτο, οὐδ' ἂν οἵδε μέχρι βεβαίως ἠγῶντο. Eadem iterum occurrunt Philipp. IV. §. 8'. Mount.

Ἔρημον ὄντα συμμάχων] Refertur ad τὸ πολεμεῖν, ὡς χαλεπόν ἐστι, τινὰ ὄντα συμμάχων ἔρημον, πολεμεῖν Ἀθηναίοις, id est, ὅτως ἂν πολεμοῖ: vel, ἐστὶ τοῦ, ἐρήμου ὄντος συμμάχων: vel, φίλιππος ἐρημος ἄν. Latine per dativum commodius efferretur, ὡς χαλεπόν ἐστιν αὐτῷ, ἐρήμῳ συμμάχων ὄντι πολεμεῖν Ἀθηναίοις. Wolf.

Οὐδὲ τοσαύτην ἐκτήσατ' ἂν δύναμιν] Nollem Rijdiger ex paucis nec optimis codd. revocasset ἐκτήσανο pro ἐκτήσατ' ἄν. Rarum enim est in Demosthene, quamquam non omnino inusitatum, ut e primo membro in secundum particula ἄν assumenda sit; sed plerumque ea repetitur ipsa, ut nusquam, nisi optimorum codd. auctoritate eam deleverim. Brem.

Ἆθλα τοῦ πολέμου κείμενα ἐν μέσῳ] Metaphora a palæstra sumpta, ut recte monet Scholiastes. Eadem alii passim utuntur. Catilina apud Sallust. p. 80. Ed. Wasse. 'Ea illa, illa, quam sæpe optastis, libertas, præterea divitiæ, decus, gloria in oculis sita sunt. Fortuna ea omnia victoribus præmia posuit.' Cyrus similiter in Orat. ad milites: τὰ τῶν ἐναντίων ἀγαθὰ πάντα τοῖς νικῶσιν ἆθλα προέκειται. Xenoph. Cyr. Pæd. lib. ii. 3. 2. Mount.

Φίλα] Habet Pith. φίλια, quam lectionem veram esse pro certo habeo: φίλος enim est amicus, qui amat; φίλιος fœderatus, quo sensu hic sumitur. Sic passim apud Græcos auctores φίλια ἔθνη, ἐν φίλᾳ scilicet subaud. χώρᾳ, unde φίλιος, ut decet eos qui in societate sunt. Vocem φίλος nusquam, ut opinor, eodem sensu usurpatam videris. Jul. Pol. lib. iii. 62. ὁ δὲ φίλιος πρὸς τὸν πολέμιον ἀντίκειται. in quem locum vid. Jungermannum. Idem. Sed

καὶ προσέχειν τὸν νοῦν τούτοις ἐθέλουσιν ἅπαντες, οὓς ἂν ὁρῶσι παρεσκευασμένους καὶ πράττειν ἐθέλοντας ἃ χρή.

δ'. Ἂν τοίνυν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καὶ ὑμεῖς ἐπὶ τῆς τοιαύτης ἐθελήσητε γενέσθαι γνώμης νῦν, ἐπειδήπερ οὐ πρότερον, καὶ ἕκαστος ὑμῶν, οὗ δεῖ καὶ δύναιτ' ἂν χρήσιμον τῇ πόλει παρασχεῖν αὐτόν, πᾶσαν ἀφεὶς τὴν εἰρωνείαν ἕτοιμος πράττειν ὑπάρξῃ, ὁ μὲν χρήματ' ἔχων εἰσφέρειν, ὁ δ' ἐν ἡλικίᾳ στρατεύεσθαι, — συνελόντι δ' [1] ἁπλῶς εἰπεῖν ἣν ὑμῶν αὐτῶν ἐθελήσητε γενέσθαι καὶ παύσησθε αὐτὸς μὲν οὐδὲν ἕκαστος ποιήσειν ἐλπίζων, τὸν δὲ πλησίον πάνθ' ὑπὲρ αὐτοῦ πράξειν, καὶ τὰ ὑμέτερ' αὐτῶν κομιεῖσθε, ἂν θεὸς

[1] [ἁπλᾶς]

ut φίλιος passivam habet significationem, — φίλια ἔλαχος —, ita φίλος activam, ut h. l. *sibi obligavit alios*. conf. Seidler. ad Euripid. Troad. 240. Schol. nostrum locum respiciens dicit συμμάχους καὶ φίλους. Intelligit Thessalos et Olynthios, quos Ol. 105, 4. Phil. fœdere sibi conciliaverat. v. Olynth. II. (I.) §. γ'. Rüdig.

Καὶ γάρ] Hæ particulæ indicant, id, quod factum sit, pro natura rerum fieri debuisse: nempe. Hinc, quod sæpe legitur, οὐ γάρ; nonne? Hoogev. de Part. Gr. 144. Idem.

Οἷς ἂν ὁρῶσι] *Si quos videant, qui.* Græci enim conjunctivo utuntur post relativ. cum partic. ἄν, si qua res, quæ fieri possit, dubium est, an fiat. cfr. §. 6. ἐξ ἧς ἄν — et ἀλλ' ὅσον ἄν —. Idem.

δ'. Ἂν τοίνυν] Consimilium factorum consimilem fore eventum affirmat. Nam fortunæ Atheniensium se non diffidere, multis locis ostendit. Wolf.

Ἐπὶ τῆς τοιαύτης γενέσθαι γνώμης] Ταῦτα διανοεῖσθαι, τοιαύτῃ χρήσασθαι τῇ γνώμῃ, ut paulo ante dixit. Idem.

Ἐπειδήπερ οὐ πρότερον] Γενέσθαι ἐπὶ τοιαύτης γνώμης: οὐ προῄρησθε τοιαῦτα πράττειν. Idem.

Ἐθελήσητε] Est concedentis aliquid ad voluntatem alius: *quandoquidem*. Æsch. Socrat. Dial. ii. 12. Rüdig.

Οὗ δεῖ] Ἐν ᾧ καιρῷ καὶ τόπῳ, καθ' ὃ. Wolf.

Ἕτοιμος πράττειν ὑπάρξῃ] Lego ἕτοιμος. Sic enim et Veneta editio habet, et hoc postulant verba infinita πράττειν, εἰσφέρειν, στρατεύεσθαι: etsi Obsopœus etiam post, ἅπαντας ὑπάρχειν ἑτοίμους, pro ἑτοίμους, in suo codice exstare, annotavit. Sed ου et ω sæpe permutantur. Idem. Ut Xenoph. Hell. iv. 2. 11. Ἑτοιμος — μήτ' ἀδικεῖν, μήτ' ἀδικεῖσθαι. Rüdig.

Συνελόντι δ' ἁπλᾶς εἰπεῖν] Ἵνα δὲ συνελὼν τὸν λόγον ἁπλᾶς εἴπω. Peculiaris formula est, in significatione brevis et ponderosæ orationis. Wolf.

Ἣν ὑμῶν αὐτῶν ἐθελήσητε γενέσθαι] Τὸ ἑαυτοῦ εἶναι ἢ γίγνεσθαι, ἐστὶν ἐλεύθερον εἶναι, καὶ αὐτὸν ἀντιλαμβάνεσθαι τῶν πραγμάτων, ἀλλὰ μὴ ἐξ ἄλλων ἠρτῆσθαι. Nota, servile esse, pendere ab aliis et cessare: ingenui vero animi, ipsum suscipere curam rerum, itaque se quasi asserere in libertatem. Idem.

Τἀμῶν αὐτῶν γενέσθαι] *Sui juris fieri.* cfr. or. de Class. p. 182. v. 9. ed. R. Rüdig.

Κομιεῖσθε] *Recuperabitis.* cfr. Olynth. II. (I.) §. 3'. Sæpe hæc vox eo sensu legitur in Or. p. Megalop., ut 206, 5. 207, 26. ed. R. Similis futuri apocopati forma est ὑστεριοῦμεν §. ιά. Idem.

Ἂν θεὸς ἐθέλῃ] Rüdiger hæc annotat: "Reisk. ex uno Bav. dedit ἐθέλῃ, idem Bekker.; sed sæpissime hæ formæ inter se permutantur. vid. Sturz. Lex. Xenoph. II. p. 519." Sed hæc non ita tractanda; verum attendendum est ad cujusque scriptoris usum. Sunt enim, qui promiscue θέλειν et ἐθέλειν adhibeant, sola ducti euphonia, ut Xenophon. Alii ἐθέλειν unice usurpant, ut Plato, apud quem quod paucis locis hæret, θέλειν, optimorum codd. auctoritate emendandum erit. Tragicis solum θέλειν in trimetris iambicis in usu est, utrumque in ceteris versuum generibus. In Demosthene longe frequentissimum est ἐθέλειν et proprium hoc apud ipsum. In hac formula tamen ἂν θεὸς θέλῃ non temere quid mutandum, quum etiam p. 24. l. 2. ed. R. in omnibus codd. legatur ἂν οἱ θεοὶ θέλωσι: quamquam hic fortasse propter hiatum scripsit θέλωσι, ut interdum post μὲ ponit θέλειν; vide p. 205. l. ult. p. 208. l. 15. sed non semper. Cf. v.

ἐθέλῃ, καὶ τὰ καταῤῥᾳθυμημένα πάλιν ἀναλήψεσθε κἀκεῖνον τιμωρήσεσθε. μὴ γὰρ ὡς θεῷ νομίζετ' ἐκείνῳ τὰ παρόντα πεπηγέναι πράγματα ἀθάνατα, ἀλλὰ καὶ μισεῖ τις ἐκεῖνον καὶ δέδιεν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καὶ φθονεῖ καὶ τῶν πάνυ νῦν δοκούντων οἰκείως ἔχειν αὐτῷ· καὶ ἅπανθ' ὅσαπερ καὶ ἐν ἄλλοις τισὶν ἀνθρώποις ἔνι, ταῦτα κἀν τοῖς μετ' ἐκείνου χρὴ νομίζειν ἐνεῖναι. κατέπτηχε μέντοι ταῦτα πάντα νῦν, οὐκ ἔχοντ' ἀποστροφὴν διὰ τὴν ὑμετέραν βραδυτῆτα καὶ ῥᾳθυμίαν, ἣν ἀποθέσθαι φημὶ δεῖν ἤδη. ὁρᾶτε γάρ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τὸ πρᾶγμα, οἱ προε-

c. p. 209. l. 13. 19. Etiam post *εἰ* inveni *θέλοι*, *κατὰ Μειδίου* p. 585. l. 23. *εἰ θέλοιτε* et *κατὰ Ἀνδροτ.* p. 610. l. 2. Similia monenda sunt de *οἶμαι* et *οἴομαι*, quæ a multis scriptoribus promiscue usurpantur. Demosthenes *οἶμαι* plerumque ponit sequente infinitivo; *οἴομαι* vero directæ orationi inserit. Aliquoties tamen *οἶμαι* legitur sequente infinitivo, ubi nulla codd. varietas notatur: quod tum non mutaverim, quamquam Reiskium non ubivis accuratum in afferendis codd. lectionibus inveni. At, ubi libri variant, sine cunctatione prætulerim *οἴομαι*. Quavis enim pagina hoc ita Demosthenes usurpat. Bekk.

Τὰ καταῤῥᾳθυμημένα] *Διὰ ῥᾳθυμίας προειμένα ὑφ' ὑμῶν, καὶ ἀπολωλότα.* Wolf. In Timocrat. p. 765. v. 13. dicit: *εἰ καταῤῥᾳθυμήσετε*, eodem sensu. Rüdig.

Πάλιν ἀναλήψεσθε] Nota geminationem particularum πάλιν et ἀνὰ, ut si dicas *rursus recipere*. Wolf. Xenoph. Mem. II. 4. 4. *πάλιν ἀναπίθεσθαι*. Rüdig.

Πεπηγέναι] Proprie *γάλα* et *αἷμα* dicitur *πεπηγὸς*, omnino quæ *fixa* sunt, utel. in Arist. 797, 10. ed. R. *ταῦτα οὕτω πεπηγότα τῇ φύσει*. Eadem de Philippo vid. Olynth. II. (I.) §. ς'. Idem.

Καὶ τῶν πάνυ νῦν δοκούντων οἰκείως ἔχειν αὐτῷ] Et ad proceres aulicos, et ad Olympiadem uxorem, et ad Alexandrum filium hæc pertinere possunt. A Pausania certe satellite in solenni pompa Cleopatræ nuptiarum est interfectus: cum quidem expeditionem Persicam animo agitaret: de qua consulenti Apollinem responsum fuit:

Ἕστηκεν μὲν ὁ ταῦρος, ἔχει τέλος, ἵστι δ' ὁ θύσων.

Quod ille oraculum non de Pausania, interfectore suo, sed de se et rege Persarum interpretatus: quod ipse illum taurum esset immolaturus. Wolf. Hæc verba et seqq. neque cum Wolfio ad proceres aulicos et ad Olympiadem uxorem et ad Alexandrum filium retulerim — hoc ipse orationis nexus vetat —, neque cum Lucch. duas sociorum classes statuo, sed, ipso oratore duce, tria genera sociorum, quorum alii cum *oderunt*, i. e. Pæones et Thraces, vid. §. β'.; alii *metuunt*, i. e. Thessali, qui liberati a crudeli imperio (Olynth. II. (I.) §. γ'. Diod. Sic. XVI. 35.), mox hujus experiebantur avaritiam, Olynth. II. (I.) §. ϑ'. coll. I. (III.) §. ϑ'; alii *invident*, i. e. Olynthii, qui ægre ferebant, quod tantas nancisceretur ille opes. cfr. Argum. Or. Olynth. I. (III.) et not. ad §. ά. Quod dicit *μισεῖ τις ἐκεῖνον*, hoc pronom. *τις* inquit, *non paucos* esse, qui hac sint mente. Hom. Il. VII. 202. Thuc. III. 111. hæc: *καὶ τινας αὐτῶν στρατιῶν — ἐνίστασί τις*. Schol. ad h. l. dicit, de *multitudine* τὶς esse accipiendum. Duker. ibid. loca Eustath. ad Hom. laudat. Rüdig.

Ἄλλοις τισὶν] Quippe qui nolint se subjicere Philippo. Carpit Dem. ipsos Athenienses, qui quum cognovissent, illum ad Thermopylas accedere, summo perculsi sunt metu. Nam per *τὶς* tangit, quos non nominare vult. Pro Megalop. p. 202, 20. Rüdig.

Κατέπτηχε] Cfr. Hom. Il. xxii. 291. Odyss. viii. 190. ibique Eust., Herodi. ii. 5. 8. Idem.

Ταξιάρχους] Taxiarchi deni ex singulis tribubus fuerunt. Horum autem negotium fuit, ut ordines militares instruerent, pedites in prælium mitterent, iisdemque quo ire, et per quot dies cibum parare oporteret, per præconem denunciarent, et, si liberet, militem ex armatorum Catalogo delerent. Sigon. lib. iv. cap. 5. de Rep. Ath. MOUNT.

Στρατηγούς] Στρατηγοὶ (*Prætores*) deni fuere ex tribubus singulis singuli, a populo, ut reliqui omnes, in Comitiis declarati. Primis temporibus omnes æquali usi imperio, singuli singulorum dierum imperium obtinebant: iis autem Polemarchus undecimus adjunctus est, ut, si forte illi paribus inter se sententiis discreparent, ipse in alterum partem inclinans omnem dubitationem eximeret. Postea Polemarchus domi retentus est, ut jura inter cives et peregrinos diceret, nec Prætores omnes ad bellum missi sunt; (quod hic innuit Demosthenes) sed modo unus, modo duo, pro rei periculo: cæteri domi urbanis officiis, ad militiam tamen spectantibus vacabant; qui Στρατηγοὶ ἐπὶ τῆς διοικήσεως appellati sunt, ut illi Στρατηγοὶ ἐπὶ τῶν ὅπλων. *Tourrell.* IDEM.

Καὶ ἱππάρχους δύο] Utrum τὸ δύο *duos*, an *binos*, ut et ad στρατηγοὺς et ad φυλάρχους referatur? ἱππαρχία equitum 512. fuit: φυλάρχων quod munus in exercitu fuerit, mihi non liquet. Romani non tribunos plebis modo, sed militum etiam et tribunos ærarios, et consulari potestate habuerunt. Significat autem, hos nomen inane habere, sine re. WOLF.

Φυλάρχους, καὶ ἱππάρχους] Ut Prætores et Taxiarchi Peditibus, sic Hipparchi et Phylarchi Equitibus imperarunt. Hipparchi autem duo, Phylarchi decem; illi quidem universo, hi vero singularum tribuum equitatui ita præfuerunt, ut quemadmodum Taxiarchi Prætoribus, sic Phylarchi Hipparchis dicto audientes essent; qui tamen et ipsi Prætoribus paruerunt. *Tourrell.* MOUNT.

Μετὰ τῶν ἱεροποιῶν] Ἱεροποιοὺς Hesychius interpretatur ἱπτιμυήσους. ἱπτιμυήσαι δὲ ἡ ἐπιμήσαι, θυσίαν καθ' ἑκάστην μῆνα τῇ νουμηνίᾳ ἐπιτελουμένην. WOLF. Vid. Manass. et Vales. ad Harpocrat. v. Σεμναὶ Θεαί, Pollux l. viii. 107. et Meurs. in Eleusin. c. 25.

Ὥσπερ τοὺς πηλίνους] Ἀνδριάντας τῶν στρατηγῶν. WOLF. Qui e lito dolia fictilia et pupas seu imagunculas efficiunt (ὀργάζειν τὸν πηλόν). Nam οἱ πήλινοι sunt *imagunculæ*, cf. Pollux VII. 164. ibique interpp. Schol. ita: οἱ τὰ πήλινα προτίθενται: πηλίνους enim vix ad ταξιάρχους potest referri; bene Jacobs: Puppenmacher. Hi Græce vocabantur κορωπλάθοι. Poll. X. 189. et interpp. RÜDIG.

Εἰς τὴν ἀγορὰν] Οὐκ ἐπὶ τὸν πόλεμον: τοῦ θεαθῆναι ἕνεκα μᾶλλον, ἢ τοῦ στρατεύειν. WOLF. Ut ibi instar rerum venalium exponantur et sua specie splendeant. Phil. Γ. §. ἡ. νῦν δὲ ἅπαντα ὥσπερ ἐξ ἀγορᾶς ἐκπέπραται. RÜDIG.

Οὐ γὰρ ἐχρῆν] Interrogative et affirmative: Summam rei militaris esse penes cives Athenienses oportere. WOLF.

Ἀλλ' εἰς μὲν Λῆμνον] Hæc sine interrogatione. Queritur enim mercenariis militibus credi omnia. IDEM.

παρ' ὑμῶν ἱππαρχον δεῖ πλεῖν, τῶν δ' ὑπὲρ τῶν τῆς πόλεως κτημάτων ἀγωνιζομένων Μενέλαον ἱππαρχεῖν; καὶ οὐ τὸν ἄνδρα μεμφόμενος ταῦτα λέγω, ἀλλ' ὑφ' ὑμῶν ἔδει κεχειροτονημένον εἶναι τοῦτον ὅς τις ἂν ᾖ.

ί. Ἴσως δὲ ταῦτα μὲν ὀρθῶς ἡγεῖσθε λέγεσθαι, τὸ δὲ τῶν χρημάτων, πόσα καὶ πόθεν ἔσται, μάλιστα ποθεῖτε ἀκοῦσαι. τοῦτο δὴ καὶ περανῶ. χρήματα τοίνυν, ἔστι μὲν ἡ τροφή, σιτηρέσιον τοῖς στρατευομένοις μόνον τῇ δυνάμει ταύτῃ, τάλαντα ἐννενήκοντα καὶ μικρόν τι πρός,

Ἀλλ' εἰς μὲν Λῆμνον] Lemnos, hodie *Lemno* sive *Limni*, insula maris Ægæi inter Montem Athon et Chersonesum Thraciam; eam Æschylus in Persis inter insulas Atheniensibus subditas recenset. In Herodoto lib. vi. ac Cornelio Nepote in Miltiad. legere est quomodo eam a Pelasgis, Miltiade duce, ademerint. Byzantini, Rhodii, Chii, Ceique quinquennium ante contra Athenas se commoverunt, Lemnumque centum navibus invadere conati sunt. Athenienses a Lemniis auxilio vocati sub optimis suis ducibus illuc profecti sunt. Quatuor annos post Thermopylas occupare aggressus est Philippus. Eum Athenienses, qua tum erant vigilantia, eodem, unde venerat, se recipere coegerunt: immemores autem eum relictum cœptum renovare posse, satis habuerunt equitum agmen ad oram Atticæ collocare. *Tourrell.* MOUNT.

Τῶν ἀγωνιζομένων ἱππαρχεῖν] Ἱππαρχεῖν εἶναι. WOLF.

Τῶν ἀγωνιζομένων] Οἱ ἀγωνιζόμενοι videntur esse, qui ad Pylas Philippo aditum negarent, quorum dux, judice Luc., Menelaus fuit; qui unde oriundus fuerit, nescimus, nam Tourrellii sententia, fuisse hunc Philippi fratrem ex altero conjugio natum, non vero similis est. RÜDIG.

Μενέλαον] Hunc Philippi fratrem fuisse ait Tourrellus, ex altero autem conjugio natum. Etenim Philippi mater Eurydice, Menelai Cygnea erat; utriusque autem Pater Amyntas teste Harpocr. et Justin. l. vii. Equidem cum Oliveto potius sentiam, hunc alium esse Menelaum, nobis alias ignotum. Quamvis enim Philippus et Menelaus diversis matribus fuerint nati, neque sane amicitia conjunctissimi, non tamen verisimile videtur Athenienses hostis sui fratri tantum confidere voluisse. MOUNT.

Μενέλαον ἱππαρχεῖν] Parum insolens fuit Atheniensibus extraneum exercitui præficere. V. Plat. Ion. [p. 144. ed. Serr.] In Æliano etiam Hist. l. xiv. 5. catalogus est Peregrinorum, qui Atheniensium exercitibus imperarunt. *Tourrell.* MOUNT.

Ἀλλ' ὑφ' ὑμῶν ἔδει κεχειροτονημένον εἶναι τοῦτον, ὅστις ἂν ᾖ] Populum solum penes erat hæc munera conferre; hoc tamen imperatorum arbitrio nonnunquam permisere. *Tourrell.* IDEM.

Ὑφ' ὑμῶν] Emendavi ex Reiskii mente ἀφ' ὑμῶν, ita et emendandum censuit Abbas d'Olivet. AUGER. Sed hoc sensu dixisset ἐξ ὑμῶν, ut sup. p. 113. v. ult. RÜDIG.

ί. Τοῦτο δὴ καὶ περανῶ] Παρὰ τὸ περαίνειν καὶ τὸ πέρας, τὸ τέλος. WOLF.

Χρήματα τοίνυν] Constructio et collocatio verborum insolentior. Sed accipio sic: περὶ χρημάτων τοίνυν, de pecunia, quod ad pecuniam attinet. ἡ μὲν τροφὴ τῇ δυνάμει ταύτῃ (quod sequitur, κατ' ἐπεξήγησιν accedit, σιτηρέσιον μόνον τοῖς στρατευομένοις) ἐστὶν τάλαντα ἐννενήκοντα, id est, ἡ τροφὴ τῆς δυνάμεως ἀναιτεῖ τάλαντα τοσαῦτα. 100. drachmæ minam, minæ 60. talentum, talentum 600. aureos facit. Hinc suo quisque arbitratu rationes Demosthenicas supputet: et illud notet, equiti triplum σιτηρέσιον esse datum, drachmas tricenas, peditidenas: quorum carnes esse vilissimas vulgaris jocus affirmat: et ipsi milites suam luxuriam et licentiam excusantes, aiunt, eadem se conditione esse, qua porcos, qui saginati jugulentur. IDEM.

Τάλαντα ἐννενήκοντα καὶ μικρόν τι πρὸς]

30 M. per Month × 12 = 240 × 10 = 2400 = 40 Talents.
10 Dr. p. M. × 2000 στρατιωτ. = 20000 Dr. × 12 = 240000 Dr. = 40 Talents.
30 Dr. p. M. × 200 equit. = 6000 Dr. × 12 = 72000 Dr. × 12 Talents.

40 Talents.
40 Talents.
12 Talents.

S. T. 92 Talents. TAYLOR.

δέκα μὲν ναυσὶ ταχείαις τετταράκοντα τάλαντα, εἴκοσιν 48
εἰς τὴν ναῦν μναῖ τοῦ μηνὸς ἑκάστου, στρατιώταις δὲ δισχιλίοις τοσαῦθ' ἕτερα, ἵνα [1] δέκα τοῦ μηνὸς ὁ στρατιώτης δραχμὰς σιτηρέσιον λαμβάνῃ· τοῖς δ' ἱππεῦσι διακοσίοις οὖσιν, ἐὰν τριάκοντα δραχμὰς ἕκαστος λαμβάνῃ τοῦ μηνός, δώδεκα τάλαντα. εἰ δέ τις οἴεται μικρὰν ἀφορμὴν σιτηρέσιον τοῖς στρατευομένοις ὑπάρχειν, οὐκ ὀρθῶς ἔγνωκεν· ἐγὼ γὰρ οἶδα σαφῶς ὅτι, τοῦτ' ἂν γένηται, [2] προσποριεῖται τὰ λοιπὰ αὐτὸ τὸ στράτευμα ἀπὸ τοῦ πολέμου, οὐδένα
15 τῶν Ἑλλήνων ἀδικοῦν οὐδὲ τῶν συμμάχων, ὥστ' ἔχειν μισθὸν ἐντελῆ. [3] ἐγὼ συμπλέων ἐθελοντὴς πάσχειν ὁτιοῦν ἕτοιμος, ἐὰν μὴ ταῦθ' οὕτως ἔχῃ. πόθεν οὖν ὁ πόρος τῶν χρημάτων, ἃ παρ' ὑμῶν κελεύω [4] γενέσθαι, τοῦτ' ἤδη λέξω.

[1] δέκα ἕκαστος τοῦ [2] † προσποριεῖ [3] κἀγὼ δὲ συμπλέων [4] γενήσεται

Τάλαντα ἐννενήκοντα] Talentum multiplex fuit auctore Festo; Atticum autem sex millium Denariorum fuisse dicit. Talentum (inquit Suidas) Minarum est sexaginta: Mina autem Drachmarum centum. Hoc etiam legimus in versibus illis qui apud Priscianum leguntur, et Favini esse dictitantur:

'Cecropium superest post hæc docuisse Talentum:
Sexaginta Minas; seu vis, Sex Millia Drachmas:
Quod summum doctis perhibetur Pondus Athenis?'
Bud. de Asse, Lib. ii.

Cujus lib. 4to videre licet omnia Talenta ad unam formam redacta. De valore communis Attici talenti valde discrepant Auctores: juxta Tourrellum valet nostra moneta libras 187. solidos autem decem; doctiss. Prideaux id exæquat libris 188. sol. 6. den. 8. Arbuthnottus libras 193. sol. 15. Vide autem Seldenum et Hostum de re nummaria. Observandum restat ex hoc Demosthenis computo patere, in unum annum duraturum esse, quem ille postulat, commeatum. Mount.

Δέκα τοῦ] Vox ἕκαστος a Voss. etiam abest, eam tamen sententia plane requirit: itaque cæteri omnes cum editi, tum calamo exarati. Sic paulo post, ἐὰν τ. δ. ἕκαστος λαμβάνῃ. Idem.

Τοῦτ' ἂν γένηται] Legitur in Wolfio εἰ τοῦτο γένηται: prætuli, ut magis Græcum, τοῦτ' ἂν γένηται, quod dant plures libri impressi et manuscripti. Pro προσποριεῖ in vulgata, dedi προσποριεῖται, *sibi comparabit, sibi subministrabit.* Auger.

Προσποριεῖ] Ἐκ τῆς λείας καὶ τῶν λαφύρων. Wolf.

Ὥστ' ἔχειν μισθὸν ἐντελῆ] Militum Classiariorum ἐντελὴς μισθὸς, sive *integrum et solidum stipendium* erat drachma Attica in diem. Vid. Kust. ad Equites Aristoph. l. 1364. et Kuhn, ad Jul. Poll. lib. 1. 121. Quantum aliorum fuerit equidem ignoro; sed palam est Demosthenem magnam ejus partem a bello iis comparandam relinquere. Mount. Nam alioquin qui terra militabant quaternos et classiarios ternos in diem accepisse obolos docet Meurs. Lectt. Att. II. 8. Sed Noster jubet, ut binos accipiat miles in diem obolos, quum in mensem constituat decem drachmas. Cfr. Thuc. III. 17. ibique Duk. et VIII. 45. Rüdig.

Πάσχειν ὁτιοῦν ἕτοιμος] S. εἰμὶ, οὐκ ἀναίνομαι. Wolf.

Ἃ παρ' ὑμῶν κελεύω, γενήσεται] Fortasse legendum, ἅπερ ὑπάρχειν κελεύω. vel ἃ παρ' ὑμῶν ὑπάρχειν κελεύω. Videtur enim significare, tributum esse conferendum, et sequitur postea, αὐτοὶ τῶν χρημάτων πορισταὶ καὶ ταμίαι γιγνόμενοι: etsi τὸ πορισταὶ ad latrocinia et prædas agendas fortasse pertinet. Idem.

Γενέσθαι] Etenim ad πόθεν facile suppleas ἔσται, (nam sæpe Noster ita proponit quæstiones, ut verbum omittat); sed locutio παρ' ὑμῶν κελεύω requirit, quo referatur: quid aptius quam γενέσθαι? hoc autem ipsum de pecunia dici solet, quæ aliis colligitur. cf. Dem. p. 926, 25. ed. R. ἀργύριον, ὃ δεῖ γενέσθαι τοῖς δανείσασι. Verum non bene dicetur πόρος γίγνεται. Rüdig.

ΠΟΡΟΥ ΑΠΟΔΕΙΞΙΣ.

εἰ. Ἃ μὲν ἡμεῖς, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, δεδυνήμεθα εὑρεῖν, ταῦτά ἐστιν. ἐπειδὴν δ' ἐπιχειροτονῆτε τὰς γνώμας, ἃ

ΠΟΡΟΥ ΑΠΟΔΕΙΞΙΣ] In margine hæc verba annotata reperi: ἐντεῦθεν ἴσχ. Διονύσιος Ἁλικαρνασσεὺς ἐτέρου εἶναι ἀρχήν. προοίμιον δέ φασιν οὐκ ἔχει. ἐπειδὴ δευτερολογία ἐστίν, ἐν αἷς ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον οὐκ εἰσὶ προοίμια. Onsopœus. De hac Orationis nostræ parte vid. Prolegg. fortassis pertinet ea ad Ol. cvlii. 2. vid. Jacobs p. 110. Rüdio.

ΠΟΡΟΥ ΑΠΟΔΕΙΞΙΣ] Dionysius Halicarnassensis in Epist. ad Amm. reliquam hujusce orationis partem sextam Philippicam facit, Themistocle Archonte habitam. Mihi autem, sicuti etiam cæteris omnibus Interpretibus, naturalis primæ Philippicæ continuatio videtur, quare eas ut disjungerem, non potui in animum inducere. *Tourrell.* Vid. Schol. ad Ἃ μὲν ἡμεῖς. Equidem, cum Tourrello et Scholiaste quæ sequentur hujus orationis partem consequentem esse censeo; nollem tamen Dionysium ideo erroris redargueres. Etenim illi et sua auctoritas constare potest, atque hæc nihilominus sæva adhuc locum retinere. Is sextam Philippicam Themistocle Archonte habitam fuisse tradit, ejusque exordium fuisse, Ἃ μὲν ἡμεῖς, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, δεδυνήμεθα εὑρεῖν, ταῦτ' ἐστί. Ex eo autem non sequitur necessario eum hanc primam Philippicæ partem in animo habuisse. Solenne est enim oratoribus eosdem prope periodos diversis in locis repetere. Quidni igitur credamus eam sextam Philippicam vitio temporis periisse, potius quam hujus orationis partem, (imperfectum enim jam esse satis ostendunt verba proxime antecedentia τοῦτ' ἐὰν λέξω) cum in libris omnibus cum impressis tum MStis, idque sensu commodissimo, sequentia prioribus connectantur? Mounet. Ego existimarim hic corruptum fuisse Dionysii Halicarnassensis textum, et ab aliqua imperiti manu male emendatum ad nos pervenisse. Plura porro me inducunt ad ita sentiendum. 1°. Summa peritia et excellens Dionysii Halicarnassensis judicium, qui in tanta rei evidentia ita turpiter errare non potuit. 2°. Textus, ut se habet, evidenter peccat, quod Wolfius et alii animadverterunt. Nam ista Philippica hic verbis incipiens ἃ μὲν ἡμεῖς exhibetur ut sexta, quæ tamen ex ipsa rei inspectione, ex ipsa rationis summarum, debet esse quinta. 3°. Denique, et hoc mihi videtur inviolatum argumentum, Dionysius Halicarnassensis liquido dixit sextam, imo quintam Philippicam, haberi de custodia insularium et civitatum in Hellesponto, περὶ τῆς φυλακῆς τῶν νησιωτῶν καὶ τῶν ἐν Ἑλλησπόντῳ πόλεων: de his autem omnino silet ista Philippica quam textus ait incipere ἃ μὲν ἡμεῖς. Verisimillimum est igitur amissam fuisse aliquam Demosthenis Philippicam de hac re habitam, quæ Dionysii ætate supererat. Sic ille rhetor mentionem facit alicujus orationis quæ jam non exstat, in qua Demosthenes defendebat se dona non accepisse, videlicet ab Harpalo. Itaque pag. ccclxiii. v. 11. vel. I. πολιτ. ed. mihi videtur legendum στρατιᾶς pro ἔτους, et lin. 13., pro ἃ μὲν ἡμεῖς deberet esse initium ejus quæ periit Philippicæ, et quæ habebatur περὶ τῆς φυλακῆς τῶν νησιωτῶν καὶ τῶν ἐν Ἑλλησπόντῳ πόλεων. Augier.

ΠΟΡΟΥ ΑΠΟΔΕΙΞΙΣ] Hic Γραμματεὺς, sive scriba quidam, Demosthenis de pecuniis comparanda sententiam publice perlegit. Stock.

εἰ. Ἃ μὲν ἡμεῖς] Talentis 93. fere opus dixit: quæ (uti probabile est) populus conquiri jussit a quæstoribus. Qui ratione inita exposcerant, unde ea pecunia petenda esset. Catalogus autem de scripto, ut apparet, recitatus, hic prætermissus est, ut et leges et decreta et testimonia, et alia scripta complura: quæ nobis non inutilia, nec injucunda lectu essent, si exstarent. Wolf.

Ἐπειδὰν ἐπιχειροτονῆτε τὰς γνώμας] *Cum sententias suffragiis vestris comprobaveritis*, facta dissensione: verbi causa: diversæ sententiæ dixerint Demosthenes, Demades, Phocion. Qui igitur plures e populo assensores habuerit, τούτου ἡ γνώμη ἐπεχειροτονήθη. Idem. Semper hunc locum mendosum esse suspicatus sum; cum meliore sensu sic legendum puto: ἐπειδὴν δ' ἐχειροτονήσατε τ. γνώμας, ἃ δ. ἀ. ἐπιχειροτονῆτε, quod verbum cum majorem vim habeat quam simplex verbum χειροτονῶν, idemque, ut opinor, significare possit ac si dictum esset ἐπιψηφίσει, omnino sequi debet, non præcedere. Si conjecturæ, præsertim meæ, venia daretur, ita hanc sententiam refingendam velim: ἐπειδὰν δ' ἐχειροτονήσατε τὰς γνώμας, ἃ ἂν ἡμεῖς λέξωμεν, ἐπιχειρεῖτε. Pro hac lectione non parum, ut videtur, faciunt quæ sequuntur, ἵνα μὴ μόνον—συλλαμβάνητε Φιλίππῳ, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἔργοις. Locus pene huic gemellus occurrit in Orat. de fals. leg. §. λϑ', ἀλλὰ καὶ

ἂν ὑμῖν ἀρέσκῃ χειροτονήσατε, ἵνα μὴ [1] μόνον τοῖς ψηφί-
16 σμασι καὶ ταῖς ἐπιστολαῖς πολεμῆτε Φιλίππῳ, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἔργοις. δοκεῖτε δέ μοι πολὺ βέλτιον ἂν περὶ τοῦ πολέμου καὶ ὅλης τῆς παρασκευῆς βουλεύσασθαι, εἰ τὸν τόπον, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τῆς χώρας, πρὸς ἣν [2] πολεμεῖτε, ἐνθυμηθείητε, καὶ λογίσαισθε ὅτι τοῖς πνεύμασι καὶ ταῖς ὥραις τοῦ ἔτους τὰ πολλὰ προλαμβάνων διαπράττεται Φίλιππος, καὶ φυλάξας τοὺς ἐτησίας ἢ τὸν χειμῶνα ἐπιχειρεῖ, ἡνίκ' ἂν ἡμεῖς μὴ [3] δυναίμεθα ἐκεῖσε

[1] ἀ μόνον [ἐν] [2] πολεμήσετε [3] δυνώμεθα

χειροτονῆτε, καὶ τὰ ὑμέτερα αὐτῶν ἐγχειρίζητε. In eadem Orat. §. ιγ'. δίον ὑμᾶς ἀκοῦσαι περὶ τῶν πραγμάτων, εἶτα βουλεύσασθαι, μετὰ ταῦτα δὲ πράττειν ὅ, τι δόξαι. Mount. Si conjectugis indulgere fas esset, alium in hac periodo vocabulum immutarem; et pro ἀρέσκῃ legerem ἀρκέσῃ, *quæ vobis sufficiant*. Levis hæc mutatio sensum præstat optimum et argumento maxime congruum. Stock.

Χειροτονήσατε] Cum ita perperam in plerisque libris impressis ederetur, sensum hujus commatis Interpretes haud assecuti sunt. Legendum omnino cum Edit. Paris. χειροτονήσαντες, et subaudiendum ἰδῶτε, σκοπεῖτε, aut verbum aliquod simile. Frequens admodum apud scriptores Græcos est hæc Ellipseis: (vide L. Bos. Ellips. Græc. verbis βλέπειν et σκοπεῖν) quamquam plura ejus occurrant exempla ante τὸ ὅπως, quam ἵνα. Unum tamen, quod satis sit, protulit doctiss. Hoogeveen, in præstanti illa, qua nuper Græcitatis ditavit studiosos, *Doctrina particularum linguæ Græcæ*, c. 23. §. 2. Καὶ νῦν ἵνα ἄγητε τὰς ἡμέρας τῆς σκηνοπηγίας, inquiunt Judæi, fratribus suis scribentes, II. Macchab. initio: ubi reticeri potius duxerim τὸ ἰδῶτε, (et mecum sentiunt Interpretes Angli) quam quod supplet vir eruditus, ταῦτα γράφομεν: *et nunc curate, id agite, ut celebretis festum tabernaculorum*. Idem. Jam vero χειροτονήσατε si legitur, ἵνα μὴ sqq. pendebant ab hoc verbo: decernite, ne epistolis sed re pugnetis: sed quis nexus? Vulgata non videtur mutanda, probante etiam Cel. Hermanno; sensus: si sententias comprobatis, decernentes quæ vobis placuerint. d. Pac. §. γ'. dicuntur οἱ βουλεύσαντες βουδεῖν. Ante ἵνα μὴ quis non facile suppleverit ἰδῶτε? Cfr. Hom. Od. VIII. 461. Plat. Crit. 9. Vig. p. 435. Rüdig.

Τόπον] F. τρόπον. Taylor.

Τόπον] i. e. *situm*; in Aristocr. 681, 18. ὅσπερ γὰρ Χαλκὶς τῷ τόπῳ τῆς Βοιωτίας κεῖται; sed p. 119. v. pen. intellig. *tractus* regionis. cf. Lept. 475, 2. ὁ περὶ Θρᾴκην τόπος. Rüdig.

Πολεμήσετε] Quum orator suos excitet, ut injuriam illatam ulciscantur, prætuli. Idem.

Τὰ πολλὰ προλ. διαπρ.] Præripit multa i. e. fere omnia. Noster p. 886, 28. τί ἂν τὰ πολλὰ λέγοι τις; Hom. Od. II. 58. Vig. p. 22. διαπράττειν, perficere modo clandestino et fallaci. Olynth. II. (I.) §. ς'. Thuc. I. 31., ubi Schol. explicat: χρήμασι καὶ λόγοις. Idem.

Ἐτησίας] Ventos scilicet, qui ad ortum Canicularis singulis annis constanter flebant. Nonnulli perperam contenderunt, iis Ægyptum Nili sui incrementum debere: postea vero compertum est, eam exundationem efficere imbres abundantes qui in superiori Æthiopia illo tempore descendunt. Vox Etesiæ ad Latinos transiit; eaque Cicero plus semel utitur; inter alios locos in Epist. l. xii. [Epist. 25.] Quod reliquum est, per Etesias Demosthenes æstatem intelligit, tempus scilicet quo isti venti dominabantur, quoque Græci ob ingentem calorem ad æstiva se recipiebant. Philippus ad res agendas asperrimis usus est tempestatibus; quæ, omnibus bene pensitatis, sua etiam secum commoda apportant. Aul. Gell. l. ii. c. 22. Aristot. Meteor. l. ii. c. 5. et 6. *Tourrell.* De Etesiis ac Nilo vide Diod. l. i. p. 35. 39. Vide etiam Strab. l. xvii. p. 789. Ed. Casaub. Ald. Manutium, doctiss. Salmas. in Plin. Exercitat. p. 299. et seqq. Hekelii notas ad Cluver. p. 390. ubi Nili increscentis descriptionem legere est elegantissimam, et Wolfium supra in Arg. Mount.

Δυναίμεθα] Vulg. δυνώμεθα. Sed ἡνίκ' ἂν c. conj. est: *si quando*. Olynth. I. (III.) §. β'. ἡνίκ' ἂν τύχῃ. Quare cum Bekker. dedi δυναίμεθα, *eo tempore, quo*.

49 αἱρεῖσθαι. δεῖ τοίνυν ἡμᾶς ταῦτ' ἐνθυμουμένους μὴ βοηθείαις πολεμεῖν — ὑστεριοῦμεν γὰρ ἁπάντων — ἀλλὰ παρασκευῇ συνεχεῖ καὶ δυνάμει. ὑπάρχει δ' ὑμῖν χειμαδίῳ μὲν χρῆσθαι τῇ δυνάμει Λήμνῳ καὶ Θάσῳ καὶ Σκιάθῳ καὶ [1] ταῖς ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ νήσοις, ἐν αἷς καὶ λιμένες καὶ σῖτος καὶ ἃ χρὴ [2] στρατεύματι πάνθ' ὑπάρχει· τὴν δ'

[1] ταῖς ἄλλαις ταῖς ἐν

[2] στρατεύμασι

Xen. Œc. XI. 14. ἀνίστασθαι εἴθισμαι, ἵνα ἔνδον καταλαμβάνωμι. Nostro l. ἂν ad ipsum verbum pertinet. Olynth. II. (I.) §. β'. ὅτ' ἂν εἶεν τις. RÜDIG. Optativum bonorum testium auctoritate restituit Bekkerus, quam vulgo legatur δυνάμεθα: qui modus abique addi solet conjunctioni ἵνα' ἄν, quoniam ea de certo et definito tempore plerumque ponitur. Hic autem optativus egregius est ad irridendos Athenienses: 'quo tempore nos istuc proficisci non possemus, etiamsi velle nos diceremus.' BREM.

δεῖ τοίνυν ὑμᾶς ταῦτα ἐνθυμουμένους μὴ βοηθείαις πολεμεῖν] Hoc in loco quamquam nostram exemplar cum Aldino concordarit, tamen alia manu et illa permatiqua adscriptum comperi χράφε γουτείαις. Quæ mihi profecto germana lectio esse videtur, si quis verborum sensum paulo attentius legerit. Arguit enim Demosthenes cives suos ignaviæ, proponens Philippi vigilantiam, omnes temporis articulos rei gerendæ captantis. *Oportere itaque ista considerantes, non prestigiaturis rem agere.* ἀλλὰ παρασκευῇ συνεχεῖ, καὶ δυνάμει, ut mox sequitur. Facilis autem fuit lapsus e γουτείαις in βοηθείαις, nominum affinitate. Veluti in aliis asetoribus idem non raro accidisse vidimus. Alioqui si βοηθείαις legendum sit, tam Demosthenes plane pugnatia diceret, cum summo apparatu bellum adversus Philippum gerendum suadeat. ONSORGIUS. Omnino tota hac oratione civibus suis persuadere conatur Demosthenes, ne mittendæ auxilia putent se posse Remp. tueri, sed manum semper instructam ac paratam habeant, quæ omni occasione bene gerendæ rei utatur, nec unquam cesset si molestiæ aliquid detrimentique importare. Unde flagitium illius magis intelligi potest, qui pro βοηθείαις scribi oportere censuit γουτείαις. *Victor. Var. Lect.* l. ix. c. 16.

Μὴ βοηθείαις πολεμεῖν] Βοήθεια, *tumultuarius miles, ad propulsandos hostes subito coactus.* συνεχὴς παρασκευὴ καὶ δύναμις, *constans et perpetuus exercitus*, qui semper in procinctu stat, quovis in loco paratus ad vim et inferendam et repellendam. γουτείαις πολεμεῖν *prestigiis belligerare*, etsi scomma non infacetum est, minus tamen placet. WOLF. Cf. de Chers. §. iά.

Ὑπάρχει δ' ὑμῖν χρῆσθαι Λήμνῳ χειμαδίῳ, τῇ δυνάμει] *Licet vobis uti Lemno*, &c. *hybernis exercitui*, id est, ut exercitus ibi hybernet. Notetur triplex dativus, ἀ. χρῆσθαι τόπῳ τινί. β'. χειμαδίῳ, εἰς τὸ παραχειμάσαι. γ'. τῇ δυνάμει, ὅπως ἂν ἡ δύναμις παραχειμάσῃ ἐκεῖ. WOLF.

Ὑπάρχει δ' ὑμῖν χειμαδίῳ μὲν χρῆσθαι τῇ δυνάμει Λήμνῳ etc.] Valckenaer ad Herod. VIII. 112. deleri vult τῇ δυνάμει: quod non faciendum. Dativus enim significat *in commodum* vestrarum copiarum. p. 18. l. 1. ed. R. ἐπὶ πολλῶν μὲν ἄν τις ἰδεῖν—δοκεῖ μοι τὸν παρὰ τῶν θεῶν εὖνουν φαιδρὸν γενομένου τῇ πόλει, in salutem civitatis nostræ. p. 11. l. 26. νυνὶ δὲ καιρὸς ἥκει τις οὗτος —αὐτόματος τῇ πόλει. BREM.

Λήμνῳ, καὶ Θάσῳ, καὶ Σκιάθῳ, καὶ ταῖς ἄλλαις ταῖς ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ νήσοις] Lemnos, insula maris Ægæi, ut supra diximus. Thasus, insula prope ostium Strymonis fluvii, atque Athenienisbus subdita. Sciathus, alia in Ægæo mari insula, quæ juxta Strabonem lib. ix. ad Thessaliam, cujus in confinio sita est, pertinebat. Καὶ ταῖς ἄλλαις ταῖς ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ νήσοις, Peparethum, Imbrum, &c. intelligit. *Tourrell.* MOUNT.

Καὶ ἃ χρὴ στρατεύμασι] Scilicet ὑπάρχειν. τὸν δ' ἔφορον τοῦ ἔτους] Eo vero anni tempore, quo et ad terram accedere facile est, et nullæ procellæ metuendæ sunt: tum ad ipsam regionem, tum ad oras mercatuum, noster exercitus facile accedet: ῥᾴδιος ἔσται s. ἡ δύναμις τὸν ἔφορον, pro μετὰ τὸν ἔφορον, πρὸς τῇ γῇ γενέσθαι *appellere ad litus.* πρὸς αὐτῇ τῇ χώρᾳ, Macedonia (nam de hac infestanda agitur) videtur intelligenda. ἐμπορίων στόματα videntur οἱ λιμένες *portus* dici, *ad εἰσβολαὶ καὶ ἔξοδοι.* Si legas ῥᾴδιος εἴσεσθε, *facile vos Athenienses scietis.* aut, ἔσεται, scilicet ὁ στρατηγὸς ὑμῶν. ῥᾴδιος ἔσται suspectum est, nisi adatur γνῶναι [quod optimum videtur. *Mount.*]. Malim quidem ῥᾴδιον ἔσται. Sed et id ante positum est, et quocunque te convertas, nulla via bona est. Locus videtur corruptus, et vatem potius, quam

17 ὥραν τοῦ ἔτους, ὅτε καὶ πρὸς τῇ γῇ γενέσθαι ῥᾴδιον καὶ τὸ τῶν πνευμάτων ἀσφαλές, πρὸς αὐτῇ τῇ χώρᾳ καὶ πρὸς θύραις τῶν ἐμπορίων στόμασιν ἐμπλεῖν ἔστιν.

ιβ'. Ἃ μὲν οὖν χρήσεται καὶ πότε τῇ δυνάμει, παρὰ τὸν καιρὸν ὁ τούτων κύριος καταστὰς ὑφ' ὑμῶν βουλεύσεται· ἃ δ' ὑπάρξαι δεῖ παρ' ὑμῶν, ταῦτ' ἐστὶν ἃ ἐγὼ γέγραφα. [1] ἂν ταῦτα, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, περίσητε τὰ χρή-

[1] κἂν

interpretem postulare. Principio sic verteram: *eo autem anni tempore, cum et appellere ad terram facile est, et a ventis nihil periculi, ad ipsum regionem et mercatuum aditus facile milites accedent.* Hegendorphinus, ac potius Melanchthon Hegendorphini nomine, sic interpretatur, neglectis verbis: *anni temperatas et secundos ventos, et omnia, quibus opus erit, providebit imperator.* Alius quidam anonymus: *et facile erit observare anni tempus, in quo non difficile terram attingere, et videre ventorum constantiam circa eandem regionem et circa ostia civitatum oberrare.* Paulus Manutius, vir doctus et disertus, quem honoris causa nomino, ut meretur, hunc locum, si non vere, perspicue certe et eleganter transtulit, hoc modo: *de anni vero tempore, cum scilicet ad terram liceat accedere: aut quibus ventis ipsum regionem et emporiorum ostia petere sit tutum: non difficilis erit animadversio. Pertinent hæc ad eum, quem vos exercitui præfeceritis: qui et de re et de tempore consilium ex occasione capiet. Ego, quæ vos agere oporteat, exposui. Afferant alii, me volente et cupiente, meliora, et certiora. Ego meam dubitationem, ac potius ignorationem, ingenue confiteor.* Wolf.

Τὴν ὥραν τοῦ ἔτους—ἔστιν] Hesych. καιρὸς ἔτους, τὸ ἦρ καὶ τὸ θέρος. Moschop. ἔτους ὥραν ἴδιως τὸ θέρος φασὶν Ἀττικοί. Vid. Zeun. ad Viger. 162. Locum hic ita fortassis expedietur: ad ἔστιν intell. ἡ δύναμις, ut §. ἡ. (Schol. ἔσεσθαι supplet). Jam quum πρὸς c. dat. summam exprimat vicinitatem, Olynth. I. (III.) §. δ'. fin. d. Cherson. §. γ'. πρότερος πρὸς τοῖς πράγμασι γίγνεσθαι, sensus h. l. erit: classis facile erit in ipsa illa regione et emporiis. Nam hæc ut clauderentur, plurimum interfuit. cfr. Olynth. II. (I.) §. ς'. Rüdig. Si hanc lectionem aliquo modo explicare velimus, τὴν ὥραν τοῦ ἔτους erit accusativus temporis: *per opportunum anni tempus; ἔστιν* i. q. ἐξέσται; supplendum ex antecedentibus χρῆσθαι τῇ δυνάμει *facile licebit his copiis uti*, πρὸς αὐτῇ τῇ χώρᾳ, *in ipsa regione, terra.* Sed nescio an locus sit corruptus; codicum tamen medelam exspectaverim potius, quam conjecturæ. Bremi.

Καὶ τὸ τῶν πνευμάτων ἀσφαλὲς] Explica supplendo, καὶ ἔνι τὸν πνευμάτων ἀσφαλὲς ἔστι, quæ ultimi vox etiam subaudienda est ad ῥᾴδιον quod præcessit. Augerr.

Ῥᾴδιος ἔσται] Scil. γένοιτο. Supra voces illius ὥρᾳ αὐτῇ τῇ χώρᾳ cum τῷ ῥᾴδιος ἔστιν conjungit Lauchesilaus; ut sensus sit, *quo anni tempestate nihil erit a ventis timendum, hoc utique, cum in ipsa regione et in ostiis maritimarum urbium commorabimini, nullo negotio discernetis.* Sprck. Ego non dubitavi adjicere ex meo ἔσεσθαι, *facile licebit dignoscere.* Augerr.

ιβ'. Ἃ μὲν οὖν] Græci dicunt: τί χρήσομαι αὐτῷ, quid ea re faciam. Vig. 523. ad χρήσεται cogitando addas ἐμέ, ut Soph. Œd. R. 314. ἄνδρα δ' ἱκέσθαι δεῖ· τί χρῆν με καὶ δίκαιον μᾶλλον ἢ νέον. Sensus h. l.: quemadmodum et quando utendum sit copiis. Rüdig.

Ὁ τούτων κύριος καταστὰς ὑφ' ὑμῶν] Sic Basilensis. Manutianus, ὁ κύριος καταστὰς ὑμῶν: quod magis placet, cum significet, imperatorem Athaniensium Athenienses esse oportere. Mox pro ἂν ταῦτα, lego, ἂν δὲ ταῦτα. Wolf.

Ἂν ταῦτα, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, — ἐκεῖ τῷ πολέμῳ μέτεστιν κ. τ. λ.] Rüdiger, prorsus in sententiam, a verbis Πόρον ἀνάδειξις novam incipere orationem, (quam sententiam nos sub judicium vocavimus *Philologische Beytrüge aus der Schweiz*, vol. i. p. 24—34.) ad hunc locum, "Omnino, inquit, patet, oratorem profiteri, se de his rebus non dixisse. Verumtamen §. δ'. de illis exposuerat: nonne igitur hæc orationis pars est diversa a priore?" Fateor, hæc mihi mira videri. Exposuit sine dubio orator de his rebus §. δ'. ita, ut copiarum numerum enumeraverit. At ubi hoc se fecisse negat? Hoc quidem loco addit, quid his §. δ'. enumeratis copiis faciendum sit, si civitati eas utiles esse oportet; ταῦτα nempe ἡ δύναμις ὑμῶν καταλλαττέα ἐστὶν ἐπὶ τὸν πολέμον μέτεστιν. Tantum igitur abest, ut orator se de his rebus non dixisse profiteatur, ut ille ipse locus prio-

ματα πρῶτον ἃ λέγω, εἶτα καὶ [1] τἆλλα παρασκευάσαντες, τοὺς στρατιώτας, τὰς τριήρεις, τοὺς ἱππέας, ἐντελῆ πᾶσαν τὴν δύναμιν νόμῳ κατακλείσητε ἐπὶ τῷ πολέμῳ μένειν, τῶν μὲν χρημάτων αὐτοὶ ταμίαι καὶ πορισταὶ [2] γιγνόμενοι, τῶν δὲ πράξεων παρὰ τοῦ στρατηγοῦ τὸν λόγον ζητοῦντες, παύσεσθ' ἀεὶ περὶ τῶν αὐτῶν βουλευόμενοι καὶ πλέον οὐδὲν ποιοῦντες, καὶ ἔτι πρὸς τούτοις πρῶτον μέν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τὸν μέγιστον τῶν ἐκείνου πόρων ἀφαιρήσεσθε. ἔστι δ' οὗτος τίς; ἀπὸ τῶν ὑμετέρων ὑμῖν πολεμεῖ συμμάχων, ἄγων καὶ φέρων τοὺς πλέοντας τὴν θάλατταν. ἔπειτα τί πρὸς τούτῳ; τοῦ πάσχειν αὐτοὶ κακῶς ἔξω γενήσεσθε, οὐχ ὥσπερ τὸν παρελθόντα χρόνον εἰς

[1] τἆλλα πάντα παρασκευάσαντες

[2] γινόμενοι

rem respiciat, eique addat, quod ad posteriorem hanc orationis partem reservabatur. Brem.

Ἃ λέγω] Videtur ad πόρου ἀπόδειξιν referendum esse. Rüdig.

Καὶ τἆλλα πάντα παρασκευάσαντες, τοὺς στρατιώτας, τὰς τριήρεις, τοὺς ἱππέας, ἐντελῆ, πᾶσαν τὴν δύναμιν] Conjungo παρασκευάσαντες τἆλλα πάντα ἐντελῆ: Manutius ἐντελῆ πᾶσαν τὴν δύναμιν interpretari malnit: *copias plane universas lege lata discedere a bello prohibueritis.* Wolf.

Ἐντελῆ πᾶσαν τὴν δύναμιν] *Integras omnes copias*, i. e. omnes omnino copias. Auger.

Αὐτοὶ ταμίαι καὶ πορισταὶ γιγνόμενοι] Imperatores militaris pecuniæ et conquirendæ et distribuendæ munus sibi nacti sunt. Demosthenes iis præcidendam censet omnem prævaricandi ansam in obeundo munere parum illis convenienti, eosque de nihilo respondere oportere, præterquam de rebus suis gestis, quarum rationem reddere tenebantur, nisi titulus αὐτοκράτορος, hoc est, *imperatoris plena potestate præditi*, immunes eos præstaret. Aristides ad pugnam Platææ, Nicias, Alcibiades, et Lamachus bello Siculo, hoc titulo insigniti erant, isque impediebat quo minus in eorum actiones inquireretur. Suid. Plutar. [Alcib. p. 200.] *Tourrell.* Mount.

Ταμίαι] Quæstores numero erant decem e Pentecosiomedimnis lecti. Ii in templo Minervæ, pecuniam et sacram et publicam custodiebant, nec non ipsum Minervæ simulacrum. E populi sententia creabantur veteri Atheniensium lege. Vid. Schol. ad Chersen. p. 60. v. ταμίας δημοσίους. Suid. Harpocr. et Petit. in Leg. Att. p. 253. Idem.

Παύσεσθε ἀεὶ —] *Tandem istarum deliberationum finem facietis et aliquid proficietis.* Wolf.

Ἄγων καὶ φέρων] Ἄγειν καὶ φέρειν τοὺς πολεμίους, ἢ τὴν χώραν, est *hostiliter grassari*, abducere jumenta et homines, diripere opes, vel *agere et rapere.* Idem. Robortell. Emendat. i. 3. Taylor. Et Sigon. in Emendat. e. 5. t. ii. p. 151. Grut. Thes. Crit. Cfr. Hom. Il. E. 483. Herod. i. 88.

Ἔξω γενήσεσθε] Ἀπαλλαγήσεσθε τοῦ πάσχειν κακῶς. Wolf. Dicitur de iis, qui extra hostium aciem et jactum venerunt. Rüdig.

Οὐχ ὥσπερ] Supple ad interpretationem, οὐκ οἰχήσεται ἄγων, οὐδ' ἐκλέξει, ὥσπερ τὸν παρελθόντα χρόνον ᾤχετ' ἄγων, καὶ ἐξέλεξε. Auger.

Οὐχ ὥσπερ] Quum ea, quæ sequuntur, nemo præter Demosthenem tradiderit, non certo tempus ex historico aliquo constitui potest, quando gesta sint, nisi ex ipso oratore conjectura illud assequare, nam dicit Noster extr. hac §. οὔτε ἠδύνασθε κωλύειν. Hinc patet de tali tempore cogitandum esse, quo Athenienses curis vel domesticis vel externis distenti sociorum fortunis consulere non possent. Nisi cum Lucch. putemus, Ol. 105, 3. Philippum post Amphipolin et Pydnam captam has, quas orator ei exprobrat, Atheniensibus intulisse injurias, videtur illud innui tempus, quo Macedo, Olyntho expugnata Ol. 108, 1., gravioribus damnis Athen. eorumque socios affecisse existimari facile potest. Sed illi quo minus possent saluti sociorum prospicere, impediti fuerunt fortassis et rebus adversis Charidemi et auxilio Phocensibus misso.

Λῆμνον καὶ Ἴμβρον ἐμβαλὼν αἰχμαλώτους πολίτας ὑμετέρους ᾤχετ' ἄγων, καὶ πρὸς τῷ Γεραιστῷ τὰ πλοῖα συλλαβὼν ἀμύθητα χρήματ' ἐξέλεξε, τὸ τελευταῖα δ' εἰς Μαραθῶνα ἀπέβη καὶ τὴν ἱερὰν ἀπὸ τῆς χώρας ᾤχετ' ἔχων τριήρη, ὑμεῖς δ' οὔτε ταῦτα ἠδύνασθε κωλύειν οὔτ' εἰς τοὺς χρόνους, οὓς ἂν [1]προθῆσθε, βοηθεῖν. 18

ιγ'. Καίτοι τί δή ποτε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, νομίζετε τὴν μὲν τῶν Παναθηναίων ἑορτὴν καὶ τὴν τῶν Διονυσίων ἀεὶ τοῦ καθήκοντος χρόνου γίγνεσθαι, ἄν τε δεινοὶ λάχωσιν ἄν τε ἰδιῶται οἱ τούτων ἑκατέρων [2]ἐπιμελούμενοι, εἰς ἃ τοσαῦτ' ἀναλίσκετε χρήματα, ὅσα οὐδ' εἰς ἕνα τῶν ἀποστόλων, καὶ τοσοῦτον ὄχλον καὶ [3][τοσαύτην] παρα-

[1] προίλησθε [2] ἐπιμελησόμενοι [3] † Absunt uncl.

Diod. S. XVI. 57. Rüdio. V. Victor. Var. Lect. l. vii. c. 4.

Εἰς Λῆμνον καὶ Ἴμβρον ἐμβαλὼν] Imbros insula versus Chersonesum Thracicam: Lemnos maris Ægæi insula: ambas tenuerunt Coloniæ Atheniensium. Exiguus maris trajectus utramque a Thessalia separabat: ibi autem summo Philippus imperio potitus est; itaque a situ suo talibus invasionibus valde erant obnoxiæ. *Tourrell.* Mount.

Γεραιστῷ] Γεραιστῷ legendum est, quod est promontorium et portus nomen Eubœæ. Ossopœus. Cfr. Eurip. Orest. 993., Callimach. in Del. 188., Aristoph. in Equit. 558., Hom. Odyss. γ. 771. et Steph. Byz. et Strab. l. x.

Τὰ τελευταῖα δ' εἰς Μαραθῶνα ἀπέβη] Marathon vicus Atticæ, celebris ob victoriam quam Athenienses, Militade duce, ibi in Persas adepti sunt Olymp. 72. Ann. 3. *Tourrell.* Mount.

Τὴν ἱερὰν] Duæ erant Triremes, quæ Sacræ dictæ sunt, Salaminia et Paralus. Salaminia eadem fuit atque ea quæ Delia nominata est; qua sacrificia Delum quotannis pervehebantur. Paralus a Paralo antiquo heroe quodam nomen accepit, quique eam conscenderunt Parali appellati sunt. Ambas autem eam ad bellum gerendum, tum ad prætores a bello, si opus esset, ad judicium retrahendos, et omnino ad publica munera celeriter obeunda adhibitas legimus Sigon. lib. iv. 5. Harpocratio hic intelligi putat τὴν Πάραλον Wolfius vero Deliam. His duæ aliæ postea additæ sunt, Antigonis et Demetrias. Suid. v. Πάραλος. Idem.

Καὶ τὴν ἱερὰν ἀπὸ τῆς χώρας ᾤχετ' ἔχων τριήρη] Intelligo τὴ θεωρικὴν πλοῖον, de quo est apud Platonem: quo sacrificia Delum ab Atheniensibus pervehebantur. Wolf.

Εἰς τοὺς χρόνους] Κατὰ, ἢ ἐν τοῖς χρόνοις, κατὰ παιρὸν τὸν ὑφ' ἡμῶν προσοιστέον. Idem.

ιγ'. Τί δήποτε] Διὰ τίνα αὖτ' αἰτίαν. Idem.

Καίτοι τί δήποτε] Jam vero quid tandem. Rüdio.

Παναθηναίων ἑορτὴν, καὶ τὴν τῶν Διονυσίων] Consulat lector Potteri Archæol. Stock. Vid Suid., Harpocrat., Arg. ad Mid. Dem., Meurs. de Panathen. et Dionys., Montfauc. t. ii. Antiq. Ill., Duport. Præl. ad Theophrast. c. 3., Plutarch. in Thes., Pausan. Arcad. 2. et Pollux viii. 89. 93.

Ἂν τε δεινοὶ λάχωσιν, ἂν τε ἰδιῶται] Οἱ μὲν δεινοὶ ἐντεῦθεν οἱ ἐμπείροι τῆς διαθέσεως τῶν ἱερτῶν· οἱ δὲ ἰδιῶται, οἱ ἄπειροι τῶν τοιούτων. Exemplo sit in oratione κατὰ Νεαίρας, Stephanus δεινὸς, Theogenes rex sacrificulus, ἰδιώτης: qui (ut alibi scripsi) opponitur τῷ τε πολιτευομένῳ, καὶ τῷ στρατευομένῳ, καὶ τῷ τεχνίτῃ ἢ δεινῷ καὶ ἐμπείρως ἔχοντι ἢ εὐμοιρίαν φύσεως εὐτυχοῦντι. Wolf.

Δεινοὶ] Vox hæc latissimæ significationis est; insignes emphases et elegantias facit in Lingua Græca. Cum de personis dicitur, est μέση λέξις, et modo in bonum, modo in malum sumitur, ut et *gravis* Latine. Vide Duport. in Theophrast. cap. 1. Mount.

Λάχωσιν] Observat Olivetus ex hac voce apparere, sorte electos fuisse quibus horum festorum cura commissa est. Idem.

Ὄχλον] Inter ipsos dies festos primum certamen tædarum, in quo et pedites et equites cursu contendebant, deinde certamen athletarum et musicum agebatur;

σκευήν, ὅσην οὐκ οἶδ' εἴ [1]τι τῶν ἀπάντων ἴσχει· τοὺς δ' ἀποστόλους πάντας ὑμῖν ὑστερίζειν τῶν καιρῶν, τὸν εἰς Μεθώνην, τὸν εἰς Παγασάς, τὸν εἰς Ποτίδαιαν; ὅτι ἐκεῖνα μὲν ἅπαντα νόμῳ τέτακται, καὶ [2]πρόοιδεν ἕκαστος ὑμῶν ἐκ πολλοῦ τίς χορηγὸς ἢ γυμνασίαρχος τῆς φυλῆς, πότε καὶ παρὰ τοῦ καὶ τί λαβόντα τί δεῖ ποιεῖν, οὐδὲν ἀνεξέταστον οὐδ' ἀόριστον ἐν τούτοις ἠμέληται· ἐν δὲ τοῖς περὶ

[1] τις [2] προεῖδον

solemni obambulatione velum Minervæ (πέπλος) a lectissimis virginibus (ἐργαστῖναι) circumferebatur: ad quæ omnia quis neget magna multitudine et apparatu opus fuisse? Cfr. Plat. Alcib. II. t. V. 97. Bip. Rüdig.

Ὅσην οὐκ οἶδ' εἴ τις τῶν ἀπάντων] Wolfius hæc ita transtulit *an ullus omnium habet*: nos *ulla* vertimus, ut ad ἀνθοστολὸς referatur. Cum Wolfio sentire video Tourrellem atque Olivetum, juxta quos sensus loci est, Athenienses de festis suis præparandis magis sollicitos fuisse, inque ea majores sumptus fecisse quam cæteri Græci: quod utique verissimum est, sed minus quam quod antea dictum fuit, ideoque id velle Demosthenem vix putem; præterea hæ voces de cæteris Græcis parum commode intelligi posse videntur, nisi additum fuisset vox Ἑλλήνων. Nic. Carrus hunc locum ita vertit: *quantum haud scio an ulla unquam classis vestra habuerit*: sed illud *vestra* rectius, ut opinor, omittatur. Cæterum, ut sciamus quanto sumptu hæc apud Athenienses festa celebrabantur, quantoque illi studio istiusmodi cærimonias sectabantur, Tourrellus ad Platonem nos remittit in Alcib. ii. [p. 148.] et Athen. l. xiv. Mount.

Εἴ τι τῶν ἀν. ἴσχει] Vulg. *si tis*, quod alii referunt ad Græcos, alii rectius ad classem, sed quum dixisset ἓν τῶν ἀνθρ. languet *si tis ἀνθρ.*, hinc non dubitavi lect. *si ti* recipere, sensus: *si quid omnino*; nam artic. τῶν indicat nihil reliquum esse, ut τὰ πολλὰ, §. ιά. Ἅπας. Eustath. ita: ἄλφα σημαίνει ἄθρουσιν. ἴσχειν. vid. ad Lib. Vit. Dem. §. ά. adde Thuc. II. 61. τὸ λυποῦν ἴσχει τὴν αἴσθησιν. Rüdig.

Τὸν εἰς Μεθώνην, τὸν εἰς Παγασὰς, τὸν εἰς Ποτίδαιαν] De Methona ac Potidæa vide supra §. γ'. Pagasæ maritimæ Thessaliæ urbs fuit, navale autem Pheræorum. Ibi Argo navis exstructa fertur, unde et *Pagasæa* appellatur. Ab ea illic compacta Pagasas nomen habere fabulantur: alii probabilius nomen loco ἀπὸ πηγῶν, Dor. id est, *fontibus*, factum sentiunt, qui frequentes ibi largique fluunt. Vide Strab. l. ix. p. 436. Ed. Casaub. Mount. Cfr. Olynth. I. (III). §. 9'.

Προεῖδεν] Malim προῄδειν, *præscit, ante novit*, sicut σύνοιδα, ἐξοιδα, præterito medio, προεῖδον, *provideri, prospexi*, unde προϊδεῖν, sed a προῄδειν προεῖδεναι, ει in ει mutato. Wolf.

Ἐκ πολλοῦ] Πρὸ πολλοῦ χρόνου, πρὸ τῆς ἑορτῆς. Idem.

Χορηγὸς] Ædilis, qui Bacchanalibus gregi saltatorum sumptus suppeditat. Sed hujus munus e Midiana rectius cognoscetur. γυμνασίαρχος est qui oleum in palæstra se exercentibus præbet. Tribus autem fuisse decem Athenis illo tempore, docet oratio funebris. Idem.

Χορηγὸς ἢ γυμνασίαρχος] Choragi Dionysiis et Panathenæis choros curabant et ducebant: victum etiam iis, nec victum solum, sed et coronas aureas, vestesque chori ipsius, ornamenta, atque insignia suppeditabant. Inque ea re tantum studii, tantumque industriæ posuerunt, ut magistros, et tibicines præstantiores coram Archonte sortiti sint, ludumque habuerint, in quo per magistrum quem χοροδιδάσκαλον appellabant, chorum ipsum eruditum, exercendum curarint. Etenim inter ipsos illustre de laude victoriaque certamen intercedebat, ita ut in Dionysiis qui hymnis canendis alterum superasset, is tripodem præmium ferret, eumque cum magna cærimonia dedicaret. Gymnasiarchi ii dicti sunt, qui oleum iis, qui se palæstra exercere vellent, ministrarunt. Hæc officia inter primos honores erant, qui in civitate caperentur. Sigon. lib. iv. 4. Mount. Vid. Vol. ii. p. 371. seqq. Proleg. F. A. Wolfii.

Τίς χορηγὸς] Sub. ἦσται. Auger.

Παρὰ τοῦ] Παρά του pro παρά τινος rectius. Wolf.

Λαβόντα] *Si quis est, qui acceperit.* Rüdig.

Ἐν δὲ τοῖς περὶ τοῦ πολέμου] Ἐν δὲ τῷ πολέμῳ, καὶ τῇ τούτου παρασκευῇ, quam posteriorem clausulam Obsopœus in suo codice exstare scribit: sicut τὸ τῆς αἰτίας, ἡ αἰτία, Græcismus elegans. Wolf.

τοῦ πολέμου καὶ [1]τῇ τούτου παρασκευῇ ἄτακτα, ἀδιόρθωτα, ἀόριστα ἅπαντα. τοιγαροῦν ἅμα ἀκμάσαμέν τι καὶ τριηράρχους καθίσταμεν καὶ τούτοις ἀντιδόσεις ποιούμεθα καὶ περὶ χρημάτων πόρου σκοποῦμεν· καὶ μετὰ ταῦτα ἐμβαίνειν τοὺς μετοίκους ἔδοξε καὶ τοὺς χωρὶς οἰκοῦντας, εἶτ'

[1] τῆς τούτου παρασκευῆς ἄτακτα, ἀόριστα, ἀδιόρθωτα

Τριηράρχους] *Triremium Praefecti:* armamenta triremibus et victum remigibus ex suis sumptibus dabant: propter tamen sumptus magnitudinem, ea interdum a civitate acceperunt: aliquando duo simul triremem instruxerunt, aliquando tres, aliquando decem, aliquando plures. Ut autem Praetores in re maritima trierarchis omnibus, sic singuli trierarchi singulis triremibus, ac ejus triremis remigibus imperarunt. Sigon. lib. iv. 4. et 5. Vide Suid. et Petit. in Leg. Att. l. iii. [tit. iv.] MOUNT. Et Vol. ii. p. 375. sq.

Ἀντιδόσεις] Robortell. Emendat. i. 3. TAYLOR. Solon quidem ab initio propterea census civium constituerat, et ex iis classes quatuor descripserat, Quinquemodialium, Equitum, Zeugitarum, et Thticorum, ut omnes pro ratione fortunarum suarum operam, studiumque suum reip. commodarent, ac ne quis excusatione tenuitatis publicorum munerum onus defugeret, ἀντίδοσιν excogitarat, quae fuit muneris et fortunarum cum altero permutatio. Postea placuit, ut, tota ratione mutata, mille ac ducenti ex universis classibus legerentur, qui cum ceteros divitiis antecederent, soli etiam publicorum munerum onera sustinerent. Sigon. ibid. Quamvis autem immutatum fuerit institutum, nihilo tamen minus obtinuerunt semper Solonis περὶ τῶν ἀντιδόσεων Leges, accommodatae tantum ad distributionem civium post Solonem usu receptam. Itaque si quis e trecentis qui seposuti erant ad obeundas Trierarchias sumptus tolerare non posset, Lege licebat ea classe excedere, si quem se locupletiorem vacantem ostendisset. Quod si is qui desiguabatur, se ditiorem esse fateretur, in trecentos alterius loco referebatur: si negaret, permutabant inter se facultates. Petit. in Leg. Att. l. iii. [tit. iv.] Confer Argument. ad Demosth. et Isocr. orat. περὶ ἀντιδόσεως. Non omittendum est quod hic optime observant Tourrellus atque Olivetus; nempe ex hac Solonis lege, licet in se bona ac sapienti, magna reip. incommoda evenire posse, quippe quod, cum aliquid agendum esset, rem male procrastinarent hi apud Imperatores discutiendae περὶ ἀντιδόσεως Actiones. MOUNT. Vid. Vol. ii. p. 384.

Ἐμβαίνειν τοὺς μετοίκους] Μέτοικος est qui ex alia civitate ad aliam emigrat, nec ut peregrinus ad breve tempus adventat, sed illic domicilium habet. Pendebat vero quotannis XII. drachmas, quod μετοίκιον dicebatur. Qui id tributum non solverant, abducebantur ad τοὺς πωλητάς, convictique venibant. Harpoc. Horum Μετοίκων alii μετοίκιον non pendebant, quippe quibus eodem cum civibus uterentur jure, et ἰσοτελεῖς dicebantur. Omnia et privata et publica administrabant per *Patronum*, quem de civibus Atheniensibus eligere Lege jubebantur. Petit. in Leg. Att. l. ii. Vox ἐμβαίνειν saepius absolute positam invenitur: sic infra §. 16. Οἱ ἐμβαινόμενοι, ut ex MStis emendavimus. MOUNT.

Τοὺς μετοίκους] Τοὺς Ἀθήνησι μὲν οἰκοῦντας, τῆς δὲ πολιτείας οὐ μετέχοντας. WOLF.

Τοὺς χωρὶς οἰκοῦντας] S. τῶν ἀγρῶν ἀπολελυθέρους, libertinos, qui relicta patroni familia suum ipsi negotium gerunt. IDEM.

Τοὺς χωρὶς οἰκοῦντας] Wolfius vertit: *libertinos qui suam ipsi rem familiarem administrant*: sc. sub τῶν δεσποτῶν. Auctore Harpocratione; ad quem Valesius: "An potius sunt rustici, qui rure habitant, χωρίτης, Hesychio, Dionysio lib. i. pag. 68. (qui sententiae accedit Tourrellus) an potius ξένοι, qui οἰκοῦντες Ἀθήνησι, de quibus Demosthenes contra Leptinem, qui scripserat legem, μηδένα ξένον εἶναι ἀτελῆ, μὴ διαιρεῖσθαι τῶν οἰκούντων Ἀθήνησι, quod reprehendit ac loco." Cl. Ezech. Spanhemius in Notis ad Aristoph. Nub. v. 225. haec interpretatur: *qui extra Atticam habitant.* MOUNT.

Τοὺς χωρὶς οἰκοῦντας] Liberti qui *seorsim habitabant*, a dominorum familiis dimissi, eodem cum *inquilinis* jure censebantur, idemque tributum annuum, τὸ μετοίκιον, erario pendebant. (Petit. II. 6. et Harpoc. in μετοίκιον.) Unde ad eodem quoque cum his munia praestanda adigebantur. STOCK.

Τοὺς χωρὶς οἰκοῦντας] De horum verborum sensu multa viri docti disputant; ego intelligo de peregrinis extra urbem et agrum Atticum habitantibus. Vide ad haec

αὐτοὺς πάλιν ἀντεμβιβάζειν. εἶτ' ἐν ὅσῳ ταῦτα μέλλεται, προαστάλωλεν ἐφ' ἃ ἂν ἐκπλέωμεν· τὸν γὰρ τοῦ πράττειν χρόνον εἰς τὸ παρασκευάζεσθαι ἀναλίσκομεν, οἱ δὲ τῶν πραγμάτων καιροὶ οὐ μένουσι τὴν ἡμετέραν βραδυτῆτα καὶ ῥᾳθυμίαν. ἃς [1] δὲ τὸν μεταξὺ χρόνον δυνάμεις οἰόμεθ' ἡμῖν ὑπάρχειν, αὐδὲν οἶμαί τε οὖσαι ποιεῖν ἐπ' αὐτῶν τῶν καιρῶν
51 ἐξελέγχονται. ὁ δ' εἰς ταῦθ' ὕβρεως ἐλήλυθεν, ὥστ' ἐπιστέλλειν Εὐβοεῦσιν ἤδη τοιαύτας ἐπιστολάς.

ΕΠΙΣΤΟΛΑΙ.

ιδ'. [2] Τούτων, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τῶν ἀνεγνωσμένων ἀληθῆ μέν ἐστι τὰ πολλά, ὡς οὐκ ἴδει, οὐ μὴν ἀλλ' ἴσως οὐχ ἥδέα ἀκούειν. ἀλλ' εἰ μέν, ὅσα ἄν τις ὑπερβῇ τῷ λόγῳ, ἵνα μὴ λυπήσῃ, καὶ τὰ πράγματα ὑπερβήσεται, δεῖ πρὸς ἡδονὴν δημηγορεῖν· εἰ δ' ἡ τῶν λόγων χάρις, ἂν ἡ μὴ προσήκουσα, ἔργῳ ζημία γίγνεται, αἰσχρόν ἐστιν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, φενακίζειν ἑαυτούς, καὶ ἅπαντ' ἀναβαλλομένους, ὅσα ἂν ᾖ δυσχερῆ, πάντων ὑστερίζειν τῶν ἔργων, καὶ μηδὲ τοῦτο δύνασθαι μαθεῖν, ὅτι δεῖ τοὺς ὀρθῶς πολέμῳ χρωμένους αὐκ ἀκολουθεῖν τοῖς πράγμασιν, ἀλλ' αὐτοὺς

[1] δ' εἰς τὸν

[2] Τούτων ἄν, ὦ

ipsa verba Harpocrationem. Auctar.

εἶτ' αὐτοὺς] S. Ἀθηναίους καὶ φιλίτας ἐστὶ τῶν μετάπειν καὶ ἀσελευθέρων. Wolf. εἶτ' indignationem exprimit. Vig. 395. Rubio.

Πραγμάτων καιροί] Vid. d. f. leg. p. 348, 1. ed. R. σχολαίως συμβαίνει γὰρ τῶν πραγμάτων καὶ μεγάλων καιρὸν ἐν βραχεῖ χρόνῳ γίγνεσθαι. Idem.

Οὐ μένουσι τὴν ἡμετέραν βραδυτῆτα καὶ ῥᾳθυμίαν] In nostro οὐκ ἀναμένουσι τὴν ὑμετέραν βραδυτῆτα καὶ ῥᾳθυμίαν. Quamvis ῥᾳθυμίαν in aliis quoque legi Aldus indicarit. Quam enim hunc quadret *ῥᾳθυμία*, non video. Tempus quod rebus agendis, inquit, impartiendum erat, apparando consumitis. *Atqui negotiorum occasio et opportunitas vestrum tarditatem et socordiam non exspectant.* Osiandrus.

Ἀναμένουσι] Hoc, quod non pauci libri habent, prætuli vulgatæ μένουσι, cfr. Æsch. Ctes. §. κβ'. μεταμένειν δὲλίων ἐστὶ οἷς ἀναμένει. Rubio.

Ἃς δ' εἰς τὸν] Vox media non legitur in cod. a. Si sensus est: inter medium tempus, *sic* ferri negavit; sin vero interpretaris: quas copias putamus intermedio tempori inservire, lect. vulg. non mutanda. cfr. §. ιβ'. Idem.

ΕΠΙΣΤΟΛΑΙ] Hæ literæ non ad nos pervenerunt. Videtur tamen Philippus in iis de opibus Atheniensium contemptim disserusisse, et Eubœenses monuisse, ne nimium iis fiderent. *Ex edit.* Stock.

ιδ'. Οὖν] Hanc vocem omittit Bekker. Sed quoniam ob antecedentem syllabam hæc vox facile delitescere potuit, non abjiciendam putavi, quum in principio continuatæ orationis locum suum bene teneat; res aliter habet in Lib. vit. Dem. §. β'. Rubio.

Τεταρβήκατε] S. τούτων. Wolf.

Πρὸς ἡδονὴν] Ut πρὸς χάριν. vid. Ocvill. ad Char. 536. L. Rubio.

Προσήκουσα.] Justo tempore adhibita. Idem.

Ζημία] Ex orationis suavitate capitur detrimentum, quum res difficiles, quæ noticantur, fructum ferant pestiferum. Idem.

Οὐκ ἀκολουθεῖν τοῖς πράγμασιν, ἀλλ' αὐτοὺς ἡμᾶς εἶναι τῶν πραγμάτων] Livius lib. 9. cap. 18. 'At, Hercule,

ἔμπροσθεν εἶναι τῶν πραγμάτων, καὶ τὰν αὐτὸν τρόπον, ὥς περ τῶν στρατευμάτων ἀξιώσειεν ἄν τις τὸν στρατηγὸν ἡγεῖσθαι, οὕτω καὶ τῶν πραγμάτων τοὺς [1]εὖ βουλευομένους, ἵν' ἃ ἂν ἐκείνοις δοκῇ, ταῦτα πράττηται καὶ μὴ τὰ [2]συμβάντα ἀναγκάζωνται διώκειν. ὑμεῖς δέ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, πλείστην δύναμιν ἁπάντων ἔχοντες, τριήρεις, ὁπλίτας, ἱππέας, χρημάτων πρόσοδον, τούτων μὲν μέχρι τῆς τήμερον ἡμέρας οὐδενὶ πώποτε ἐν δέοντι κέχρησθε, οὐδενὸς δ' ἀπολείπεσθε. ὥςπερ δὲ οἱ βάρβαροι πυκτεύουσιν, οὕτω

[1] βουλευομένους ἡγεῖσθαι χρὴ, ἵν' [2] συμβαίνοντα

reges, non liberi solum impedimentis omnibus, sed domini rerum temporumque, trahunt consiliis cuncta, non sequuntur.' Mount.

Ἀπολουθεῖν τοῖς πράγμασιν] Rebus gestis inservire, facere, quod illæ ferant; in Aristog. p. 805, 25.: τοῖς λογισμοῖς καὶ τοῖς πράγμασιν καὶ τοῖς ὑπάρχουσι μαλοῦ ἀκολουθεῖν. Rüdig.

Ἔμπροσθεν εἶναι τῶν πραγμάτων] Ἡγεῖσθαι, βουλεύεσθαι πρὸ ἔργου, ὅπως μὴ μοιρὰ πίπτοντες, ut ait Phocylides. Wolf. *Providere, præcavere eventibus, anteverteres quasi ne noceant.* Non male forte in hanc sententiam lénai legeris: quamvis I. Stobensis c. liii. p. 365. vulgatam agnoscat. Ammian. Marcell. xxi. 7. p. 210. 'Expertus, quid in rebus tumultuosis anteversio valeat et prægressus.' Ubi apposite F. Lindenbrogius advocavit Demosthenis ῥῆσιν. *D'Orville ad Char. Aphrod.* l. iii. c. ix. p. 338.

Τὸν αὐτὸν τρόπον ὅσπερ] M. ὅπερ. Wolf. Citra necessitatem juxta Mounteneium et Rüdiger.

Συμβαίνοντα] In Aug. 2. Bav. Stob. et a. συμβάντα; sed quum antea dixisset δεῖν et Phil. IV. p. 137, 4. ed. R. hæc legantur: τὸ συμβαῖνον ἀεὶ διώκειν, lect. vulg. taitus sum; διώκειν dicuntur qui, quem aufugere vident, persequendo petunt. Rüdig.

Τριήρεις] Athenienses valde erant mari potentes. Facile trecentas naves adornabant, easque tam bene instructas, ut cum duplo navium numero par iis certamen esset. Thucyd. l. ii. [13.] Cic. Verr. 5. Isoc. in Panegyr. [Demosth. περὶ Συμμορίων §. ϛ'. ϕ. [de fals. Leg. §. λέ. Æschin. de fals. Leg. §. ϟ'.]] Literis atque navigationi ex æquo factum est hujus populi ingenium: paremque inter eos parentes, lege id jubente curam impendebant pueris in utroque horum instituendis: unde natum est proverbium: Μήτε τῶν μήτε γράμματα ἐπίστασθαι, neque natare neque literas scire: quo crassam hominis ignorantiam significabant. Suid. [Vide Meurs. de Fort. Athen. c. 8. et Petit. in Leg. Att. p. 162.] *Tourrell.* Mount.

Ὁπλίτας, ἱππέας] Athenienses plerumque exercitum aluerant novem et viginti mille peditum, equitum vero ducentorum Thucyd. l. ii. 13. Diod. l. xii. *Tourrell.* Pro *ducentorum* debuit dicere *bis mille cum octingentis*, ut patet ex ipso Thucydide, l. ii. 13. ἱππέας δ' ἀπέφαινε διακοσίους καὶ χιλίους, ἓν ἱπποτοξότας, ἱξακοσίους δὲ καὶ χιλίους τοξότας. Vid. Meurs. Att. Lect. lib. i. cap. 1. Mount. Et Dem. de Class. §. δ'. Æschin. de fals. leg. §. ϟ'.

Χρημάτων πρόσοδον] Athenensium annui reditus fuere talenta 1200, et quod excurreret. Æschines Orat. περὶ Παραπρεσβ. [§. ϟ'.] Φέρε δ' ἡμῖν κατ' ἐνιαυτὸν πρόσοδος γίλια ἢ χίλια καὶ διακόσια τάλαντα, *tributum vero nobis annuum accedit plusquam mille et ducenta talenta.* Atticæ autem totius census erat talentorum 6000: ut indicat Demosthenes περὶ Συμμορίων [§. ϛ'.] Vid. Meurs. loco modo citato. Mount.

Οὐδενὸς δ' ἀπολείπεσθε] Assectamini omnes, id est, in tergo hæretis hosti, sequimini, quo vos adversarii ducunt. Wolf.

Οὐδενὸς δὲ ἀπολείπεσθε] *A nemine discedetis*, ita omnibus currendo adhæretis, ut neminem prævertere possitis. Idem est quod infra συμπαραθεῖτε. Stock. *Nihil non assecuti estis.* Cf. in Aphob. I. p. 813, 19. ed. R. ἀπολιφθῆναι πραγμάτων. Rüdig.

Οὐδὲν οὐκ ἀπολείπετε] *Nullam rem non serius facietis.* recidi δὲ, et addidi οὐκ quod necessarium visum fuit ad sensum. Auger.

Ὥςπερ δὲ οἱ βάρβαροι πυκτεύουσιν] Non multum ab hac similitudine abhorret, quod est apud Aristotelem ἀ. τῶν μετὰ τὰ φυσικά. οἷον (φησὶν) ἐν ταῖς μάχαις οἱ ἀγύμναστοι πυκτεύουσι. καὶ γὰρ ἐκεῖνοι περιφερόμενοι τύ-

